ACTA

APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ANNUS XXXXII - SERIES II - VOL. XVII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • L

An. et vol. XXXXIT 6 Ianuarii 1950 (Ser. II, T. XVII) - N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

MOTU PROPRIO

DE IUDICIIS PRO ECCLESIA ORIENTALI

PIUS PP. XII

Sollicitudinem Nostram in bonum et profectum Ecclesiae Orientalis convertentes, de matrimonii disciplina apud christifideles eiusdem Ecclesiae servanda die xxn mensis Februarii anno MDCCCCXXXXIX Apostolicas Litteras promulgavimus, quarum exitus eventusque conceptae spei Nostrae haud impares esse gaudemus. Solatio enim haud mediocri Nobis fuit a Legatis Nostris in regionibus Orientalis Ecclesiae et a sacrorum Antistitibus, qui ibidem sunt, gratiarum actiones excipere itemque significationes, quae aperte obtestabantur inceptum Nostrum communi opinione perutile aestimari. Atqui ab iisdem, dum iteratis votis petebatur, ut quam primum integer legum Codex pro Orientali Ecclesia publicaretur, asseverabatur quoque rem prorsus urgere, ut saltem canones ad ecclesiastica tribunalia spectantes actutum promulgarentur : quodsi enim huiusmodi necessitati obviam non iretur, magnum incommodum et detrimentum christifidelium animis exoritur um esse.

Accedit quoque nonnullas leges processuales in Ecclesia Orientali vigentes, ad antiquorum temporum adiuncta accommodatas, mutatis condicionibus, factas fuisse ad exsequendum difficiles vel minus ad animarum salutem conducibiles.

Non paucae vero omni carebant utilitate, et saepe impedimento erant ad iuris canonici studium, utpote quae vel easdem res crebro recinerent vel aliis, recentiore aetate latis, adversaretur.

Oportet etiam sacra Ecclesiae iura sarta tecta serventur in exercenda iudiciali potestate, quae ad ipsam divinitus data pertinent, itaque compescantur conamina, ibidem hic illic notabiliter prodeuntia, quae civilibus magistratibus huiusmodi iudicia arrogant.

Quibus incommodis et periculis ut afferamus medelam, utque tuendis vel redintegrandis iuribus consulamus in rite peragendis iudiciis, quibus humanae consortionis haud levi in re pax et bonum continentur, Nos attente et cogitate omnibus in Domino perpensis, motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae plenitudine potestatis statuimus et decrevimus de supra memoratis causis eos canones iam nunc publicare, qui a Consilio legum Codici pro Orientali Ecclesia conficiendo parati erant.

Canones autem, quos Nos Apostolica auctoritate comprobamus, hi sunt, qui sequuntur.

DE IUDICIIS

PARS I

DE IUDICIIS IN GENERE

Can. 1

§ 1. Nomine iudicii ecclesiastici intelligitur controversiae in re de qua Ecclesia ius habet cognoscendi, coram tribunali ecclesiastico, legitima disceptatio et definitio.

§ 2. Obiectum iudicii sunt :

I° Personarum physicarum vel moralium iura persequenda aut vindicanda, vel facta iuridica, quae per iudicem declarari earundem personarum interest ; et tunc iudicium est *contentiosum;*

2° delicta quod spectat ad poenam infligendam vel declarandam ; et tunc iudicium est *criminale.*

§ 3. Delicta quae cadunt sub criminale iudicium sunt delicta quae in foro externo legitime probari possunt.

Can. 2

§ 1. Ecclesia iure proprio et exclusivo cognoscit :

T De causis quae respiciunt res spirituales et spiritualibus adnexas ;

2° De violatione legum ecclesiasticarum deque omnibus in quibus

inest ratio peccati, quod attinet ad culpae definitionem et poenarum ecclesiasticarum irrogationem ;

3° De omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus quae respiciunt personas privilegio fori gaudentes.

§ 2. In causis in quibus tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt, quaeque dicuntur mixti fori, est locus praeventioni.

Can. 3

Actor, qui causas mixti fori ad tribunal ecclesiasticum deductas ad forum saeculare iudicandas defert, congruis poenis puniri potest et privatur iure contra eandem personam de eadem re et de connexis causam agendi in foro ecclesiastico.

Can. 4

Tribunal Congregationis S. Officii suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet; et etiam inferiora tribunalia, in causis quae ad S. Officii tribunal spectant, normas ab eodem traditas sequantur oportet.

CAPUT I

De potestate ordinaria et delegata

Can. 5

§ 1. Qui iurisdictionis potestatem habet ordinariam, potest eam alteri ex toto vel ex parte delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.

§ 2. Etiam potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi persona propter suas qualitates electa fuerit aut subdelegatio prohibita.

§ 3. Potestas delegata ab eo qui infra Eomanum Pontificem habet ordinariam potestatem, si delegetar ad universitatem negotiorum, potest in singulis casibus subdelegari; si vero ad singula negotia, subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta, sed articulum aliquem non iurisdictionalem, etiam sine expressa commissione, iudices delegati possunt subdelegare.

§ 4. Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit.

Can. 6

§ 1. Potestas iurisdictionis ordinaria et ad universitatem negotiorum t legata, late interpretanda est ; quaelibet alia stricte ; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset.

§ 2. Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis.

Can. 7

§ 1. Potestas iurisdictionis potest in solos subditos directe exerceri, nisi expresse aliter statuatur.

i 2. Iudicialis potestas tam ordinaria quam delegata exerceri nequit in proprium commodum aut extra territorium, salvo praescripto can. 152.

Can. 8

§ 1. Delegatus qui, vel quod ad res vel quod ad personas attinet, mandati sui fines excedit, nihil agit.

§ 2. Fines tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit, ea ad quae delegatus est, peragit, nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tamquam condicio.

Can. 9

§ 1. Si plures iurisdictionem delegatam obtinuerint ad idem negotium et dubitetur utrum potestas delegata fuerit singillatim an collegialiter exercenda, praesumitur facta collegialiter in re iudiciali; secus, singillatim.

§ 2. Pluribus singillatim delegatis, qui antea negotium occupavit, alios ab eodem excludit, nisi aut posthac impc liatur aut nolit ulterius in negotio procedere.

§ 3. Pluribus collegialiter delegatis, omnes, ut actus valeant, in negotio expediendo simul procedere debent, nisi in mandato aliud cautum sit.

Can. 10

Pluribus diverso tempore delegatis, ille negotium expedire debet cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse revocatum fuit.

Can. 11

§ 1. Potestas delegata exstinguitur : expleto mandato, elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit, cessante causa finali delegationis, revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata ; non autem resoluto iure deleganti?, nisi aliud ex additis clausolis appareat aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res integra sit.

§ 2. Pluribus collegialiter delegatis, si unus deficiat, aliorum quoque delegata potestas exspirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet.

Can. 12

§ 1. Msi aliter iure caveatur, potestas iurisdictionis sive ordinaria sive delegata suspenditur legitima appellatione interposita, excepto casu quo forte appellatio sit tantum cum effectu devolutivo.

§ 2. Haec potestas non suspenditur interposito recursu, nisi aliud ius expresse caveat.

Can. 13

In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia.

CAPUT II

De foro competenti

Can. 14

Prima Sedes a nemine iudicatur.

Can. 15

Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi :

1° Eos qui supremum actu tenent populorum principatum horumque coniuges, filios ac filias eosve quibus ius est proxime succedendi in principatum;

2° S. R. E. Cardinales et Patriarchas;

3° Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus Episcopos, etiam titulares, firmo praescripto can. 17.

Can. 16

§ 1. Firmo praescripto can. 15, coram tribunalibus Sedis Apostolicae conveniri debent :

I° Episcopi residentiales in contentiosis, et, Syncellis exceptis, ceteri locorum Hierarchae sive in contentiosis sive in criminalibus, dummodo Patriarchae vel Archiepiscopo non subiiciantur aut, si subiiciantur, domicilium vel quasi-domicilium extra patriarchatus vel archiepiscopatus habeant;

2° Personae ecclesiasticae, sive physicae sive morales, quae Superiorem infra Eomanum Pontificem non habent.

§ 2. Alias causas quas Romanus Pontifex ad suum advocaverit iudicium, videt iudex quem ipse Romanus Pontifex designaverit.

Can. 17

§ 1. I° Patriarchae cum Synodo permanenti competit iudicare Episcoporum sibi subiectorum, qui domicilium vel quasi-domicilium in patriarchatu habent, causas criminales minores, quae nempe poenam pri-

vationis officii aut depositionis minoris seu depositionis simplicis vel maioris seu degradationis non secumferant;

2° In causis vero maioribus, Patriarcha cum Synodo permanenti processum instruere debet Romano Pontifici, ferendae sententiae causa, transmittendum. Patriarcha, insuper, ad scandalum vitandum, remedia opportuna interim adhibere potest.

§ 2. Archiepiscopo cum Synodo permanenti, quod attinet ad causas criminales minores Episcoporum sibi subiectorum, qui in archiepiscopatu domicilium vel quasi-domicilium habent, competit processum instruere ; sententia autem ferri non potest nisi praevia Romani Pontificis speciali delegatione.

Can. 18

§ 1. Patriarchae cum Synodo permanenti est iudicare :

1° Causas contentiosas Episcoporum, etiam titularium, gravioris momenti, et, si agatur de re pecuniaria, illas in quibus agitur de summa vel re cuius pretium excedat triginta milia francorum aureoruni ;

2° Eparchiarum contentiosas causas;

3° Causas de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae seu domus vel curiae eparchialis.

§ 2. Causae gravioris momenti, de quibus in § 1, definiri et, quoad fieri potest, recenseri debent in Synodo patriarchali.

§ 3. Patriarchae competit iudicare ceteras contentiosas causas Episcoporum, etiam titularium, firmo can. 46, § 1, n. 1.

Can. 19

Tribunali ordinario sedis patriarchalis de quo in can. 85 competit iudicare :

I° Hierarchas locorum, Syncellis exceptis, Patriarchae Syncellos atque delegatos qui non sint Episcopi;

2° Personas physicas vel morales Patriarchae immediate subiectas, firmo praescripto can. 51, § 1 ;

3° Religiones iuris pontificii exemptione pontificia fruentes, firmo praescripto can. 51, § 1 ;

4° Causas contentiosas vel criminales Superioris in religione iuris pontificii exemptione pontificia fruente, qui in eadem religione Superiorem iudiciali potestate praeditum non habeat;

5° Causas ex iuris praescripto tribunali patriarchali reservatas.

Can. 20

§ 1. Quae can. 18 de competentia Patriarchae, cum vel sine Synodo permanenti, praescripta sunt, intelligi debent etiam de Archiepiscopo <et Synodo permanenti archiepiscopatus.

§ 2. Tribunali vero ordinario Sedis archiepiscopalis competit iudicare Hierarchas locorum, Syncellis exceptis, qui Episcopi non sint.

§ 3. Archiepiscopalis dignitas coniuncta est cum sede metropolitana extra patriarchatus sita, a Romano Pontifice aut a Synodo Oecumenica determinata vel agnita.

Can. 21

In causis de quibus in can. 14-20 §§ 1, 2, inferiorum iudicum incompetentia est *absoluta.*

Can. 22

§ 1. Nemo in prima instantia conveniri potest, nisi coram iudice ecclesiastico qui competens sit ob unum ex titulis qui in can. 23-31 determinantur.

§ 2. Incompetentia iudicis cui nullus ex his titulis suffragatur, dicitur *relativa.*

§ 3. Actor sequitur forum rei ; quod si reus multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur.

Can. 23

Forum necessarium habent :

I° Actiones de spolio, coram Hierarcha loci rei sitae;

2° Causae respicientes beneficium, quamvis non residentiale, coram Hierarcha loci beneficii;

3° Causae quae versantur circa administrationem, coram Hierarcha loci ubi administratio gesta est ;

4° Causae quae respiciunt hereditates aut legata pia, coram Hierarcha loci ultimi domicilii illius de cuius hereditate aut legato pio agitur, nisi res sit de mera exsecutione legati, quae videnda est secundum ordinarias competentiae normas.

Can. 24

Ratione domicilii vel quasi-domicilii quilibet conveniri potest coram Hierarcha loci.

Can. 25

§ 1. Qui peregrinus est in Urbe, licet per breve tempus, potest in ipsa tamquam in proprio domicilio citari; sed ius habet revocandi domum, id est petendi ut ad proprium Hierarcham remittatur.

§ 2. Qui in Urbe ab anno commoratur, ius habet declinandi forum Hierarchae et instandi ut coram Urbis tribunalibus citetur.

Can. 26

§ 1. Vagus et ille cuius domicilium et quasi-domicilium ignota sunt, forum habent in loco ubi actu commorantur; religiosus in loco domus suae.

§ 2. Is, cuius neque domicilium aut quasi-domicilium neque locus commorationis nota sint, conveniri potest coram Hierarcha loci in quo actor habet domicilium aut quasi-domicilium, vel, si hic sit vagus, commorationem.

Can. 27

Ratione rei sitae pars conveniri potest coram Hierarcha loci ubi res litigiosa sita est, quoties actio in rem directa est.

Can. 28

§ 1. Ratione contractus pars conveniri potest coram Hierarcha loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet, nisi pars e loco discesserit, salvo praescripto § 2.

§ 2. In actu autem contractus permittitur contrahentibus, obligationis declarandae, urgendae vel implendae gratia, locum eligere, in quo etiam absentes citari et conveniri possint.

Can. 29

Ratione delicti reus forum sortitur in loco patrati delicti.

Can. 30

Ratione connexionis seu continentiae ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae, nisi legis praescriptum obstet.

Can. 31

Ratione praeventionis, cum duo vel plures iudices aeque competentes sunt, ei ius est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit.

CAPUT III

De variis tribunalium gradibus et speciebus

Can. 32

§ 1. Ob primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet fideli in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Sedem Apostolicam deferre vel apud eandem introducere.

§ 2. Provocatio tamen ad Sedem Apostolicam interposita non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium iurisdictionis in iudice qui causam iam cognoscere coepit ; quique idcirco poterit iudicium prosequi usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Sedem Apostolicam causam ad se advocasse.

Can. 33

Exceptis causis Sedi Apostolicae reservatis aut ad eandem advocatis, illisque de quibus in can. 17-20 §§ 1, 2, ceterae omnes cognoscuntur a diversis tribunalibus, de quibus in can. 37 seqq.

Can. 34

Quodlibet tribunal quod attinet ad partium et testium examen aut citationem, documentorum vel rei controversae inspectionem, decretorum intimationem aliaque huiusmodi, ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal, quod normas pro singulis actibus iure praescriptas servare debet.

Can. 35

Qui causam vidit vel in eadem causa operam praestitit in uno iudicii gradu, nequit in alio eandem causam iudicare aut partem assessoris agere.

Can. 36

§ 1. Contra Hierarcharum decreta, actus, dispositiones, quae ad regimen seu administrationem eparchiae spectant, non datur appellatio, ne ratione quidem refectionis damnorum, sed tantum recursus.

§ 2. De recursu, de quo in § 1, qui fiat ad Sedem Apostolicam, vident exclusive Sacrae Congregationes.

ARTICULUS I

De tribunali ordinario primae instantiae

1 - De iudice

Can. 37

§ 1. In unaquaque eparchia et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Hierarcha, qui iudiciariam potestatem exercere potest etiam per alios in tribunali unius iudicis vel plurium secundum canones qui sequuntur.

§ 2. Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mensae seu domus vel curiae eparchialis extra patriarchatus et archiepiscopatus, controversia dirimenda deferatur ad tribunal appellationis.

Can. 38

§ 1. I° Erectio tribunalis, quod pro pluribus eparchiis sit seu regionalis, reservatur Sedi Apostolicae aut Episcopis in Synodo congregatis cum approbatione Sedis Apostolicae;

2° Hierarchae eparchiarum pro quibus tribunal regionale erectum est nequeunt tribunal collegiale sua in eparchia valide erigere.

§ 2. Nominatio iudicum, promotoris iustitiae -et defensoris vinculi in tribunali regionali spectat ad Patriarcham vel Archiepiscopum de consensu Synodi permanentis, aut, extra patriarchatus et archiepiscopatus, ad Metropolitam de consensu duorum, ordine praecedentiae, priorum provinciae Episcoporum; ceterorum administrorum nominatio spectat, iuxta casus, ad unum Patriarcham, vel Archiepiscopum vel Metropolitam.

Can. 39

§ 1. Locorum Hierarchae iurisdictionem in eodem territorio intra patriarchatus obtinentes convenire inter se possunt de constituendo tribunali unico quod causas sive contentiosas sive criminales fidelium cuiusvis ritus alicui ex iisdem locorum Hierarchis subiectorum, cognoscat.

§ 2. Nominatio administrorum huius tribunalis et tempus ad quod iidem in officio perdurent ab iisdem locorum Hierarchis fieri seu determinari debet.

Can. 40

§ t. Quilibet loci Hierarcha potest vicarium iudicialem constituere cum potestate ordinaria iudicandi, a Syncello distinctum, nisi parvitas eparchiae aut paucitas negotiorum vel alia gravis causa suadeat ut hoc officium ipsi Syncello committatur.

§ 2. Vicarius iudicialis unum constituit tribunal cum Hierarcha loci : sed nequit iudicare causas quas Hierarcha sibi reservat.

§ 3. Vicario iudiciali dari possunt adiutores, quibus nomen est vices gerentium vicarii.

§ 4. Tum vicarius iudicialis tum eiusmet vices gerentes esse debent sacerdotes integrae famae, in iure saltem canonico doctores vel ceteroquin periti, annos nati non minus triginta, prudentia et iustitiae zelo probati.

§ 5. Sunt amovibiles ad nutum Hierarchae loci; vacante sede, a munere non cessant, nec ab Administratore eparchiae vacantis amoveri possunt ; adveniente autem novo loci Hierarcha, indigent confirmatione.

§ 6. Qui Syncellus est idemque vicarius iudicialis, sede vacante cessat quidem a Syncelli, non autem a vicarii munere.

§ 7. Si vicarius iudicialis designetur in Administratorem eparchiae vacantis, ipse novum nominare potest vicarium.

Can. 41

§ 1. In qualibet eparchia, nonnulli presbyteri integrae famae et in iure canonico periti, etsi alius eparchiae, nominentur ut in litibus iudicandis partem habeant; quibus nomen est iudicum eparchialium.

' § 2. 1° Iudices eparchiales in Conventu seu Synodo eparchiali constituantur, propositi ab Episcopo, a Conventu approbati, salvo iure particulari disponente ut eorum officium a sodalibus Consistorii episcopalis impleatur;

2° Ad officium iudicis eparchialis designari potest presbyter etiam alius eparchiae, de consensu tamen sui Hierarchae.

§ 3. Tot eligantur quot Episcopus prudenti suo iudicio necessarios iudicaverit, non tamen infra quatuor.

Can. 42

§ 1. Iudicibus eparchialibus medio tempore inter unum et alium Conventum eparchialem demortuis vel alia ratione ab officio cessantibus, alios Episcopus substituat auditis consultoribus eparchialibus.

§ 2. Haec norma servetur etiam in iudicibus eparchialibus constituendis quoties Conventus eparchialis non habeatur.

Can. 43

§ 1. Iudices eparchiales, sive in Conventu eparchiali sive extra Conventum constituti, post decem annos a suscepto officio vel etiam prius adveniente novo eparchiali Conventu eodem cadunt ; possunt tamen negotium iam coeptum ad exitum perducere et, servatis de iure servandis, denuo constitui.

§ 2. Qui loco iudicum eparehialium deficentium constituantur, in officio persistunt dumtaxat quousque perstitissent ii quibus substituti fuerunt.

Can. 44

Iudices eparchiales removeri ab Episcopo possunt gravi de causa et auditis, nisi contrarium opportunum ipse duxerit, eparchialibus consultoribus.

Can. 45

Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores consulentes sibi adsciscere potest; quos tamen ex iudicibus eparchialibus deligere debet.

Can. 46

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, ^tribunali collegiali trium iudicum reservantur :

I° Causae contentiosae : *a)* de vinculo sacrae ordinationis et oneribus eidem adnexis; ö) de vinculo matrimonii, firmo can. 498; c) de separatione coniugum; *d)* de statu personarum, de natalibus, legitimatione prolis, de iuribus et praecipue de dote vel de alimentis a validitate matrimonii dependentibus; *e)* de iuribus aut bonis temporalibus cathe-

dralis ecclesiae ; /) de iure fundationis seu patronatus ad personam moralem spectante; *g)* de re patrimoniali cuius pretium excedit summam decem milium francorum aureorum ;

2° Causae criminales : *a)* de privatione beneficii inamovibilis ; *b)* de delictis quae depositionis minoris seu depositionis simplicis, privationis perpetuae habitus ecclesiastici, vel depositionis maioris seu degradationis poenam important; *c)* de irroganda vel declaranda excommunicatione.

§ 2. Loci Hierarcha, incluso Syncello si habuerit mandatum speciale, certam causam, difficiliorem vel implicatiorem, videndam, ad rormam iuris, ab unico iudice, committere potest iudicio trium iudicum.

§ 3. Duos iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt, inter iudices eparchiales Hierarcha designet ex ordine per gyrum seu *turnum,* nisi pro sua prudentia aliter opportunum existimaverit.

Can. 47

Hierarcha loci, utraque parte petente, concedere poterit ut aliae quoque causae tribunalis collegialis iudicio subiiciantur.

Can. 48

§ 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad maiorem suffragiorum numerum sententias ferre.

§ 2. Eidem praeest vicarius iudicialis vel eius vices gerens.

Can. 49

§ 1. Tribunalis collegialis praeses, nisi ipse velit id officium gerere, debet unum de iudicibus tribunalis collegialis ponentem designare.

§ 2. Idem praeses potest ponenti alium ex iuxta causa substituere.

Can. 50

§ 1. Ponens processum dirigit et decernit quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt.

§ 2. Ponens in conventu iudicum de causa refert et sententiam in scriptis redigit.

Can. 51

§ 1. Si controversia sit inter religiosos eiusdem monasterii sui iuris, iudex primae instantiae est Superior eiusdem monasterii; si inter monasteria eiusdem confoederationis, est praeses eiusdem confoederationis ; si inter monasteria stauropegiaca non confoederata, est ille quem Patriarcha designaverit.

§ 2. I° Si controversia sit inter domus vel religiosos eiusdem exempti clericalis Ordinis vel Congregationis, iudex primae instantiae, nisi aliud in statutis caveatur, est Superior provincialis ;

2° Salvo diverso statutorum praescripto, si res contentiosa agatur inter duas provincias, in prima instantia iudicabit supremus religionis Moderator, qui potest causam aliis committere.

§ 3. Firmo can. 16 § 1, n. 2 et can. 19 nn. 2-4, si controversia enascatur inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis, aut etiam inter eiusdem non exemptae Congregationis personas physicas vel morales vel inter eiusdem mulierum monasterii vel Ordinis personas physicas vel morales, aut inter religiosum et clericum saecularem vel laicum, iudex primae instantiae est Hierarcha loci.

2 - De auditoribus

Can. 52

§ 1. Potest Hierarcha unum aut plures auditores, seu actorum instructores, sive stabiliter sive pro certa aliqua causa constituere.

§ 2. Iudex auditorem eligere potest tantummodo pro causa quam cognoscit, nisi Hierarcha iam providerit.

Can. 53

Auditores pro tribunali eparchiali, quantum fieri potest, deligantur ex iudicibus eparchialibus ; pro tribunali vero religiosorum deligendi semper sunt ex professis eiusdem religionis ad normam statutorum.

Can. 54

Eorum est testes citare et audire, aliaque acta iudicialia instruere secundum tenorem mandati, non autem sententiam definitivam ferre.

Can. 55

Auditor quovis litis momento ab ofiicio removeri potest ab eo qui eundem elegit, iusta tamen de causa, et citra partium praeiudicium.

3 - De notario, promotore iustitiae, vinculi defensore

Can. 56

§ 1. Cuilibet processui interesse oportet notarium, qui actuarii officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si non fuerint ab eo subscripta.

§ 2. Quare iudex, antequam causam cognoscere incipiat, actuarium assumat unum e notariis legitime constitutis, nisi ipse Hierarcha aliquem ad eam causam iam designaverit.

Can. 57

Constituatur in eparchia *promotor iustitiae* ad causas tum criminales tum contentiosas in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest.

Can. 58

§ 1. In causis criminalibus promotor iustitiae gerit partes accusatoris, eo tendens ut delinquentes iuste puniantur.

§ 2. Licet vero eius sit accusare et sustinere ex officio accusationem, id tamen praestare non debet, si censeat accusationem prorsus fundamento destitui.

Can. 59

§ 1. In causis contentiosis Hierarchae est ferre iudicium de eo utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae ex natura rei evidenter necessarius dicendus sit, ut in causis impedimenti ad matrimonium contrahendum, separationis inter coniuges, piae fundationis quod attinet ad eius exsistentiam, iuris fundationis seu iurispatronatus propter libertatem Ecclesiae tuendam, etc.

§ 2. Si in praecedentibus instantiis intervenerit promotor iustitiae^ huius interventus praesumitur necessarius.

Can. 60

§ 1. Promotor iustitiae in causis contentiosis bonum publicum tuetur. Itaque, quoad fieri potest, salva rei veritate, defendit e re nata iura matrimonii, piarum fundationum, Ecclesiae.

§ 2. Si causa plura capita complectatur, quorum quaedam dumtaxat ad bonum publicum spectant, de iis tantum promotor iustitiae curabit.

Can. 61

In causis contentiosis, ad tuendum bonum publicum, praeter promotorem iustitiae, admitti possunt ab Hierarcha, eodem promotore audito, aliae personae praesertim morales.

Can. 62

Ad causas in quibus agitur de vinculo sacrae ordinationis aut matrimonii, constituatur in eparchia *defensor vinculi.*

Can. 63*

§ 1. In causis in quibus promotoris iustitiae ant defensoris vinculi praesentia requiritur, iis non citatis, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint.

§ 2. Si legitime citati aliquibus actibus non interfuerint, acta quidem valent, verum postea eorum examini subiicienda omnino sunt ut ea omnia sive voce sive scriptis possint animadvertere et proponere quae necessaria aut opportuna iudicaverint.

Can. 64

Msi aliud expresse caveatur :

I° Quoties lex praecipit ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam promotor iustitiae et vinculi defensor, si iudicio intersint, audiendi sunt;

2° Quoties instantia partis requiritur ut iudex quid decernere possit, instantia promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, qui iudicio intersint, eamdem vim habet.

Can. 65

§ 1. Eadem persona officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest, nisi obstet multiplicitas negotiorum et causarum.

§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum ad singulas causas.

Can. 66

§ 1. Hierarchae est promotorem iustitiae et vinculi defensorem nominare, qui sint presbyteri integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, ac prudentia et iustitiae zelo probati.

§ 2. In tribunali religiosorum promotor iustitiae sit praeterea eiusdem religionis professus.

Can. 67

§ 1. Promotor iustitiae et vinculi defensor constituti ad universitatem causarum a munere non cessant, sede episcopali vacante, nec ab Administratore eparchiae vacantis possunt removeri ; adveniente autem novo Hierarcha, indigent confirmatione.

§ 2. Iusta tamen de causa, Hierarcha loci eos removere potest.

4 - De cursoribus et apparitoribus

Can. 68

§ 1. Ad acta iudicialia intimanda, nisi alius sit probatus tribunalis mos, constituantur cursores sive ad omnes causas sive ad certam causam ; item apparitores ad sententias ac decreta iudicis, eo committente, exsecutioni mandanda.

§ 2. Eadem persona utroque officio fungi potest.

Can. 69

§ 1. Cursores et apparitores sint laici, nisi prudentia in aliqua causa suadeat ut ecclesiastici ad id munus assumantur.

§ 2. I° Cursores et apparitores sint integrae famae et omni exceptione maiores ;

2° Iidem ab Episcopo nominantur; removeri autem aut suspendi possunt, praeter quod ab Episcopo, ab eius successore aut Superiore, non autem ab Administratore eparchiae vacantis, nisi de consensu consultorum eparchialium.

Can. 70

Acta quae hi conficiunt, publicam fidem faciunt.

Can. 71

Iudices et ministri de quibus in can. 38 seqq., assumi possunt ex personis diversi quoque ritus.

ARTICULUS II

De tribunali ordinario secundae et tertiae instantiae

Can. 72

§ 1. 1° A tribunali, sive collegiali sive non collegiali, Episcopi comprovincialis appellari debet ad Metropolitam;

2° A tribunali eparchiae Patriarchae vel Archiepiscopi propriae et a tribunali locorum patriarchatus vel archiepiscopatus ubi eparchiae erectae non sunt appellari debet ad Patriarcham vel Archiepiscopum, firmo can. 73, § 2;

3° A tribunali Metropolitae Patriarchae vel Archiepiscopo subiecti fieri debet appellatio ad Patriarcham vel Archiepiscopum ;

4° A causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita aliove Hierarcha loci qui Superiorem infra Romanum Pontificem non habet, fieri debet appellatio ad tribunal ab ipso stabili modo cum approbatione Sedis Apostolicae electum;

5° A tribunali regionali, nisi aliud expresse statutum sit, appellatio fieri debet, iuxta casus, ad Patriarcham, ad Archiepiscopum vel ad Metropolitam;

6° A tribunali unico plurium rituum, de quo in can. 39 appellatio fieri debet ad tribunal designatum a Patriarchis partium diversi ritus in causa.

§ 2. Inter monasteria vel monachos, tribunal secundae instantiae :

I° Pro causis coram Superiore monasterii sui iuris non confoederati actis, est penes ioci Hierarcham, si agatur de monasterio iuris eparchialis vel pontificii exemptione pontificia non fruente; penes Patriarcham, si de monasterio stauropegiaco vel de monasterio exemptione pontificia fruente;

2° Pro causis coram Superiore monasterii sui iuris confoederati actis, est penes praesidem ipsius confoederationis monasticae ;

3° Pro causis coram praeside confoederationis monasticae actis, est tribunal eparchiale si confoederatio non sit exempta ; secus, est tribunal patriarchale de quo in can. 19.

§ 3. Inter domus vel sodales eiusdem exempti Ordinis vel Congregationis, tribunal secundae instantiae pro omnibus causis actis coram Superiore provinciali, est penes supremum Moderatorem religionis.

§ 4. Pro causis vero de quibus in can. 51, § 3, servetur praescriptum huius canonis § 1.

Can. 73

§ 1. A tribunali Patriarchae vel Archiepiscopi iudicante in prima vel secunda instantia appellatio fieri potest ad Sedem Apostolicam vel ad alios iudices a Patriarcha vel Archiepiscopo nominatos, firma § 2.

§ 2. Quoties ipse Patriarcha vel Archiepiscopus partes iudicis per se egit, appellatio interponi debet ad Sedem Apostolicam.

Can. 74

Appellatio a sententiis de quibus in can. 17, § 1, n. 1, et § 2, et in can. 18, §§ 1, 3, fieri debet ad sedem Apostolicam.

Can. 75

Tribunal appellationis eodem modo quo tribunal primae instantiae constitui debet ; et eaedem regulae, accommodatae ad rem, in causae discussione servandae sunt.

Can. 76

Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet; si autem ab unico iudice, etiam in gradu appellationis ab unico iudice definienda est.

ARTICULUS III

De ordinariis Apostolicae Sedis tribunalibus

Can. 77

Romanus Pontifex pro toto orbe catholico ad normam can. 32 iudex est supremus, qui vel ipse per se ius dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per iudices a se delegatos.

1 - De Sacra Romana Rota

Can. 78

§ 1. Tribunal ordinarium a Romano Pontifice constitutum pro appellationibus recipiendis est Sacra Rota Romana, quae est tribunal collegiale constans certo Auditorum numero cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares.

§ 2. Ii sacerdotes esse debent laurea doctorali in utroque saltem iure praediti.

§ 3. Auditorum electio Romano Pontifici reservatur.

§ 4. Sacra Rota ius dicit aut per singula collegia trium Auditorum ex ordine seu per singulos *turnos,* aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua causa Summus Pontifex constituat.

Can. 79

§ 1. Firma § 2, Sacra Rota iudicat :

I° In secunda instantia causas quae a quorumvis Hierarcharum tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint et ad Sedem Apostolicam per appellationem legitimam deferantur;

2° In ultima instantia causas ab ipsa Sacra Rota et ab aliis quibusvis tribunalibus in secunda vel ulteriori instantia iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint.

§ 2. Causas quae ad fideles rituum orientalium spectant et per appellationes ad Sedem Apostolicam deferuntur, Sacra Rota iudicat in secunda et ulteriori instantia, si a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali ad eam remittantur.

§ 3. Hoc tribunal iudicat etiam in prima instantia causas de quibus in can. 16, § 1, aliasve quas Romanus Pontifex sive motu proprio, sive ad instantiam partium ad suum tribunal advocaverit et Sacrae Rotae commiserit ; easque, nisi aliud cautum sit in commissionis rescripto, Sacra Rota iudicat quoque in secunda et tertia instantia ope Collegiorum trium iudicum seu *turnorum* qui sibi invicem succedunt.

Can. 80

Causae maiores penitus excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

2 - De Signatura Apostolica

Can. 81

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal constat nonnullis S. E. B. Cardinalibus, quorum unus Praefecti munere fungitur.

Can. 82

§ 1. Apostolica Signatura videt potestate ordinaria :

1° De violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus Sacrae Eotae illatis eo quod actum nullum vel iniustum posuerint;

2° De exceptione suspicionis contra aliquem Sacrae E:>tae Auditorem ;

3° De querela nullitatis contra sententiam S. E. Eotae ;

4° De petitione restitutionis in integrum adversus S. E. Eotae sententiam quae in rem iudicatam transierit;

5° De recursibus adversus sententias Sacrae Eotae in causis matrimonialibus quas ipsa ad novum examen admittere renuit;

6° De conflictu competentiae qui oriatur inter tribunalia inferiora, ad normam can. 127, § 2.

§ 2. Videt ex potestate delegata de petitionibus per supplices libellos ad Eomanum Pontificem porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Sacram Eotam.

Can. 83

§ 1. In causa criminali, de qua in can. 82, § 1, n. 1, si forte locus sit iudicio appellationis, hoc obtinetur penes ipsum Supremum Tribunal.

§ 2. In casu suspicionis, Apostolica Signatura definit utrum sit locus recusationi Auditoris, necne; quo facto, iudicium ad Sacram Eotam remittit, ut, secundum suas regulas ordinarias, procedat, Auditore, contra quem exceptio mota fuit, in suo Collegio seu *turno* manente vel excluso.

§ 3. In casu querelae nullitatis aut restitutionis in integrum aut recursus de quibus in can. 82, § 1, n. 3, 4, 5, de hoc tantum iudicat num sit nulla sententia S. E. Eotae, num locus sit restitutioni vel recursus sit admittendus ; et nullitate declarata aut restitutione concessa vel admisso recursu, causam remittit ad Sacram Eotam, nisi Summus Pontifex aliter providerit.

§ 4. In examine supplicum libellorum Signatura, habitis opportunis notitiis et auditis iis quorum interest, decernit utrum precibus annuendum sit, necne.

Can. 84

§ 1. Supremi Tribunalis Signaturae sententiae suam vim habent, quamvis rationes in facto et in iure non contineant.

§ 2. Nihilominus sive ad instantiam partis sive ex officio, si res postulet, Supremum Tribunal edicere potest ut praedictae rationes exponantur secundum regulas Tribunalis proprias.

ARTICULUS IV

De ordinariis tribunalibus patriarchalibus et archiepiscopalibus

Can. 85

§ 1. In curia patriarchali constitui debet ad normam iuris tribunal patriarchale, a tribunali eparchiae Patriarchae propriae distinctum.

§ 2. Tribunal patriarchale proprios iudices, promotorem iustitiae et vinculi defensorem habeat, atque instructum sit auditoribus, notariis,, aliisque necessariis ministris.

§ 3. Iudicibus, auditoribus atque promotore iustitiae exceptis, ceteri in § 2 recensiti iidem esse possunt in tribunali patriarchali et eparchiali.

Can. 86

Patriarchae habere debent Synodum permanenter constitutam iudicandis causis quae ad normam canonum praesentium Litterarum Apostolicarum ad ipsam spectant.

Can. 87

§ 1. Synodus permanens constat ex Patriarcha praeside et quatuor Episcopis ad quinquennium nominatis.

§ 2. Horum Episcoporum duo ex residentialibus esse debent, designati ex ordine, ratione antiquioris episcopalis ordinationis.

§ 3. I° Ceterorum Episcoporum alter a Patriarcha libere nominatur : alter ab Episcopis Patriarchae subiectis ad normam canonum eligitur. Hi Episcopi, exacto quinquennio, ad idem officium iterum assumi possunt;

2° Eodem tempore ac modo, designetur Episcopus qui sodalem Synodi permanentis, a Patriarcha nominatum vel ab Episcopis electum, impeditum substituat.

§ 4. Synodi permanentis sodales esse non possunt :

1° Censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam ;

2" Carentes voce activa sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut particulari.

Can. 88

§ 1. Si Patriarcha impediatur quominus Synodo permanenti intersit, Synodi sessionibus praeest, firmo iure particulari, antiquior episcopali ordinatione inter Episcopos Synodi sodales, redintegrato quinario nu-

mero per Episcopum substitutum a Patriarcha ad normam can. 87, § 3, n. 2, designatum.

§ 2. 1° Quoties Episcopus Synodi permanentis sodalis impeditur quominus sessionibus Synodi intersit, substituitur, si sit ex duobus Episcopis de quibus in can. 87, § 2, Episcopus immediate ex ordine sequens; si sit ex ceteris substituitur Episcopus de quo in can. 87, § 3, n. 2;

2° Si cum Episcopus, Synodi sodalis, a Patriarcha vel ab Episcopis electus, tum eius substitutus impediantur quominus interesse possint Synodi sessioni, et urgeat negotii definitio, idem Episcopus suffragium mittat ad Patriarcham per litteras, aperiendas in Synodi sessione.

§ 3. Quoties Synodus permanens definire debet negotium quod personam alicuius Episcopi Synodi sodalis vel eius eparchiam tangat, hic quidem audiendus est, sed in Synodo ei substituatur alius Episcopus ad normam § 2.

Can. 89

Si quod negotium, ad Synodi permanentis competentiam pertinens, definiendum sit dum celebratur patriarchalis Synodus vel habetur Synodus electionum, negotii decisio Synodo permanenti reservatur.

Can. 90

§ 1. Ubi, ob aliquam gravem causam, Synodus permanens constitui non possit, causa perdurante, constituatur, Sede Apostolica praemonita, Consilium patriarchale quod Synodi permanentis vices in omnibus suppleat.

§ 2. Consilium patriarchale constat:

I° Ex Episcopo residentiali, ordinatione episcopali antiquiore inter Episcopos a Patriarcha dependentes;

2° Ex Episcopo ad normam canonum ab Episcopis residentialibus electo.

§ 3. Exacto quinquennio, pro Episcopo ratione antiquioris ordinationis episcopalis designato substituitur Episcopus residentialis ex ordine immediate sequens; Episcopus autem electus ab Episcopis residentialibus, ab iisdem ad idem officium iterum assumi potest.

Can. 91

Quae can. 85-90 de Synodo permanenti in patriarchatibus, de Consilio patriarchali et de tribunali patriarchali praescripta sunt, servari debent de Synodo permanenti in archiepiscopatibus, de Consilio archiepiscopali et de tribunali archiepiscopali.

ARTICULUS V

De tribunali delegato

Can. 92

Delegati iudices servare debent regulas statutas in can. 5-il, 13.

Can. 93

§ 1. Iudex a Sede Apostolica delegatus uti potest ministris constitutis in curia eparchiae in qua iudicare debet; sed potest etiam alios cuiusvis eparchiae et ritus quos maluerit eligere et assumere, nisi in delegationis rescripto aliud cautum sit.

§ 2. Iudex a Patriarcha delegatus, nisi aliter ferat delegationis rescriptum, uti potest ministris intra territorium mandantis degentibus.

§ 3. Iudices vero ab Hierarchis locorum delegati uti debent ministris curiae eparchialis vel aliis ab Hierarcha loci probatis, nisi loci Hierarcha in aliquo peculiari casu ob gravem causam proprios et extraordinarios ministros constituendos decreverit.

CAPUT IV

De modis evitandi iudicia

ARTICULUS I

De transactione

Can. 9-1

§ 1. Cum valde optandum sit ut lites inter fideles evitentur, proposita aliqua controversia quae privatum eorum bonum respiciat, iudex partes exhortetur ut per transactionem, si qua concordiae spes affulgeat, lis componatur.

§ 2. Huic officio iudex satisfacere poterit sive antequam partes in iudicium vocentur, sive cum primum iudicio steterint, sive denique quocumque tempore et efficacius et opportunius id tentari posse existimaverit.

§ 3. Convenit tamen dignitati iudicantis ut hoc negotium non ipse per se, regulariter saltem, suscipiat tractandum, sed ut illud alicui presbytero, praesertim ex iudicibus eparchialibus, committat.

Can. 95

In transactione serventur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri divino vel canonico adversentur et salvo praescripto canonum qui sequuntur.

Can. 98

§ 1. Transactio fieri valide nequit in causa :

1° Criminali;

2° De vinculo matrimonii;

3° De re beneficiaria, cum de ipso beneficii titulo disceptetur, nisi legitima accedat auctoritas ;

4° De rebus spiritualibus quotiescumque interveniat solutio rei temporalis.

§ 2. Sed si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis et de iis rebus quae etsi spiritualibus sunt adnexae, seorsum tamen a spiritualibus considerari queunt, transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, solemnitatibus a iure statutis de alienatione rerum ecclesiasticarum.

Can. 97

§ 1. Effectus transactionis ad exitum feliciter perductae dicitur *compositio* seu *concordia.*

§ 2. Expensarum, quas transactio postulaverit, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat.

ARTICULUS II

De compromisso in arbitros

Can. 98

§ 1. Qui controversiam inter se habent, possunt scripto convenire ut ea ab arbitris dirimatur.

§ 2. Idem scripto convenire possunt qui contractum inter se ineunt vel inierunt, quod attinet ad controversias ex eo contractu forte orituras.

Can. 99

Nequeunt in arbitros compromitti controversiae de quibus transactio fieri vetatur.

Can. 100

§ 1. Unus vel plures arbitri constitui possunt, dispari tamen numero.

§ 2. In ipso compromisso, nisi nominatim designentur, debet saltem eorum numerus praefiniri et simul ratio statui qua nominandi sint.

Can. 101

Compromissum est irritum :

1° Si servatae non sint normae statutae ad validitatem contractuum, qui ordinariam administrationem excedunt;

2° Si scripto non sit exaratum ;

3° Si procurator sine mandato speciali in arbitros compromisit aut violata sint praescripta can. 99 vel 100 ;

4° Si controversia non sit vel orta, vel ex certo contractu oritura, ad normam can. 98.

Can. 102

§ 1. Si arbitri non sint in compromisso designati, vel si sufficiendi sint, et partes aliive, quibus designatio demandata est, dissentiant de omnibus vel nonnullis arbitris seligendis, quaelibet pars potest id tribunali quod competens esset ad causam definiendam in primo gradu committere, nisi partes aliter convenerint. Tribunal auditis ceteris partibus, decreto provideat.

§ 2. Eadem norma servanda est si qua pars aliusve negligat arbitrum designare, dummodo tamen ipsa pars quae ad tribunal recurrit, viginti saltem ante dies, suos arbitros, si forte debuit, designaverit.

Can. 103

§ 1. Ab arbitri munere prohibentur :

I° Minores;

2° Excommunicati, infames et exclusi ab actibus legitimis coram Ecclesia post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;

3° Laici in controversiis de quibus in can. 2, § 1, n. 1-2.

§ 2. Religiosi munus arbitri ne suscipiant sine licentia Superioris.

Can. 104

Arbitri nominatio vim non habet, nisi ipse scripto munus acceptet.

Can. 105

§ 1. Praeter obligationes compromisso statutas, arbitri iisdem tenentur obligationibus quibus iudices, nisi rei natura aliud ferat.

§ 2. Nisi sententia sit irrita propter gravem ipsorum culpam, arbitri ius habent :

1° Ad expensarum restitutionem; qua de re possunt sibi cavere ad normam can. 436, § 2;

2° Ad honoraria, dummodo ne scripto se obligaverint ad gratuitam operam praestandam.

§ 3. Partes obligatione in solidum tenentur expensas et honoraria solvendi, salvo iure regressus.

Can. 106

§ 1. Arbitri recusari possunt propter suspicionem, servato praescripto can. 143, § 1.

§ 2. De recusatione autem videt tribunal de quo in can. 102, § 1; quod, auditis arbitris recusatis et partibus, decreto quaestionem dirimat, arbitris quos suspectes declaret, nisi in compromisso aliud cautum sit, alios sufficiens.

Can. 107

§ 1. Msi partes aliter statuerint, arbitri rationem procedendi, libere seligunt; simplex autem ipsa sit, et breves termini, naturali aequitate servata, et legis processualis ratione habita.

§ 2. Arbitri quavis coercitiva carent potestate ; necessitate exigente, adire debent tribunal competens ad causam cognoscendam ut de poenis infligendis decernat.

§ 3. Praescripta can. 140, 265, § 3, 277, § 3 ad arbitrorum quoque iudicium, quatenus fieri possit, applicanda sunt.

Can. 108

§ 1. Quaestiones incidentes quae forte exoriantur in iudicio arbitrali ipsi arbitri decreto dirimant.

§ 2. Si autem quaestio praeiudicialis oriatur de qua compromitti in arbitros, ad normam can. 99, nequeat, arbitri debent supendere processum, donec de illa quaestione partes a iudice obtinuerint arbitrisque significaverint sententiam quae transierit in rem iudicatam, vel, si quaestio sit de statu personarum, sententiam quae exsecutioni mandari possit.

§ 3. Arbitri provisiones de quibus in can. 189-198 decernere non possunt; necessitate exigente, servetur praescriptum can. 107, § 2.

Can. 109

§ 1. Msi partes aliter statuerint, arbitri sententiam proferré debent intra sex menses a die quo omnes munus acceptaverint.

§ 2. Terminus prorogari potest a partibus; his autem dissentientibus, a tribunali de quo in can. 107, § 2, auditis partibus, dummodo prorogatio necessaria sit, nec tamen ultra tres menses.

§ 3. Decursus termini suspenditur si qui arbiter subrogandus sit, aut si casus eveniat de quo in can. 106, § 1, 108, § 2, 255, n. 1, 257 ; ipso iure autem pars termini quae superest ad viginti dies prorogatur, si sit minor.

§ 4. Si arbiter unicus, vel omnes subrogandi sint, terminus interrumpitur.

Can. 110

Arbitri sententiam ferre debent ad normam iuris.

Can. 111

§ 1. Arbitrorum sententia ad maiorem suffragiorum numerum fertur.

§ 2. Conscribi autem debet ad normam can. 396-398, quatenus res patitur, et addita mentione compromissi quo arbitrorum potestas innititur.

§ 3. Sententia a singulis arbitris subscribi debet; ad eiusmet autem validitatem requiritur et sufficit ut maior eorum numerus eidem subscribat, dummodo rationum, ob quas ceteri non subseripserunt, expressa mentio in eadem sententia fiat.

Can. 112

§ 1. Exaratae ab arbitris sententiae integer textus intra quindecim dies ad cancellariam tribunalis eparchiae ubi sententia data est deponi debet; et intra quinque dies a depositione, nisi certo constet sententiam nullitate insanabili affectam esse, vicarius iudicialis, per se vel per alium, decretum confirmationis proferat, partibus statim notificandum.

§ 2. Si vicarius iudicialis hoc decretum proferre recuset, vel si transactis decem diebus a deposita sententia decretum non ediderit, p¿irs cuius interest recurrere potest ad tribunal appellationis, servatis praescriptis can. 231, § 3, 232.

Can. 113

Data ab arbitris sententia, etiamsi eadem irrita declaretur, nec partes iure aliquo suo cadunt, nec terminorum lapsus habetur; sed sive illud sive hi suspenduntur, usque ad transactos decem dies ab illo, quo iudicialis sententia, quae illam arbitrorum nullam declaravit, in rem iudicatam transiit.

Can. 114

§ 1. Excepta sententiae correctione, de iuris remediis contra sententiam videt iudex qui competens est ad causam ab arbitris definitam in primo gradu iudicandam.

§ 2. Iudex qui huius sententiae nullitatem declaret, vel qui adversus eam concedat restitutionem in integrum, vel qui eam appellatione proposita reformandam ex toto vel ex parte censuerit, causam ipsam in primo gradu iudicare debet.

Can. 115

Arbitrorum sententiae correctio, in casibus de quibus in can. 402, § 1, peti potest a iudice loci in quo sententia data est, qui praescripta §§ 2-3 eiusdem canonis servare debet.

Can. 110

§ 1. Querela nullitatis sanabilis proponi potest, intra mensem a notificatione decreti de quo in can. 112:

I° Si compromissum sit irritum, firmo praescripto can. 117, § 1, n. 2;

2° Si violatae sint normae de quibus in can. 102, 103;

3° In casibus de quibus in can. 420, n. 2-4;

4° Si arbitri suae potestatis fines excesserint, vel terminos ad sententiam proferendam vel cancellariae tribunalis tradendam non servaverunt.

§ 2. Nequit autem proponi propter nullitates de quibus in n. 1 et 2, vel propter decursum termini ad sententiam proferendam, nisi a parte quae, ante sententiae pronunciationem, nullitatem arbitris denunciaverit.

Can. 117

§ 1. Querela nullitatis insanabilis proponi potest, servatis praescriptis can. 419 et 424, § 1 :

I° In casibus de quibus in can. 418, n. 2-3;

2° Si violatam sit praescriptum can. 99.

§ 2. Terminus ad querelam nullitatis insanabilis proponendam decurrit a notificatione decreti de quo in can. 112.

Can. 118

Restitutio in integrum proponi potest, in casibus can. 432 statutis, intra terminum unius mensis, ad normam eiusdem canonis supputandum.

Can. 119

Tertii oppositio admittitur secundum normas can. 425-428 statutas.

Can. 120

Appellatio a sententia arbitrali tunc tantum admittitur cum partes scripto inter se convenerunt sententiam huic remedio subiectum iri; quo in casu appellatio proponenda est intra decem dies a notificatione decreti de quo in can. 112, coram ipso iudice, qui decretum tulit; si autem alius sit iudex competens ad appellationem recipiendam, prosecutio coram eo intra mensem est facienda.

Can. 121

§ 1. Arbitrorum sententia contra quam appellatio non admittitur, transit in rem iudicatam statim ac decretum de quo in can. 112 prolatum sit.

§ 2. Arbitrorum sententia, contra quam appellatio admittitur, transit in rem iudicatam ad normam can. 429, n. 2.

Can. 122

§ 1. Arbitrorum sententiae exsecutio fieri potest in iisdem casibus quibus admittitur exsecutio sententiae iudicialis.

§ 2. Exsecutio pertinet ad Hierarcham loci in quo data est, nisi partes alium exsecutorem designaverit.

CAPUT V

De disciplina in tribunalibus servanda

ARTICULUS I

De officio iudicum et tribunalis ministrorum

Can. 123

Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium, ne recuset.

Can. 124

§ 1. Iudex antequam aliquem ad suum trahat tribunal et iudicaturus sedeat, videat utrum ipse sit competens, necne.

§ 2. Eodem modo antequam aliquem ad agendum admittat, cognoscere debet num is in iudicio possit iure consistere.

§ 3. Non est tamen necesse ut de his referatur in actis.

Can. 125

§ 1. Si exceptio proponatur contra iudicis competentiam, hac de re ipse iudex videre debet.

§ 2. In casu exceptionis de incompetentia relativa, si iudex se competentem pronuntiet, eius decisio non admittit appellationem.

§ 3. Quod si iudex se incompetentem declaret, pars quae se gravatam reputat, potest intra decem dierum spatium provocare ad tribunal appellationis.

Can. 126

Iudex quovis momento causae se absolute incompetentem agnoscens, suam incompetentiam declarare debet.

Can. 127

§ 1. Si inter duos pluresve iudices controversia oriatur quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, res definienda est a tribunali superiore in can. 72 designato.

§ 2. Quod si iudices, inter quos exsistit competentiae conflictus, subsint distinctis tribunalibus superioribus, controversiae definitio reservatur tribunali superiori illius iudicis, coram quo actio primo promota est ; si non habeant tribunal superius, conflictus dirimatur vel a Legato Romani Pontificis, si adsit, vel ab Apostolica Signatura.

Can. 128

§ 1. Index cognoscendam ne suscipiat causam in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et usque ad quartum inclusive gradum lineae obliquae, vel ratione tutelae et curatelae, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua antea advocatum, procuratorem, peritum vel testem egerit.

§ 2. In iisdem adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor, defensor vinculi, assessor et auditor.

Can. 129

§ 1. Firmo can. 82, § 1, n. 2, cum iudex, etsi competens, recusatur ut suspectus, de recusatione, si proponatur contra minorem plurium iudicum numerum, iudicare debent ceteri iudices de collegio, qui non sint suspecti; si contra vicarium iudicialem vel maiorem iudicum eparchialium numerum, loci Hierarcha; si contra auditorem, a iudice principali; si contra iudicem delegatum in causa unicum vel contra maiorem delegatorum iudicum numerum, ipse delegans.

§ 2. Si ipsemet Hierarcha sit iudex et contra ipsum exceptio suspicionis opponatur, vel abstineat a iudicando vel quaestionem suspicionis definiendam committat iudici appellationis.

§.3. Si exceptio suspicionis opponatur contra promotorem iustitiae, defensorem vinculi, assessorem aut alios tribunalis administros, de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.

Can. 130

§ 1. Si iudex unicus aut aliquis vel etiam omnes iudices qui tribunal collegiale constituunt suspecti declarentur, personae mutari debent, non vero iudicii gradus.

§ 2. Hierarchae autem est in locum iudicum qui suspecti declarati sunt, alios a suspicione immunes subrogare.

§ 3. Quod si ipsemet Hierarcha declaratus fuerit suspectus, idem peragat iudex appellationis.

Can. 131

Exceptio suspicionis expeditissime definienda est, auditis partibus, promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint, nec in ipsos suspicio cadat.

Can. 132

Quod ad tempus attinet quo exceptiones incompetentiae et suspicionis proponendae sint, servetur praescriptum can. 143.

Can. 133

In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis; sed in delictis, et in iis quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, etiam ex officio.

Can. 134

§ 1. Nisi lex aliud caveat, si actor pro re sua probationes quas afferre posset, non afferat, vel reus exceptiones sibi competentes non opponat, iudex ne suppleat excepto casu evidentis negligentiae vel doli partium, vitandae iniustae sententiae causa.

§ 2. Si vero agatur vel de publico bono vel de animarum salute, eas supplere potest et debet.

Can. 135

Iudices et tribunalia curent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur, utque in iudicio primae instantiae ultra biennium non protrahantur, in gradu vero appellationis ultra annum.

Can. 136

§ 1. Excepto loci Hierarcha qui per se potestatem iudiciariam exerceat, omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Hierarcha vel coram iudice a quo electi sunt, vel coram sacerdote ab alterutro designato, praestare debent; idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si ad peculiarem aliquam causam sint constituti.

§ 2. I° Etiam iudex a Sede Apostolica vel a Patriarcha delegatus idem iusiurandum praestare debet cum primum tribunal constituitur, adstante ipsius tribunalis notario, qui de praestito iureiurando actum redigat ;

2° Obligatio de qua in n. 1° tenet quoque iudicem ordinarium in monasteriis, in Ordinibus itemque in Congregationibus exemptis.

Can. 137

§ 1. Quotiescumque iusiurandum praestatur sive a iudicibus aut tribunalis administris, sive a partibus, testibus, peritis, semper emitti debet praemissa divini Nominis invocatione et tactis Cruce *D.* N. I. Ch. vel sancto Evangeliorum libro, aut, si ita ferat usus, tacto a sacerdotibus pectore.

§ 2. Iudex partem, testem aut peritum ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, tum etiam de poenis, quibus obnoxii fiunt qui falsum in iudicio iurati affirmant.

§ 3. Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam praestari debet coram eodem iudice aut eius delegato, adstante utraque aut alterutra parte, quae interesse iurisiurandi praestationi velit.

Can. 138

§ 1. In iudicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores obligatione tenentur servandi secretum officii.

§ 2. Tenentur etiam semper ad inviolabile secretum servandum de discussione quae in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis.

§ 3. Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebeatur ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, peritos, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.

Can. 139

Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii, munera quaevis acceptare prohibentur.

Can. 140

§ 1. Iudices qui, cum certe et evidenter competentes sint, ius reddere recusent, vel qui temere se competentes declarent, vel qui ex dolo aut gravi negligentia actum irritum cum aliorum detrimento vel actum iniustum ponant, aut aliud litigantibus damnum inferant, ad instantiam partis aut etiam ex officio, congruis poenis a competenti auctoritate puniri possunt, non exclusa officii privatione.

§ 2. Iudices qui secreti legem violare vel acta secreta cum aliis quoquo modo communicare praesumpserint, puniantur muleta pecuniaria aliisque poenis, privatione officii non exclusa, salvo iure particulari quo graviores poenae praescribantur.

§ 3. Iisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, *ut* supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.

Can. 141

Cum iudex praevidet actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum iri, potest, ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.

ARTICULUS II

De ordine cognitionum

Can. 142

Iudices et tribunalia debent causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae, nisi qua earum celerem prae ceteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto a iudice seu a tribunali statuendum est.

Can. 143

§ 1. Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, opponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emerserint aut pars iureiurando affirmet eas tunc tantum sibi innotuisse.

§ 2. Exceptio tamen de incompetentia iudicis absoluta a partibus opponi potest in quovis statu et gradu causae.

§ 3. Pariter exceptio excommunicationis opponi potest in quolibet iudicii statu et gradu, dummodo ante sententiam definitivam; imo si agatur de excommunicatis vitandis, aut toleratis contra quos sententia condemnatoria vel declaratoria lata fuerit, ii ex ofiicio semper excludi debent.

Can. 144

§ 1. Exceptiones peremptoriae, quae dicuntur *litis finitae,* veluti exceptio rei iudicatae, transactionis, etc., proponi et cognosci debent ante contestationem litis ; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnetur in expensas, nisi probet se oppositionem malitiose non distulisse-

§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae opponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.

Can. 145

§ 1. Actiones reconventionales satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante sententiam tamen proponi possunt.

§ 2. Cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc est pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut index opportunius existimaverit.

Can. 146

Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit, et aliae huiusmodi videndae regulariter sunt ante litis contestationem.

Can. 147

Quoties, proposita principali controversia, causa suboriatur, quae talis sit naturae et tali nexu cum controversia cohaereat ut ex eius solutione pendeat solutio propositae 'Controversiae, haec praeiudicialis causa ante omnia a iudice cognoscenda est.

Can. 148

§ 1. Si ex principali controversia quaestiones incidentes nascantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.

§ 2. Quod si nullo nexu logico inter se cohaereant, quae prius ab alterutra parte propositae sunt, illae antea definiantur.

§ 3. Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda.

ARTICULUS III

De terminis et dilationibus

Can. 149

§ 1. *Fatalia legis* quae dicuntur, idest termini perimendis iuribus a lege constituti, prorogari non possunt.

§ 2. Termini autem iudiciales et convenionales, ante eorum lapsum, poterunt, iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari.

§ 3. Caveat tamen iudex ne nimis diuturna lis fiat ex prorogatione.

Can. 150

Si dies, ad actum iudicialem indictus, sit feriatus nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum.

ARTICULUS IV

De loco et tempore iudicii

Can. 151

§ 1. Quamvis Episcopus in quolibet suae eparchiae loco, qui non sit exemptus vel stauropegiacus, ius habeat erigendi tribunal, nihilominus

penes suam sedem aulam statuat, quae sit ordinarius iudiciorum locus, ibique Crucifixi imago emineat, et adsit Evangeliorum liber.

§ 2. Iusta ex causa, Patriarcha et Archiepiscopus erigere possunt ad actum tribunal in quolibet sui patriarchatus vel archiepiscopatus loco.

Can. 152

Iudex e territorio suo vi expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, potest extra territorium iurisdictionem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Hierarcha.

Can. 153

§ 1. In unaquaque eparchia, Hierarcha publico decreto dies et horas definiri curet, pro adiunctis opportunas, quibus tribunal adiri regulariter possit, et ab eo iustitiae administratio exigi.

§ 2. Iusta tamen de causa, et quoties periculum est in mora, fas est fidelibus quovis tempore iudicis ministerium in sui iuris vel boni publici tutelam invocare.

Can. 154

§ 1. Dies festi de praecepto, et ultimi tres dies maioris hebdomadae feriati habeantur; et in iis citationes intimare, audientias habere, partes et testes excutere, probationes assumere, decreta et sententias ferre, denuntiare et exsequi vetitum est, nisi necessitas, christiana caritas, aut bonum publicum aliud postulent.

§ 2. Iudicis autem est in singulis casibus statuere et denuntiare, an et quae acta supra dictis diebus expleri debeant.

ARTICULUS V

De personis ad disceptationem iudicialem admittendis et de modo conficiendi et conservandi acta

Can. 155

§ 1. Dum causae coram tribunali aguntur, extranei ab aula arceantur et ii tantummodo adsint, quos ad processum expediendum iudex necessarios esse iudicaverit.

§ 2. Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et obedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente in id quis peccaverit, potest censuris quoque aliisve congruis poenis ad officium reducere, advocatos praeterea et procuratores etiam a munere apud tribunalia ecclesiastica exercendo suspendere.

Can. 156

§ 1. Si alieni actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligant, interpres adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit.

§ 2. Eadem norma servetur si interroganda sit surdus vel mutus, neque fieri possit aut expediat ut interrogatio fiat ad normam can. 301.

Can. 157

§ 1. Acta iudicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu *acta causae,* ut sunt sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu *acta processus,* ut citationes, intimationes, etc., scripto redacta esse debent.

§ 2. Nisi iusta causa aliud suadeat, quoad eius fieri potest, lingua officiali loci redigantur; sed interrogationes et responsiones testium, aliaque similia, lingua vernacula confici debent.

Can. 158

§ 1. Singula folia processus numerentur; et actuarii subscriptio cum sigillo tribunalis apponatur in unoquoque folio.

§ 2. Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.

§ 3. Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis hanc facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.

Can. 159

§ .1. In casu appellationis, actorum exemplaria ad normam can. 157, 158, conscripta et in fasciculum religata, cum indice omnium actorum et documentorum et %um testificatione actuarii seu cancellarii de eorum fideli transcriptione et integritate, mittantur ad superius tribunal; si exemplaria sine gravi incommodo exscribi nequeant, mittantur cum opportunis cautelis acta ipsa originalia.

§ 2. I° Si eo mittenda sint ubi vernacula lingua non sit cognita, acta ipsa in linguam ibi communiter cognitam vertantur, adhibitis cautelis ut de fideli translatione constet;

2° In causis in quibus appellans, qui ad Sedem Apostolicam provocat, ad patrocinium gratuitum iam admissus fuerit, versio actorum fit ex officio a tribunali coram quo acta ipsa exarata sunt.

Can. 160

§ 1. Iudicio expleto, documenta partibus restitui debent, nisi in criminalibus, bono publico ita exigente, iudex aliquod retinendum censuerit.

§ 2. Nisi iudici ob peculiares rationes aliud videatur, anonymae epistulae atque libelli quae nihil ad causae meritum conferunt, et etiam subscripta quae sint certo calumniosa, destruantur.

§ 3. Documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo curiae deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.

§ 4. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.

CAPUT VI

De partibus in causa

ARTICULUS I

De actore et reo convento

Can. 161

Quilibet potest in iudicio agere, nisi a sacris canonibus prohibeatur; reus autem legitime conventus respondere debet.

Can. 162

Licet actor vel reus conventus procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen debet in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.

Can. 163

§ 1. Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere debent eorum parentes aut tutores vel curatores.

§ 2. Si iudex existimet ipsorum iura esse in convictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut ipsos tam longe distare a parentibus aut tutoribus, vel curatoribus, ut hisce uti aut minime aut difficulter liceat, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.

§ 3. Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt sine patris vel tutoris consensu; et quidem, si aetatem quatuordecim annorum expleverint, etiam per seipsos; secus per tutorem decreto ab Hierarcha, praevia prudenti inquisitione, datum, vel etiam per procuratorem a se, Hierarchae auctoritate, constitutum.

Can. 164

Nomine personarum moralium, sive collegialium sive non collegialium, stat in iudicio rector vel administrator, firmo praescripto can. 168; in conflictu vero eorum iurium cum iuribus rectoris vel administratoris, procurator ab Hierarcha designatus.

Can. 165

Bonis interdicti, et ii qui minus firmae mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, "aut ad praescriptum iudicis: in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.

Can. 166

§ 1. Ut curator ab auctoritate civili alicui datus a iudice ecclesiastico valide admittatur, debet accedere consensus Hierarchae proprii illius cui datus est.

§ 2. Hierarcha potest quoque alium curatorem constituere pro foro ecclesiastico, si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit.

Can. 167

Religiosi sine Superiorum consensu persona carent in iudicio, nisi in casibus qui sequuntur:

1° Si de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione quaesitis agatur;

2° Si ipsi extra claustra legitime morentur et iurium suorum tuitio urgeat.

Can. 168

§ 1. Hierarchae locorum possunt nomine ecclesiae cathedralis aut domus episcopalis stare in iudicio; sed consultores eparchiales vel consilium administrationis audire aut eorum consensum obtinere debent, quando in periculo versatur pecuniae summa ad quam alienandam, eorumdem consensus aut consilium requiritur.

§ 2. Beneficiarii omnes nomine beneficii possunt in iudicio agere aut respondere praevia licentia scripto data Hierarchae loci, aut saltem, si res urgeat, protopresbyteri seu Vicarii foranei, qui statim Hierarcham de concessa licentia certiorem reddere debet.

§ 3. Praelati ac Superiores sodalitatum, confraternitatum, aliorumque sodalitiorum et quorumlibet collegiorum stare in iudicio nequeunt, nomine suae cuiusque communitatis, sine eiusdem consensu ad normam statutorum.

§ 4. Adversus eos de quibus in §§ 1-3, si sine praescripto consensu

aut consilio in iudicio egerint, piae causae aut communitati ius est ad refectionem damnorum.

§ 5. In casu vero defectus vel negligentiae illius qui administratoris munere fungitur, potest ipse loci Hierarcha per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum moralium quae sub eius iurisdictione sunt.

§ 6. Superiores religiosi nequeunt nomine suae communitatis stare in iudicio, nisi ad normam statutorum.

Can. 169

§ 1. Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis ; per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum ; in reliquis ab agendo repelluntur.

§ 2. Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt, nisi exceptio opponatur ad normam can. 143, § 3.

ARTICULUS II

De procuratoribus ad lites et advocatis

Can. 170

§ 1. In iudicio criminali reus aut a se electum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.

§ 2. Etiam in iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, iudex parti carenti defensorem ex officio constituat, aut, si casus ferat, parti etiam habenti alium adiungat.

§ 3. Praeter hos casus pars libere potest advocatum et procuratorem sibi constituere, sed potest quoque in iudicio per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

§ 4. At Episcopus, si quando in causa est, aliquem constituat, qui eius personam, procuratorio nomine, gerat.

Can. 171

§ 1. Unicum quisque potest constituere procuratorem, qui nequit alium sibimet substituere, nisi id eidem expresse permissum fuerit.

§ 2. Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem constituantur, hi ita designentur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.

§ 3. Advocati autem plures simul constitui queunt.

§ 4. Utrumque munus, procuratoris et advocati, etiam in eadem causa et pro eodem cliente eadem persona exercere potest.

Can. 172

§ 1. Procurator et advocatus esse debent catholici, aetate maiores, bonae famae ; acatholicus non admittitur, nisi per exceptionem et ex necessitate.

§ 2. Advocatus debet praeterea esse doctor vel alioqui vere peritus, saltem in iure canonico.

§ 3. Religiosus admitti potest sive ut procurator sive ut advocatus, nisi aliud in statutis caveatur, in causis tantum in quibus vertitur utilitas suae religionis, de licentia tamen Superioris.

Can. 173

§ 1. Quilibet a parte potest constitui procurator, dummodo secundum can. 172 idoneus sit, neque opus est ut Hierarchae approbatio antecesserit.

§ 2. Advocatus autem, ut ad patrocinium admittatur, indiget approbatione Hierarchae, quae aut generalis sit ad omnes causas aut specialis ad certam causam.

§ 3. In iudicio coram Sedis Apostolicae vel Patriarchae delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum, quo pars uti se velle ostenderit.

§ 4. Procurator et advocatus, in causis quae ad normam can. 51, §§ 1, 2, aguntur in religionis tribunali, eligendi sunt ex eadem religione et ante patrocinii susceptionem approbandi a iudice qui causam videt; in causis vero quae ad normam eiusdem canonis § 3 apud tribunal Hierarchae loci pertractantur, admitti potest etiam religioni extraneus.

Can. 174

§ 1. Procurator ne prius a iudice admittatur quam speciale mandatum ad lites scriptum, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.

§ 2. Quod si mandans scribere nesciat vel nequeat, hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum subsignent.

Can. 175

Mandatum procurationis asservari debet in actis causae.

Can. 176

Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, necesse est id munus a parte vel a iudice ad instar mandati procuratorii habeat, de qua commissione in actis constare debet.

Can. 177

Si quis, cum mandatum nequeat probare, libellum iudicialem ad iuris exstinctionem impediendam exhibere nomine alterius velit, vel singulos actus urgente necessitate ponere in processu, potest arbitrio iudicis admitti, praestita, si res ferat,.idonea cautione; actus autem qualibet vi caret, nisi, intra terminum peremptorium a iudice statuendum, mandatum rite probet.

Can. 178

Procuratori valide notificantur omnia acta processualia quae partibus notificari debent vel possunt, nisi iudex aliter statuat.

Can. 179

Quoties ius requirit speciale mandatum in procuratore ut certum actum ponere valeat, uti est renuntiare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, transigere, pacisci, compromittere in arbitros, deferre aut referre iusiurandum, procurator qui sine mandato actum illum ponit, nihil agit.

Can. 180

Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, iusta tamen de causa.

Can. 181

§ 1. Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.

§ 2. Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.

Can. 182

§ 1. Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei religiosae parte vindicata pacisci.

§ 2. Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice vel ab Hierarcha poterunt poena pecuniaria mulctari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari.

Can. 183

Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, a patrocinio exercendo suspendantur, et muleta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.

CAPUT VII

De actionibus et exceptionibus

Can. 184

Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.

Can. 185

§ 1. Qui ad rem sibi vindicandam, seu ad ius suum in iudicio persequendum titulo agit iuris auctoritate subnixo, actione dimicat quae *petitoria* dicitur.

§ 2. Si vero rei possessionem vel iuris quasi-possessionem postulat, eius actio *possessoria* vocatur.

Can. 186

§ 1. Actor pluribus simul actionibus, quae tamen secum ipsae non confligant, sive de eadem re, sive de diversis, reum convenire potest, si aditi tribunalis competentiam non egrediantur.

§ 2. Reus non prohibetur pluribus exceptionibus etiam contrariis uti.

Can. 187

§ 1. Actor potest una instantia cumulare actiones possessorias et petitorias, nisi spolii exceptio ex adverso opponatur.

§ 2. Pariter potest reus conventus in petitorio, actorem reconvenire in possessorio; et vice versa, nisi res sit de spolio.

Can. 188

§ 1. Potest actor, antequam conclusum fuerit in causa, ab instituto iudicio petitorio regredi ad possessorium adipiscendae vel recuperandae.

§ 2. Imo ex iusta causa iudex etiam post conclusionem in causa, sed ante sententiam definitivam, hunc regressum permittere potest.

§ 3. Iudicis est, attentis partium allegationibus, aut utramque quaestionem unica sententia definire, aut prius uni, postea alteri satisfacere, prouti magis expedire ipsi videatur ad celeriorem et pleniorem iurium tuitionem et firmis praescriptis can. 148, § 3, 219, § 1.

ARTICULUS I

De rei sequestratione et inhibitione exercitii iuris et de necessariis alimentis ad tempus praestandis

Can. 189

§ 1. Qui probabilibus saltem argumentis ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibique damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur, ius habet obtinendi a iudice eiusdem rei sequestrationem.

§ 2. In similibus rerum adiunctis obtinere potest ut iuris exercitium alicui inhibeatur.

§ 3. Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris a iudice decerni potest ex officio, instante praesertim promotore iustitiae aut defensore vinculi, quoties bonum publicum id postulare videtur.

Can. 190

§ 1. Ad crediti quoque securitatem sequestratio rei admittitur, dummodo de creditoris iure manifesto constet et servata norma de qua in can. 451.

§ 2. Sequestratio extenditur etiam ad res debitoris quae quolibet titulo apud alias personas reperiantur, et ad res quae, licet debitoris non sint, ei tamen debentur.

Can. 191

Sequestratio rei et inhibitio exercitii iuris decerni nullatenus possunt, si damnum quod timetur, possit aliter reparari et idonea cautio de eo reparando offeratur.

Can. 192

Iudex potest ei cui sequestrationem rei vel inhibitionem exercitii iuris concedit, praeviam imponere cautionem de damnis, si ius suum non probaverit, resarciendis.

Can. 193

§ 1. Ad custodiam rei sequestrationi subiectae idoneus sequester, proponentibus partibus, a iudice designetur; si partes inter se dissentiant*, iudex ipse sequestrem deligat.

§ 2. Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea, cui iudex decreverit, reddere debet cum omni causa.

§ 3. Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.

Can. 194

Quoties introducta est petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem, iudex, auditis partibus, decreto statim exsequendo, statuere potest, idoneis si res ferat praescriptis cautionibus, ut interim necessaria alimenta praestentur, sine praeiudicio iuris per sententiam definiendi.

Can. 195

Proposita a parte vel a promotore iustitiae petitione ad obtinendum decretum de quo in can. 194, iudex, audita altera parte, expeditissime provideat, numquam autem ultra decem dies; quibus inutiliter transactis, aut petitione reiecta, patet recursus ad Hierarcham cui tribunal subiicitur, dummodo ipse ne sit iudex, vel, si quis malit, ad iudicem appellationis, qui item expeditissime decernant.

ARTICULUS II

De actionibus ex novi operis nuntiatione et damno infecto

Can. 196

§ 1. Qui ex aliquo novo opere damnum timet suae rei obventurum, potest illud iudici nuntiare ut opus interrumpatur, donec utriusque partis iura, iudicis sententia, definiantur.

§ 2. Is cui intimata fuerit prohibitio, continuo ab opere cessare debet ; sed, dummodo idonee caveat se in pristinum omnia restituturum si absoluto iudicio victus discesserit, poterit a iudice continuationem eiusdem impetrare.

§ 3. Nuntianti novum opus potest iudex praeviam imponere cautionem de damno, si ius suum non demonstraverit, resarciendo ; ad iuris autem probationes afferendas duo menses praefiniuntur, qui, ex iusta et necessaria causa a iudice, audita altera parte, prorogari vel reduci poterunt.

Can. 197

Si vetus opus magna ex parte immutetur, idem ius esto quod de novo opere can. 196 constitutum est.

Can. 198

Qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex alieno aedificio quod ruinam minatur, ex arbore aut ex alia re quacumque, actionem habet *de damno infecto* ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo, vel, si forte evenerit, resarciendo.

ARTICULUS III

De actionibus ob nullitatem actuum

Can. 199

Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis.

Can. 200

§ 1. Nullitas actus tunc tantum habetur, cum in eo deficiunt quae actum ipsum essentialiter constituunt, aut sollemnia seu condiciones desiderantur a canonibus ad validitatem requisitae.

§ 2. Nullitas alicuius actus non importat nullitatem actuum qui praecedunt aut subsequuntur et ab actu non dependent.

Can. 201

Qui actum posuit nullitatis vitio infectum, tenetur de damnis et expensis erga partem laesam.

Can. 202

Nullitas actus a iudice declarari non potest ex officio, nisi aut publice id intersit, aut agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum iure censentur.

Can. 203

Iudex inferior de confirmatione, a Eomano Pontifice actui vel instrumento adiecta, videre non potest, nisi Apostolicae Sedis praecesserit mandatum.

ARTICULUS IV

De actionibus rescissoriis et de restitutione in integrum

Can. 204

§ 1. Actionem ad rescissionem aetas positi ex metu gravi et iniuste incusso vel ex dolo, proponere potest :

1° Si agatur de actu inter vivos, ille qui metum vel dolum passus est eiusque heredes ;

2° Si agatur de actu mortis causa, quilibet cuius intersit.

§ 2. I° Eadem actione intra biennium uti potest, qui gravem ex contractu laesionem ultra dimidium ex errore passus est;

2° Si tamen alter contrahens offerat talem contractus emendationem, quae sufficiat ad laesionem reparandam, iudex debet a contractus rescissione abstinere.

Can. 205

Institui haec actio potest :

I° Contra eum qui metum intulit aut dolum patravit, quamvis ipse non in suum, sed in alterius commodum talia peregerit ;

2° Contra quemlibet malae fidei et etiam bonae fidei possessorem, qui res metu vel dolo extortas possidet, salvo iure regressus contra quemlibet usque ad ipsum metus vel doli auctorem.

Can. 206

Si is qui metum intulit aut dolum patravit, urgeat actus vel contractus exsecutionem;, parti laesae seu deceptae competit exceptio metus vel doli.

Can. 207

§ 1. Minoribus vel minorum iure fruentibus graviter laesis eorumque heredibus et successoribus, ad laesionem reparandam ex negotio seu actu valido rescindibili, praeter alia ordinaria remedia, suppetit remedium extraordinarium restitutionis in integrum.

§ 2. Hoc beneficium maioribus quoque conceditur quos deficit rescissoria actio aut aliud ordinarium remedium, dummodo iustam subesse causam et laesionem sibi imputandam non esse probaverint.

Can. 208

§ 1. Restitutio in integrum peti debet intra quadriennium ab adepta maiori aetate computandum, si agatur de minoribus; a die laesionis factae et cessati impedimenti, si de maioribus aut personis moralibus.

§ 2. Minoribus vel minorum iure fruentibus restitutio concedi potest a iudice etiam ex officio, audito vel instante promotore iustitiae.

Can. 209

Restitutio in integrum id efficit ut omnia revocentur in pristinum, idest restituantur in statum quo erant ante laesionem, salvis iuribus quae alii, bona fide, ante petitam restitutionem quaesiverint.

ARTICULUS V

De actionibus reconventionalibus

Can. 210

§ 1. Actio quam reus coram eodem iudice in eodem iudicio instituit contra actorem vel propter causae nexum cum actione principali vel

ad submovendam vel minuendam actoris petitionem, dicitur *reconventio.*

§ 2. Reconventio reconventionis non admittitur.

Can. 211

Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spolii.

Can. 212

Proponenda est iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi, ad actionem reconventionalem quod attinet, is sit absolute incompetens.

ARTICULUS VI

De actionibus seu remediis possessoriis

Can. 213

Qui ad possessionem alicuius rei adipiscendam, vel ad alicuius iuris exercitium obtinendum munitur titulo legitimo, petere potest, ut in rei possessionem vel iuris exercitium immittatur.

Can. 214

Non solum possessio, sed etiam simplex detentio praestat, ad normam canonum qui sequuntur, actionem vel exceptionem possessoriam.

Can. 215

§ 1. Qui annum integrum in possessione rei vel in quasi-possessione iuris manserit, si molestiam patiatur quominus suam possessionem vel quasi-possessionem retineat, habet actionem *retinendae possessionis.*

§ 2. Haec actio non admittitur nisi intra annum ab illata molestia adversus molestiae auctorem ut a molestiis desistat.

Can. 216

§ 1. Etiam qui vi, clam vel precario possidet, actione *retinendae possessionis* uti potest adversus quemlibet deturbatorem : non autem contra personam a qua ipse rem vi vel clam surripuit aut precario accepit.

§ 2. In causis quae ad bonum publicum spectant, iustitiae promotori ius est opponendi vitium possessionis adversus eum qui vi, clam vel precario possidet.

Can. 217

§ 1. Si inter duos controversia oriatur uter eorum possideat, ille in possessione praeferendus est qui intra annum frequentiores et potiores possessionis actus exercuit.

§ 2. In dubio iudex possessionem pro indiviso utrique parti attribuat.

§ 3. Si rei vel iuris indoles aut contentionum et rixarum periculum non patiantur ut litigantibus pro indiviso possessio interim attribuatur, iudex rem apud sequestrem deponi, aut iuris quasi-possessionem suspendi iubeat usque ad iudicii petitorii exitum.

Can. 218

§ 1. Qui vi aut clam quoquo modo a possessione rei vel quasi-possessione iuris deiectus est, adversus quemlibet spolii tuctorem vel rei detentorem habet actionem *recuperandae possessionis* /ei spolii et spolii exceptionem.

§ 2. Haec actio non admittitur praeterlapso anno postquam spolium passus rei notitiam habuit; exceptio, contra, perpetua est.

Can. 219

§ 1. Spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium,, obligatione respondendi non tenetur, nisi prius fuerit in suam possessionem restitutus.

§ 2. Spoliatus ut in possessionem restituatur, nil aliud probare debet, nisi spoliationem ipsam.

§ 3. Sed si in restitutione rei vel exercitii iuris aliquod occurat periculum (uti saevitiarum, cum vir contra uxorem postulat restitutionem coniugalis consortii), iudex, ad instantiam partis vel promotoris iustitiae, pro diversis adiunctis decernat aut restitutionem suspendi, aut rem vel personam apud sequestrem custodiri, donec causa petitorio iudicio definiatur.

Can. 220

Iudicia possessoria absolvenda sunt, citata dumtaxat adversa parte in iudiciis retinendae vel recuperandae; citatis vero omnibus iis quorum interest, in iudiciis adipiscendae.

ARTICULUS VII

De exstinctione actionum

Can. 221

In contentiosis actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione ad normam iuris; actiones autem de statu personarum nunquam exstinguuntur.

Can. 222

Omnis criminalis actio perimitur morte rei, condonatione legitimae potestatis, et praescriptione.

Can. 223

Firmo praescripto can. 4, de delictis Sacrae Congregationi S. Officii reservatis, tempus utile ad actionem criminalem proponendam est triennium, nisi agatur :

I° De actione iniuriarum, quae uno anno perimitur;

2° De actione ob delicta qualificata contra castitatem et iustitiam commutativam, quae quinquennio perimitur;

3° De actionibus ob simoniam vel homicidium, contra quae actio criminalis decem do perdurat.

Can. 224

Sublata per praescriptionem actione criminali :

1* Non est hoc ipso sublata actio civilis, forte ex delicto orta, ad damna resarcienda;

2° Hierarcha remedio uti adhuc potest non promovendi ad altiorem ordinem clericum, et, ad scandalum evitandum, prohibendi clerico exercitium sacri ministerii aut etiam eundem ab officio seu munere, ad normam iuris, amovendi.

Can. 225

§ 1. Praescriptio in contentiosis currit ex quo actio primum potuit iure proponi; in criminalibus, a die patrati delicti.

§ 2. Si delictum habeat tractum, non currit praescriptio, nisi a die qua delicti tractus cessaverit.

§ 3. In delicto habituali vel continuato praescriptio non decurrit nisi post ultimum actum; et conventus ob aliquem criminosum actum non praescriptum, tenetur de antiquioribus, qui cum eodem actu connectuntur, etiamsi singulatim sumpti ob praescriptionem excluderentur.

PARS II

DE IUDICIO CONTENTIOSO

SECTIO I

DE IUDICIO CONTENTIOSO IN GENERE

CAPUT I

De causae introductione

ARTICULUS I

De libello litis introductorio

Can. 226

Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio, ad normam canonum, proposita sit ab eo cuius interest, vel a promotore iustitiae.

Can. 227

Introducta causa ad normam can. 228 et seqq., iudex procedere potest ex officio, praeter alios casus iure expressos, in causis quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt, ad normam can. 133.

Can. 228

Qui aliquem convenire vult debet libellum competenti iudici exhibere, in quo controversiae obiectum proponatur, et ministerium iudicis ad deducta iura persequenda expostuletur.

Can. 229

§ 1. Qui scribere nescit, aut legitime impeditur quominus libellum exhibeat, ore petitionem suam coram tribunali proponere potest.

§ 2. Item in causis facilioris investigationis et minoris momenti ac propterea cito expediendis, iudicis arbitrio relinquitur petitionis admissio ore sibi factae.

§ 3. In utroque tamen casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus.

Can. 230

Libellus quo lis introducitur debet :

I° Exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur, et a quo petatur;

2° Indicare, summatim saltem, quo iure innitatur actor ad comprobanda ea quae allegantur et asseruntur;

3° Subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, nec non loco in quo actor vel eius procurator habitant, aut residere se dixerunt actorum recipiendorum gratia.

Can. 231

§ 1. Iudex vel tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam in iudicio non deesse, debet quantocius libellum aut admittere aut reiicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

§ 2. Si iudicis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere ; quod si iudex emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

§ 3. Adversus libelli reiectionem integrum semper est parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad tribunal appellationis; a quo, audita parte, et promotore iustitiae aut vinculi defensore, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

Can. 232

Si iudex continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit quo libellum admittit vel reiicit ad normam can. 231, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, lapsis quinque diebus a facta instantia, poterit recursum ad Hierarcham cui tribunal subiicitur, si ipse iudex non sit, vel ad tribunal appellationis interponere ut vel iudex ad definiendam causam adigatur vel alius in eius locum subrogetur.

ARTICULUS II

De citatione et denuntiatione actuum iudicialium

Can. 233

§ 1. Libello vel orali petitione admissa, locus est vocationi in ius seu citationi alterius partis.

§ 2. Quod si partes litigantes sponte coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes sponte sua iudicio adfuisse.

Can. 234

§ 1. Citatio fit a iudice, et libello litis introductorio inscribitur aut adiungitur.

§ 2» Denuntiantur autem reo, et, si sint plures, singulis.

§ 3. Debet insuper actori nota fieri, ut statuto die et hora ipse quoque coram iudice se sistat.

Can. 235

Si lis moveatur ei qui non habet liberam administrationem rerum, de quibus disceptatur, citatio denuntianda est ei qui ipsius nomine iudicium suscipere debet ad normam can. 163-169.

Can. 236

Quaelibet citatio est peremptoria; nec iteretur necesse est, nisi in casu de quo in can. 369.

Can. 237

§ 1. Citatio denuntietur per schedam, quae praeceptum iudicis parti conventae factum ad comparendum exprimat, indicans a quo iudice, ob quam causam saltem verbis generalibus, quo actore, reus, nomine et cognomine rite designatus, conveniatur; nec non locum, annum, mensem, diem et horam ad comparendum praefixam perspicue indicet.

§ 2. Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario.

Can. 238

Citatio duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur reo convento, altera asservetur in actis.

Can. 239

§ 1. Citationis scheda, si fieri poterit, per curiae cursorem tradenda est ipsi convento ubicumque is invenitur.

§ 2. Ad hoc cursor etiam fines alterius eparchiae ingredi potest, si iudex id expedire censuerit et eidem cursori mandaverit.

§ 3. Si cursor personam conventam non invenerit in loco ubi. commoratur, relinquere poterit citatoriam schedam alicui de eius familia aut famulatu, si hic eam recipere paratus sit ac spondeat se reo convento quamprimum schedam acceptam traditurum ; sin minus eam ad iudicem referat, ut transmittatur ad normam can. 241, 242.

Can. 240

Reus qui citatoriam schedam recipere recuset, legitime citatus habeatur.

Can. 241

Si ob distantiam vel aliam causam difficulter per cursorem tradi possit reo convento scheda citatoria, poterit iussu iudicis transmitti per tabellarios publicos, dummodo commendata et cum syngrapha receptionis, vel alio modo qui secundum locorum leges et condiciones tutissimus sit.

Can. 242

§ 1. Quoties, diligenti inquisitione peracta, adhuc ignoratur ubi commoretur reus, locus est citationi per edictum.

§ 2. Hoc autem fit affigendo per cursorem ad fores curiae schedam citationis ad modum edicti per tempus prudenti iudicis arbitrio determinandum et in aliqua publica ephemeride eam inserendo ; si vero utrumque fieri nequeat, alterutrum sufficiet.

Can. 243

§ 1. Cursor, cum in manu rei conventi citationis schedam relinquit, debet eam subsignare, adnotatis die et hora qua reo tradita est.

§ 2. Idem peragat si eam relinquat in manibus alicuius de familia aut famulatu rei conventi, addito insuper nomine personae cui schedam tradidit.

§ 3. Si citatio fiat per edictum, cursor in edicti calce signet quo die et hora edictum affixum ad fores curiae fuerit et quamdiu affixum manserit.

§ 4. Si reus receptionem schedae recuset, cursor schedam ipsam subsignatam, addito die et hora recusationis, iudici remittat.

Can. 244

§ 1. Cursor quae peregit ad iudicem referat in scriptis manu propria subsignatis, quae in actis serventur.

§ 2. Si per tabellariorum officium citatio transmittatur, asservetur in actis fides eiusdem officii.

Can. 245

Si scheda citatoria non referat quae in can. 237 praescribuntur aut non fuerit legitime intimata, nullius momenti sunt tum citatio tum acta processus.

Can. 246

Regulae superius statutae de rei citatione, ceteris quoque iudicii actibus, ,pro diversa tamen eorum natura, accommodandae et applicandae sunt, ut decretorum vel sententiarum denuntiationi aliisque huiusmodi.

Can. 247

Cum citatio legitime peracta fuerit aut partes sponte in iudicium venerint :

I° Res desinit esse integra;

2° Causa fit propria illius iudicis aut tribunalis, coram quo actio instituta est;

3° In iudice delegato firma redditur iurisdictio ita ut non exspiret resoluto iure delegantis;

4° Interrumpitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam iuris;

5° Lis pendere incipit ; et ideo statim obtinet principium : *lite pendente, nihil innovetur.*

CAPUT II

De litis contestatione

Can. 248

Obiectum seu materia iudicii constituitur ipsa litis contestatione, seu declaratione qua conventus petitioni actoris formaliter contradicit, animo litigandi coram iudice.

Can. 249

Ad litis contestationem sufficit ut partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inseratur petitio actoris et contradictio conventi, unde constet qua de re agatur seu quinam sint controversiae termini.

Can. 250

In causis tamen implicatioribus, in quibus petitio actoris nec perspicua sit nec simplex vel contradictio conventi difficultatibus scateat, iudex, ex officio aut ad instantiam actoris vel conventi, partes citet ad rite definiendos controversiae articulos, idest ad causae *dubia,* ut dicitur, *concordanda.*

Can. 251

§ 1. Si die dubiis concordandis praestituto, pars in ius vocata non compareat nec iustam absentiae excusationem alleget, contumax decla-

retur, et dubiorum formula statuatur ex officio, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem contumaci statim id notum fiat ex officio ut quas velit exceptiones contra dubiorum formulam possit proponere et a contumacia se purgare, intra tempus quod iudici congruum videatur

§ 2. Partibus praesentibus et in formula dubiorum concordibus, si iudex non contradicat, eius rei fiat mentio in decreto quo formula firmatur.

§ 3. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, fit locus quaestioni incidenti.

§ 4. Dubiorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita utraque vel altera parte eiusque rationibus perpensis.

Can. 252

Antequam litis contestatio locum habuerit, iudex ad testium auditionem aliarumve probationum receptionem ne procedat, nisi in casu contumaciae, aut nisi testium depositionem recipere oporteat, ne ipsa ob probabilem testis mortem, ob discessum eiusdem vel ob aliam iustam causam recipi postea nequeat, aut difficulter possit.

Can. 253

Lite contestata :

I° Haud licet actori libellum mutare, nisi, reo consentiente, iudex, iustis de causis, censeat mutationem esse admittendam, salva semper reo compensatione damnorum et expensarum, si qua debeatur. Libellus non censetur mutatus, si coarctetur aut mutetur probationis modus; si minuantur aut petitio aut accessoria petitionis; si facti adiuncta in libello pridem posita ita illustrentur, compleantur aut emendentur, ut controversiae obiectum idem remaneat; si praeter rem petatur foenus; si in locum rei petatur pretium aut aliquid aequivalens;

2° Iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis; quod quidem poterit, instantibus partibus, arbitrio suo prorogare, dummodo ne lis, ultra quam aequum sit, protrahatur ;

3° Possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; quapropter damnatus rem restituere, non solum rem ipsam, sed et rei fructus a litis contestatae tempore restituere debet et damna praeterea resarcire, si qua secuta fuerint.

CAPUT III

De litis instantia

Can. 254

Instantiae initium fit citatione ; finis autem omnibus modis, quibus iudicium terminatur, sed et antea instantia non solum interrumpí, verum etiam finiri potest sive peremptione sive renuntiatione.

Can. 255

Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab ofiicio cuius ratione agit :

I° Causa nondum conclusa, instantia interrumpitur, donec heres defuncti aut successor litem instauret;

2° Causa conclusa, instantia non interrumpitur, sed iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.

Can. 256

Si controvertatur cuinam ex clericis litigantibus ius sit ad beneficium et alter, lite pendente, moriatur, aut beneficio renuntiet, instantia non interrumpitur, sed contra superstitem eam prosequitur promotor iustitiae qui pro beneficii aut ecclesiae libertate dimicet, nisi beneficium sit liberae collationis Hierarchae et hic praeferat causam ut victam superstiti adiudicare.

Can. 257

Procuratore aut curatore a munere cessante, tamdiu interrupta manet instantia, quamdiu pars aut ii ad quos pertinet novum procuratorem vel curatorem nominaverint aut per se ipsi in posterum agere se velle professi fuerint.

Can. 258

Si. nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur in tribunali primae instantiae per annum aut in gradu appellationis per sex menses, instantia perimitur.

Can. 259

Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve minoribus aequiparatos, eaque ex ofiicio etiam declarari debet, salvo iure regressus ad indemnitatem adversus tutores, administratores, procuratores qui culpa se caruisse non probaverint.

Can. 260

Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae : imo haec vim habere possunt etiam in alia instantia, dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent nisi documentorum.

Can. 261

In casu peremptionis, quas quisque ex litigatoribus fecerit, has ipse ferat expensas perempti iudicii.

Can. 262

§ 1. In quolibet statu et gradu iudicii potest actor instantiae renuntiare; item tum actor tum reus possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.

§ 2. Renuntiatio ut valeat, peragenda est scripto, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, cum altera parte communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.

Can. 263

Renuntiatio a iudice admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae ; et obligat renuntiantem ad salvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.

CAPUT IV

De interrogationibus partibus in iudicio faciendis

Can. 264

§ 1. Iudex ad eruendam veritatem facti quod publice interest ut extra dubium ponatur, debet partes interrogare.

§ 2. In aliis casibus potest contendentes interrogare, etiam ex officio, vel ut illustretur probatio adducta vel ne iniustam ferat decisionem propter evidentem partium negligentiam vel dolum.

§ 3. Interrogatio partium fieri a iudice potest in quovis stadio iudicii ante conclusionem in causa ; post conclusionem in causa servetur praescriptum can. 385.

Can. 265

§ 1. Iudici legitime interroganti partes respondere debent et fateri veritatem, nisi agatur de delicto ab ipsis commisso.

§ 2. Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facien-

da sit haec recusatio, utrum iusta sit, an confessioni aequiparanda, necne, iudicis est aestimare.

§ 3. Pars, quae respondere debet, si illegitime respondere recusaverit aut si postquam responderit mendax reperta fuerit, puniatur, ad tempus a iudice pro rerum adiunctis definiendum, remotione ab actibus legitimis coram Ecclesia ; et si ante responsionem iusiurandum de veritate dicenda praestiterit, laicus interdicto personali, clericus suspensione plectatur.

Can. 266

§ 1. Quoties bonum publicum in causa est, iudex debet iusiurandum de veritate dicenda a partibus exigere; in aliis, potest pro sua prudentia.

§ 2. Post absolutus interrogationes iudex potest ab eo qui praestitit iusiurandum de veritate dicenda exigere iusiurandum de veritate dictorum sive circa omnes articulos sive circa aliquos tantum, quoties gravitas negotii aliave iusta causa id postulare videatur; debet autem in causis, in quibus bonum publicum vertitur, si forte iusiurandum de veritate dicenda omissum sit.

Can. 267

§ 1. Tum actor tum reus, tum etiam promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, super quibus pars interrogetur»

§ 2. In his articulis exarandis, admittendis et parti proponendis regulae cum proportione serventur quae in can. 295-304 statutae sunt.

Can. 268

Ad iusiurandum praestandum vel interrogationibus respondendum partes personaliter coram iudice se sistere debent, exceptis iis de quibus in can. 292, § 2, n. 1, 2.

CAPUT V

De probationibus

Can. 269

Non indigent probatione :

1° Facta notoria;

2° Quae ab ipsa lege praesumuntur;

3° Facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

Can. 270

§ 1. Onus probandi incumbit ei qui asserit.

§ 2. Actore non probante, reus absolvitur.

Can. 271

Probationes quae ad moras iudicio nectendas postulari videntur, ceu examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi non potest, iudex ne admittat, nisi hae probationes necessariae videantur quia ceterae deficiant aut satis non sint.

ARTICULUS I

De confessione partium

Can. 272

Assertio de aliquo facto, in scriptis aut ore ab una parte contra se et pro adversario coram iudice, sive sponte, sive iudice interrogante peracta, dicitur confessio iudicialis.

Can. 273

Si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, confessio iudicialis unius partis, dummodo libere et considerate facta, relevat alteram ab onere probandi.

Can. 274

Pars, aliquid confessa in iudicio, non potest contra confessionem suam venire, nisi aut ex continenti hoc faciat, aut probet confessionem ipsam vel carere condicionibus in can. 273 expressis vel errori facti esse adscribendam.

Can. 275

Confessio sive scriptis, sive ore, ipsimet adversario aut aliis extra iudicium facta, dicitur extraiudicialis : eaque in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus adiunctis, aestimare quanti facienda sit.

ARTICULUS II

De testibus et attestationibus

Can. 276

Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur, sub iudicis tamen moderatione, secundum modum praefinitum in canonibus qui sequuntur.

Can. 277

§ 1. Testes iudici legitime interroganti respondere et veritatem fateri debent.

§ 2". Salvo praescripto can. 279, § 3, n. 2, ab hac obligatione eximuntur :

I° Parochi aliique sacerdotes quod attinet ad ea quae ipsis manifestata sunt ratione sacri ministerii extra sacramentalem confessionem; civitatum magistratus, medici, obstetrices, advocati, notarii aliique qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;

2° Qui ex testificatione sua sibi vel coniugi vel consanguineis vel affinibus in quolibet gradu lineae rectae et in secundo gradu lineae obliquae, infamiam, periculosas vexationes, aliave mala valde gravia obventura timent.

§ 3. Testes iudici legitime interroganti scienter falsum affirmantes aut verum occultantes puniantur ad normam can. 265, § 3; eademque poena mulctentur omnes, qui testem vel peritum donis, pollicitationibus aut alio quovis modo inducere praesumpserint ad falsum testimonium dicendum aut ad veritatem occultandam.

1 - Qui testes esse possint

Can. 278

Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

Can. 279

§ 1. Ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo impuberes et mente debiles.

§ 2. Ut suspecti :

1° Excommunicati, periurii, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam;

2° Qui ita abiectis sunt moribus ut fide digni non habeantur;

3° Publici gravesque partis inimici.

§ 3. Ut incapaces :

I° Qui partes sunt in causa, aut partium vice funguntur, veluti tutor in causa pupilli, Superior aut administrator in causa suae communitatis aut piae causae, cuius nomine in iudicio consistit, iudex eiusve assistentes, advocatus aliique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt ;

2° Sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt ;

3° Coniux in causa sui coniugis, consanguineus et affinis in causa consanguinei vel affinis, in quolibet gradu lineae rectae et in secundo gradu lineae obliquae, nisi agatur de causis quae ad statum civilem aut canonicum personae spectant, cuius notitia aliunde haberi nequeat, et bonum publicum exigat ut habeatur.

Can. 280

Non idonei et suspecti audiri poterunt ex decreto iudicis, quo id expedire declaretur ; sed eorum testimonium valebit tantummodo ut indicium et probationis adminiculum, et regulariter iniurati audiantur.

2 - A quibus, quomodo, et quot testes induci et qui excludi possint

Can. 281

§ 1. Testes a partibus inducuntur.

§ 2. Possunt etiam induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam intersit.

§ 3. Sed ipse iudex, quoties agitur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigit, potest testes ex officio inducere ; itemque in casu de quo in can. 134, § 1.

§ 4. Pars, quae testem induxit, potest eius examini renunciare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testis examini subiiciatur.

Can. 282

§ 1. Si quis sponte compareat testimonii reddendi gratia, iudex poterit eius testimonium admittere vel repellere prout expedire censuerit.

§ 2. Debet autem testem, qui se sponte obtulerit, repellere cum comparere sibi videatur moras iudicio nectendi causa vel iustitiae et veritati quoquo modo officiendi.

Can. 283

§ 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina et domicilium tribunali indicentur; praeterea exhibeantur articuli argumentorum super quibus testes sint interrogandi.

§ 2. Si ne intra diem quidem peremptorium a iudice praestitutum, obtemperatum fuerit, postulatio deserta censetur.

Can. 284

Iudici ius et obligatio est nimiam multitudinem testium refrenandi.

Can. 285

Partes debent sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum-examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testimoniorum publicationem.

Can. 286

§ 1. Testes debent ex ofiicio excludi, si iudici liquido constet eos a testimonio ferendo prohiberi, salvo praescripto can. 280.

§ 2. Ast etiam, postulante adversario, testes excludendi sunt, si iusta exclusionis causa demonstretur, quae exclusio dicitur *reprobatio personae testis.*

§ 3. Pars nequit reprobare personam testis quem ipsa induxit, nisi nova reprobationis causa supervenerit; potest autem eius dicta reprobare.

§ 4. Reprobatio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerint, nec postea facta admittatur, nisi pars demonstret vel saltem iuramento affirmet defectum testis antea sibi notum non fuisse.

§ 5. Iudex autem reprobationis discussionem in finem litis reservet, nisi contra testem stet praesumptio iuris, aut defectus sit notorius vel statim ac facile probari possit vel postea probari nequeat.

Can. 287

Citatio testium fit ministerio iudicis, decreto interveniente, et intimanda est testibus ad normam can. 237-245.

Can. 288

§ 1. Testis rite citatus parere debet aut causam suae absentiae iudici notam facere.

§ 2. Testis inobediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere vel iusiurandum praestare vel attestationi subscribere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex eius inobedientia partibus obveniat.

3 - De iureiurando testium

Can. 289

§ 1. Testis, antequam testimonium edat, iusiurandum praestare debet de tota ac sola veritate dicenda, salvo praescripto can. 280.

§ 2. Partes earumve procuratores praestationi iurisiurandi testium assistere possunt, salvo praescripto can. 285.

§ 3. Testibus, si de iure partium mere privato agatur, poterit iusiurandum, partibus consentientibus, remitti.

§ 4. Sed etiam cum iusiurandum a teste non exigitur, iudex testem commonefaciat gravis obligationis, qua semper tenetur, veritatem dicendi.

Can. 290

Testes, tametsi iusiurandum praestiterint de veritate dicenda, poterunt nihilominus pro prudenti iudicis arbitrio, absoluto examine, adigi ad iusiurandum de veritate dictorum praestandum sive circa omnes articulos sive circa aliquos tantum, quoties gravitas negotii et editae testificationis adiuncta id postulare videntur.

Can. 291

Testes adigi etiam iureiurando possunt ad secretum servandum circa propositas interrogationes dataque responsa, usque dum acta et allegata publici iuris fiant; imo etiam perpetuo ad normam can. 138, § 3.

4 - De testium examine

Can. 292

§ 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede.

§ 2. Ab hac generali regula excipiuntur :

I° S. R. E. Cardinales et Patriarchae, Episcopi et personae illustres quae suae civitatis iure eximuntur ab obligatione comparendi coram iudice testificandi causa; ii omnes eligere ipsi possunt locum ubi testificentur, de quo iudicem certiorem facere debent ;

2° Qui morbo aliove corporis vel animi impedimento aut condicione vitae, uti moniales, tribunalis sedem adire nequeunt; ii domi audiendi sunt;

3° Qui extra eparchiam degentes, ad tribunalis sedem accedere sine gravi incommodo nequeunt; ii audiendi sunt a tribunali loci in quo commorantur ad normam can. 34, secundum interrogationes et instructiones a causae iudice transmissas ;

4° Qui in eparchia quidem commorantur, sed in locis ita dissitis a tribunalis sede, ut sine gravibus impensis vel gravi incommodo tribunalis sedem adire non possint. Hoc in casu iudex, nisi ipse sine gravibus impensis testes commode adire possit, debet propiorem aliquem sacerdofem dignum et idoneum designare, ut cum assistentia alicuius, qui actuarii munere fungatur, examen horum testium perficiat, transmissis pariter eidem interrogationibus faciendis, datisque opportunis instructionibus.

Can. 293

Examini te. t in m partes assistere nequeunt, nisi iudex eas admittendas- censuerit.

Can. 294

§ 1. Testes seorsum singuli examinandi sunt.

§ 2. Prudenti tamen iudicis arbitrio relinquitur post edita testimonia testes inter se aut cum parte conferre, seu comparare.

§ 3. Id autem fieri poterit si haec omnia simul concurrant :

I° Si testes inter se aut cum parte in re gravi et causae substantiam attingente dissentiant;

2° Si nulla alia facilior ad veritatem detegendam suppetat via;

3° Si scandali vel dissidiorum periculum non sit ex collatione pertimescendum.

Can. 295

§ 1. Examen fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius.

§ 2. In examine interrogationes non ab alio quam a iudice vel ab eo qui iudicis locum tenet, testibus deferendae sunt. Quapropter si partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi examini intersint et novas interrogationes testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponere debent, ut eas ipse deferat.

Can. 296

Testis primo interrogari debet non modo de generalibus personae adiunctis : de nomine, cognomine, origine, aetate, religione, condicione, domicilio, sed etiam quae ipsi cum partibus in causa sit necessitudo; deinde deferendae sunt interrogationes quae causam ipsam respiciunt et sciscitandum unde et quomodo ea quae asserit, habeat cognita.

Can. 297

Interrogationes breves sunto, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.

Can. 298

§ 1. Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.

§ 2. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri posse censeat.

Can. 299

Testes ore testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur ; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere.

Can. 300

Responsio ex continenti redigenda est scripto ab actuario non solum quod attinet ad substantiam, sed etiam ad ipsa editi testimonii verba, nisi iudex, attenta causae exiguitate, satis habeat unam depositionis substantiam referri.

Can. 301

Si testis sit surdus, mutus, vel surdus et mutus, interrogationes vel responsiones vel utraeque scripto fieri possunt, nisi iudex interpretis opera uti malit.

Can. 302

Actuarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis deque ceteris omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.

Can. 303

§ 1. Testi, antequam ab auditorio discedat, debent legi quae actuarius de iis quae ipse viva voce testatus est, scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

Can. 304

Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testimonia publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.

5 - De testimoniorum evulgatione eorumque reprobatione

Can. 305

§ 1. Cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, testimonia post absolutum omnium testium examen poterunt, decreto iudicis, statim evulgari.

§ 2. Sed poterit iudex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula fuerint absoluta, si id e re existimet, firmo can. *¿82.*

Can. 306

Post testimoniorum evulgationem :

I° Cessat ius reprobandi testis personam, excepto casu de quo in can. 286, § 4;

2° Sed est ius reprobandi testes sive quod attinet ad modum examinis, cum obiiciuntur regulae iuris in examine peragendo neglectae, sive quod attinet ad testificationes ipsas, cum testimonia arguuntur de falso aut de variatione, contradictione, obscuritate, defectu scientiae et similibus.

Can. 307

Reprobationem iudex decreto suo reiiciat, si eam futili inniti fundamento aut ad retardandum iudicium factam animadvertat.

Can. 308

Si iudicium reprobationis admittatur, iudex brevem terminum parti postulanti praestituat ad probandam reprobationem, et deinde procedat uti in aliis incidentibus causis.

Can. 309

Post evulgata testimonia, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, neque novi testes admittantur, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam; ex gravissima ratione in ceteris; et in quolibet casu omni fraudis et subornationis periculo remoto et audita altera parte; quae omnia iudex decreto suo definiat.

6 - De indemnitate testium

Can. 310

§ 1. Testis ius habet ad petendam compensationem impensarum, quas sustinuerit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.

§ 2. Iudicis est, auditis parte ac teste, et, si opus sit, etiam peritis, taxare indemnitatem et impensas testi solvendas.

Can. 311

Si intra peremptorium terminum a iudice praestitutum congrua pecuniae quantitas vel cautio ad normam can. 436, § 2, ab eo qui testes inducere vult deposita non sit, is testium examini renuntiasse censeatur.

7 - De testimoniorum fide

Can. 312

In aestimandis testimoniis iudex, requisitis, si opus sit, testimonialibus litteris, ante oculos habeat :

1° Quae condicio sit personae, quaeve honestas et an aliqua dignitate testis praefulgeat;

2° Utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de sua opinione, de fama, aut de auditu ab aliis;

3° Utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus, vel vacillans;

4° Denique utrum testimonii contestes habeat, an sit singularis.

Can. 313

Si testes inter se discrepent, iudex perpendat utrum testimonia inter se adversentur, an sint dumtaxat diversa vel mutuo adiuventur et compleantur.

Can. 314

§ 1. Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis.

§ 2. Si sub iuramenti fide duae vel tres personae, omni exceptione maiores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificentur de scientia propria, sufficiens probatio habetur; nisi in aliqua causa iudex ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem.

ARTICULUS III

De peritis

Can. 315

Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et iudicium requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 316

§ 1.* Indicis est peritos designare.

§ 2. Hanc designationem in causis mere privatis iudex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos designare pro causae natura et rei difficultate, dummodo ne sint pauciores numero ipsa lege constituto.

Can. 317

Peritorum est peritiam suam ad veritatis et iustitiae leges exigere, neque falsum affirmando neque verum occultando ; in quo si deliquerint, puniantur ad normam can. 265, § 3.

Can. 318

§ 1. Ad periti munus, ceteris paribus, deligantur, qui competentis magistratus auctoritate idonei fuerint comprobati.

§ 2. Ad periti munus assumi nequeunt :

I° Minores;

2° Qui a testimonio ferendo excluduntur ad normam can. 279 ;

3° Qui testes in eodem iudicio fuerunt vel futuri sint;

4° Qui in adiunctis inveniuntur de quibus in can. 35, 128, § 1.

Can. 319

§ 1. Possunt periti cum ob causas quibus testes, tum ob aliam iustam causam recusari. »

§ 2. Iudex suo decreto edicat utrum sit admittenda recusatio, necne, et, recusatione admissa, in locum periti recusati alium sufficiat.

Can. 320

§ 1. Periti demandatum munus suscipere censentur praestatione iurisiurandi de munere fideliter implendo.

§ 2. Partes non solum interesse possunt iurisiurandi praestationi, sed etiam exsecutioni muneris perito demandati, nisi aliud rei natura vel honestas exigat aut lex vel iudex statuat.

Can. 321

Post iusiurandum praestitum, si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa exsecutionem defugiant, tenentur damnorum.

Can. 322

§ 1. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Tempus intra quod examen perficiendum est et iudicium proferendum, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.

Can. 323

§ 1. Si dubitetur quis scriptum aliquod exaraverit, iudex, praeter scripturam quaestioni obnoxiam, assignet peritis, proponentibus partibus, scripturas cum quibus illa comparari seu conferri debeat.

§ 2. Si de scripturis, quae sint inter se comparandae, partes dissentiant, iudex seligat, comparationis gratia, eas, quas pars ipsa alias recognovit, aut quas qui accusatur auctor scripturae controversae, scripsit ut persona publica -et in archivis aut alio publico tabulario custodiuntur; aut eius subscriptiones quas ex fide notarii vel personae publicae constet coram ipsis fuisse exaratas.

§ 3. Quod si scripturae a partibus et a iudice pro comparatione designatae, peritorum iudicio, investigationi non sufficiant iudex, eum cui scriptura controversa tribuitur, ad instantiam partis aut etiam ex officio citet, ut manu propria coram iudice vel eius delegato scribat quidquid periti, iudex ipse, eiusve delegatus dictaturi sint.

§ 4. Qui scribere recusat, non probata legitima recusandi causa, perinde habetur ac si controversam scripturam suam esse confiteatur.

Can. 324

§ 1. Periti iudicium suum vel in scriptis proferre possunt, vel ore coram iudice ; sed si ore proferatur, statim in scriptis redigi debet a notario et a peritis subscribi.

§ 2. Peritus autem, praesertim si sententiam suam in scriptis protulerit, accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.

§ 3. Periti debent indicare perspicue qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis conclusiones ab ipsis prolatae nitantur.

Can. 325

Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi, lege non contradicente, iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat ; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint, diligenter adnotentur.

Can. 326

§ 1.* Si periti inter se discrepent, licet iudici aut peritioris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere.

§ 2. Idem potest iudex quoties periti post designationem in suspicionem inciderint vel impares atque non idonei muneri reperti fuerint.

Can. 327

§ 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordes, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Can. 328

Peritorum expensas et honoraria iudex, receptam uniuscuiusque loci consuetudinem ante oculos habens, ex bono et aequo taxare debet, salvo* iure recursus ad normam can. 440, § 1.

ARTICULUS IV

De accessu et recognitione iudiciali

Can. 329

§ 1. Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quoea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

§ 2. Si iudex iusserit ut pars vel tertius rem tribunali exhiberet, parte vel tertio recusante, servetur praescriptum can. 347 de parte recusante.

Can. 330

Iudex recognitionem peragere potest vel ipse per se vel per auditorem aut iudicem delegatum.

Can. 331

§ 1. Iudex, rem vel locum recognoscens, peritos adhibere potest, si ipsorum opera necessaria vel utilis videatur.

§ 2. Si periti adhibeantur, serventur, quantum fieri potest, quae* praescripta sunt can. 316-328.

Can. 332

Si iurgii vel perturbationis periculum pertimescendum iudici videatur, poterit ipse prohibere ne partes vel earum advocati iudiciali recognitioni intersint.

Can. 333

Iudex testes, vel ex officio accitos vel a partibus ante recognitionem rite productos, potest in ipso iudiciali accessu examini subiicere, si id expedire videatur ad pleniorem probationem aut ad removenda dubia •ob quae recognitio decerni debuit.

Can. 334

§ 1. Notarius diligenter curet ut constet ex actis quo die et hora recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae, recognitione durante, aut dicta aut peracta aut a iudice decreta sint.

§ 2. Peractae recognitionis instrumenta tum iudex tum notarius subscribant.

ARTICULUS V

De probatione per documenta

1 - De natura et fide documentorum

Can. 335

In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Can. 336

§ 1. Praecipua documenta publica ecclesiastica haec sunt :

1° Acta Summi Pontificis et Curiae Romanae et Hierarcharum in exercitio suorum munerum authentica forma exarata, itemque attestationes authenticae de iisdem actibus datae ab illis vel ab eorum notariis ;

2° Instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta;

3° Acta iudicialia ecclesiastica;

4° Inscriptiones collati sacramenti baptismi, chrismatis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii, mortis, quae habentur in regestis curiae vel paroeciae vel religionis, et attestationes scriptae ex iisdem desumptae et a parochis vel ab Hierarchis vel a notariis ecclesiasticis confectae aut earum exemplaria authentica.

§ 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

§ 3. Litterae, contractus, testamenta et scripta quaelibet a privatis confecta, privatorum documentorum numero habentur.

Can. 337

Documenta publica sive ecclesiastica sive civilia genuina praesumuntur, donec contrarium evidentibus argumentis evincatur.

Can. 338

Recognitio aut impugnatio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad modum causae principalis.

Can. 339

Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur.

Can. 340

Documentum privatum, sive agnitum a parte sive recognitum a iudice, eandem probandi vim habet adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab iis habentes, ac confessio extra iudicium facta; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos.

Can. 341

Si abrasa, correcta, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.

2 -- De productione documentorum
et actione ad exhibendum

Can. 342

Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint iaut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.

Can. 343

Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint.

Can. 344

§ 1. Si dubium excitetur utrum fideliter exscriptum sit exemplar, an non, iudex ad instantiam partis vel etiam ex ofiicio decernere potest, ut ipsum documentum exhibeatur, unde exemplar est desumptum.

§ 2. Si id fieri aut minime aut valde difficulter possit, iudex potest auditorem delegare aut loci Hierarcham rogare pro examine et collatione documenti, praescribens quibus de articulis et quemadmodum fieri debeat collatio; collationi vero partes assistere possunt.

Can. 345

Documenta communia quaeve de communi agunt negotio, ut testamenta et instrumenta quae respiciunt successiones, bonorum partitiones, contractus aliaque huiusmodi de quibus lis est inter partes, quilibet ex litigantibus potest postulare ut in iure exhibeantur ab ea parte quae illa possidere dicitur.

Can. 346

§ 1. Nemo tamen exhibere debet documenta etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam can. 277, § 2, n. 2, aut sine periculo violationis secreti servandi.

§ 2. Attamen si qua saltem documenti particula, quam produci intersit, describi possit, et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem exhibeatur.

Can. 347

§ 1. Si pars exhibere recuset documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, iudex, altera parte postulante vel etiam ex officio, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, ad normam can. 364 decernat, an et quomodo eiusdem documenti exhibitio facienda sit.

§ 2. Parte parere recusante, iudicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit.

§ 3. Quod si pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subiicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere.

ARTICULUS VI

De praesumptionibus

Can. 34S

§ 1. Praesumptio est rei incertae probabilis coniectura; eaque alia est iuris, quae ab ipsa lege statuitur ; alia hominis, quae a iudice coniicitur.

§ 2. Praesumptio iuris alia est iuris simpliciter, alia iuris et de iure.

Can. 349

Contra praesumptionem iuris simpliciter admittitur probatio tum directa tum indirecta; contra praesumptionem iuris et de iure, tantum indirecta, hoc est contra factum quod est praesumptionis fundamentum.

Can. 350

Qui habet pro se iuris praesumptionem, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam.

Can. 351

Praesumptiones, quae non statuuntur a iure, iudex ne coniiciat, nisi ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat.

ARTICULUS VII

De iureiurando partium

Can. 352

Si habeatur semiplena tantum probatio nec alia probationis adiumenta iam supersint, iudex aut iubeat aut admittat iusiurandum *suppletorium* ad probationes supplendas.

Can. 353

§ 1. Iudicis est decreto definire an et quando adiuncta concurrant, cur iusiurandum suppletorium deferri debeat.

§ 2. Defertur sive ex officio, sive ad instantiam partis.

§ 3. Regulariter deferatur ei qui pleniores habet probationes.

Can. 354

§ 1. Iureiurando suppletorio abstineat iudex, si de iure vel re magni pretii agatur aut de facto nimii momenti, aut si ius, res, factum non sit proprium personae cui iusiurandum esset deferendum.

§ 2. Huic iuriiurando maxime locus est cum adiuncta, quae civilem vel religiosum personae statum respiciunt, aliter comperiri nequeunt.

Can. 355

§ 1. Pars cui iusiurandum suppletorium defertur in rebus quae ad «ius statum civilem vel religiosum non pertinent, potest ex iusta causa illud recusare vel in adversarium referre.

§ 2. Quanti autem haec recusatio facienda sit, utrum iusta sit, an potius confessioni aequiparanda, iudicis est aestimare.

§ 3. Iusiurandum suppletorium, ab una parte praestitum, potest ab altera impugnari.

Can. 356

Si de iure ad damni reparationem constet, sed quantitas damni aestimari certe non possit, iudex potest parti quae damnum passa est, iusiurandum *aestimatorium* deferre.

Can. 357

In deferendo iureiurando aestimatorio :

I° Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2° Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, ante oculos habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

Can. 358

Non solum ante initam litem partes convenire possunt ut controversia per iusiurandum ab alterutra praestandum transigendo dirimatur, sed pendente quoque lite et in quolibet eius momento et statu, altera pars potest, iudice probante, alteri iusiurandum *decisorium* deferre, ea condicione ut quaestio sive principalis sive incidens, secundum iusiurandum decisa habeatur.

Can. 359

Decisorium iusiurandum deferri nequit, nisi :

I° De re, in qua cessio et transactio admittitur, et quae pro litigantium personis non sit nimii momenti seu pretii;

2° Ab eo qui cedere aut transigere potest ;

3° Ei, qui cedere vel transigere valet, quique pariter pro se non habet plenam probationem ;

4° De mera notitia facti aut de facto, quod proprium sit illius, cui iusiurandum defertur.

Can. 360

§ 1. Hoc iusiurandum potest a parte, a qua delatum est, revocari quousque praestitum non fuerit, et ab altera parte acceptari et praestari, vel minus, aut referri in adversarium.

§ 2. Praestito iureiurando, quaestio secundum iuratam formulam finita est, perinde ac si cessio aut transactio iudicialis intercessisset.

§ 3. Si iusiurandum recusetur nec referatur in adversarium, iudicis est aestimare quanti facienda sit recusatio, utrum iustis innitatur causis an potius confessioni sit aequiparanda.

§ 4. Si in adversarium referatur, hic debet illud praestare, secus causa cadit.

§ 5. Ut iusiurandum in adversarium referri possit, eaedem illae concurrant condiciones necesse est, quae ad illud deferendum requiruntur, atque idem intercedat iudicis ministerium.

CAPUT VI

De causis incidentibus

Can. 361

Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 362

Causa incidens proponitur vel ore vel per libellum, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, et servatis, quoad eius fieri poterit, regulis can. 228-247 statutis.

Can. 363

Iudex, libello vel petitione verbali receptis, auditis partibus, et, si opus sit, promotore iustitiae, vel vinculi defensore, secum deliberet num proposita incidens quaestio f utilis sit et ad retardandum principale iudicium unice excitata ; itemque num causa incidens talis sit naturae et tali nexu cum causa principali cohaereat, ut ante eam resolvi debeat. Si ita se res habeat, libellum vel instantiam admittat; aliter decreto suo eam reiiciat.

Can. 364

§ 1. Utrum incidens quae excitetur quaestio, definienda sit iudicii forma servata, an mero decreto, iudex, attenta rei qualitate et gravitate, aestimet.

§ 2. Si causa incidens sit iudicio definienda, regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt, quae in aliis iudiciis obtinent ; curet tamen iudex ut dilationum termini sint quam maxime breves.

§ 3. Iudex in decreto quo, non servata iudicii forma, vel reiicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat.

Can. 365

Antequam finiatur causa principalis, iudex interlocutoriam sententiam potest, iusta intercedente causa, corrigere aut revocare sive ex officio, auditis partibus, sive ad instantiam unius partis audita altera parte.

ARTICULUS I

De contumacia

Can. 366

Reus citatus qui sine iusta causa nec ipse per se nec per procuratorem comparet, contumax declarari potest.

Can. 367

§ 1. Non potest tamen iudex reum contumacem declarare nisi prius constiterit :

I° Citationem, legitime factam, tempore utili ad rei notitiam pervenisse aut saltem pervenire debuisse;

2° Reum absentiae excusationem afferre neglexisse aut non iustam attulisse.

§ 2. Haec comprobari possunt sive per novam citationem reo factam ut contumaciam suam, si possit, excuset, sive alio modo.

Can. 368

§ 1. Ad instantiam partis iudex rei contumaciam declarare potest, eaque declarata, procedere, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque exsecutionem.

§ 2. Si procedatur ad sententiam definitivam, lite non contestata, sententia respicere tantum debet petita in libello ; si lite contestata, ipsum contestationis obiectum.

Can. 369

Ad frangendam rei contumaciam iudex potest comminari ecclesiasticas poenas ; quo in casu, iteranda est rei citatio, cum comminatione poenarum; nec iam tunc licet aut contumaciam declarare aut, ea declarata, poenas irrogare, nisi probetur banc quoque secundam citationem suo effectu caruisse.

Can. 370

Rei a contumacia recedentis seqne in indicio sistentis ante causae definitionem, conclusiones probationesque, si quas afferat, admittantur; caveat autem iudex ne mala fide in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

Can. 371

Post latam vero sententiam contumax beneficium restitutionis in integrum ad appellandum ab ipso iudice qui eam tulit, petere potest, non ultra tamen tres menses ab ipsius sententiae intimatione, nisi agatur de causis quae non transeunt in rem iudicatam.

Can. 372

Regulis superius traditis etiam tum locus est cum reus, etsi primae citationi obtemperaverit, fit tamen postea progressu iudicii, contumax.

Can. 373

Si die et hora, qua reus secundum citationis praescriptum coram iudice primum se sistit, actor non adsit, nullamque vel insufficientem absentiae excusationem attulerit, iudex eum ad instantiam rei conventi citet iterum ; et si actor novae citationi non paruerit vel postea iudicium inchoare vel inchoatum prosequi neglexerit, instante reo convento vel promotore iustitiae aut defensore vinculi, contumax a iudice declaretur, iisdem servatis regulis quae supra traditae sunt pro rei contumacia, excepta tamen comminatione ecclesiasticarum poenarum.

Can. 374

§ 1. Actoris contumacia a iudice declarata perimit eiusdem actoris ius ad suam instantiam prosequendam.

§ 2. Permittitur tamen promotori iustitiae vel vinculi defensori instantiam facere suam eamque prosequi, quoties publicum bonum id postulare videtur.

§ 3. Reus autem exinde ius habet petendi ut vel libere possit a iudicio abire, vel nulla habeantur omnia eo usque gesta, vel definitive ipse absolvatur a petitione actoris, vel iudicium, absente quoque actore, ad finem adducatur.

Can. 375

§ 1. Qui contumax declaratus contumaciam suam non purgaverit, sive actor sit sive reus, condemnetur tum ad litis expensas, quae ob

suam contumaciam factae sunt, tum etiam, si opus sit, ad indemnitatem alteri parti praestandam.

§ 2. Si tum actor tum reus sint contumaces, ad expensas litis tenentur in solidum.

ARTICULUS II

De interventu tertii in causa

Can. 376

§ 1. Is cuius interest, admitti potest ad interveniendum in causa in qualibet litis instantia.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter de iure interveniendi ipsum edoceat.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum in qua probationes proponuntur pervenerit.

Can. 377

Si tertii interventus appareat necessarius, iudex ad instantiam partis vel etiam ex officio debet interventum in causa iubere.

ARTICULUS III

De attentatis lite pendente

Can. 378

Attentatum est quidquid, lite pendente, aut altera pars adversus alteram aut ipse iudex adversus alterutram vel utramque partem innovat, parte dissentiente et in eius praeiudicium; sive innovatio respiciat litis materiam, salvo tamen praescripto can. 189, 190, sive respiciat terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales.

Can. 379

§ 1. Attentata sunt ipso iure nulla.

§ 2. 1° Parti ex attentato laesae competit actio ad obtinendam declarationem nullitatis.

2° Actio haec instituenda est coram ipso iudice causae principalis; quod si ob attentatum pars laesa iudicem suspectum habeat, exceptionem suspicionis potest opponere, in qua procedendum est ad normam can. 130.

Can. 380

§ 1. Pendente quaestione de attentato, eursus causae principalis regulariter suspenditur, sed si iudici opportunius videatur, quaestio de attentato potest una cum causa principali pertractari et resolvi.

§ 2. Quaestiones de attentatis expeditissime sunt pertractandae et decreto iudicis definiendae, auditis partibus.

Can. 381

Demonstrato attentato, iudex decernere debet eius revocationem seu purgationem.

CAPÌTT VII

De processus publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione

Can. 382

Ante causae discussionem et sententiam omnes probationes quae sunt in actis et quae adhuc secretae permanserunt, sunt publicandae.

Can. 383

Concessa partibus earumque advocatis licentia acta iudicialia inspiciendi petendique eorum exemplar, intelligitur facta publicatio processus.

Can. 384

§ 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, ad *conclusionem in causa* deveniendum est.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes a iudice interrogatae declarent se nihil aliud deducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocunque modo ea acciderit, iudex decretum ferat.

Can. 385

§ 1. Post conclusionem in causa novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis quae nunquam transeunt in rem iudicatam aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus qui antea ob legitimum impedimentum tempore utili induci non potuerunt.

§ 2. Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit; aliter iudicium nullius est momenti.

Can. 386

§ 1. Facta conclusione in causa, iudex, pro suo prudenti arbitrio, partibus congruum, temporis spatium praestituat ad defensiones suas seu allegationes sive per se sive per advocatum exhibendas.

§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest instante una parte, audita altera; vel etiam coarctari, utraque consentiente.

Can. 387

§ 1. Defensio in scriptis est conficienda, et re ulariter tot exemplaribus conscribenda quot sunt iudices, ut singula angulis iudicibus possint exemplaria distribui.

§ 2. Sed etiam promotori iustiti ie et defensori vinculi, si iudicio intersint, debet exemplar tradi; praeterea partes inter se exemplaria commutare debent.

§ 3. Iudex et, in tribunali collegiali, ponens, quoties pro suo prudenti arbitrio necessarium censeat, et sine nimio partium gravamine fieri animadvertat, mandare potest ut defensio typis imprimatur una cum documentis principalibus in fasciculo coniungendis, qui actorum et documentorum summarium continet.

§ 4. Quo in casu iubeat ne quidquam imprimatur, nisi prius exhibito manuscripto et licentia illud publicandi obtenta; praeterea sedulo caveat de secreto, si quod sit in causa servandum.

Can. 388

Iudicis et in tribunali collegiali ponentis est moderari, pro sua prudentia, nimiam defensionum extensionem, nisi de hoc peculiari tribunalis lege sit cautum.

Can. 389

§ 1. Communicatis vicissim inter partes defensionum scripturis, utrique parti responsiones exhibere liceat, intra breve tempus a iudice praestitutum, et servatis regulis et cautelis de quibus in can. 387, 388.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio uni parti facta, alteri quoque data censetur.

Can. 390

§ 1. Advocati iudicem de adiunctis iuris et facti causam respicientibus privatim instruere prohibentur.

§ 2. Admittitur tamen moderata disputatio coram iudice pro tribunali sedente ad aliquid illustrandum, si eam iudex utilem censeat vel utraque pars postulet.

§ 3. Ad disputationem obtinendam partes exhibere debent in scriptis quaestionum capita cum altera parte discutienda paucis verbis expressa; iudicis autem est ea cum partibus communicare, ac diem et horam disputationi assignare et disputationem ipsam moderari.

§ 4. Disputationi assistat unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, scripto ad normam iuris ex continenti referre.

Can. 391

Si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant, aut se remittant iudicis scientiae et conscientiae, iudex, dummodo ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare.

CAPUT VIII

Be sententia

Can. 392

§ 1.Legitima pronuntiatio qua iudex causam a litigantibus propositam et iudiciali modo pertractatam definit, sententia est : eaque *interlocutoria* dicitur, si dirimat incidentem causam; *definitiva,* si principalem.

§ 2. Ceterae iudicis pronuntiationes *decreta* vocantur.

Can. 393

§ 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.

§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.

§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis.

§ 4. Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et reum dimittat, nisi agatur de causa favorabili, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est, et salvo praescripto» can. 217, § 2.

Can. 394

Sententia ferri a iudice debet, expleta causae disceptatione; et si causa sit implicatior et actorum mole difficilior, interponi potest congruum temporis intervallum.

Can. 395

§ 1. In tribuali collegiali, quo die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses constituat; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur.

§ 2. Assignato conventui die, singuli iudices scriptas afferant conclusiones suas et rationes tam in facto quam in iure, quibus ad conclusionem suam venerint : quae conclusiones actis adiungantur, secreto servandae.

§ 3. Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur moderata discussio sub tribunalis praesidis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem licet unicuique a pristina sua conclusione recedere.

§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum; qui tamen ultra hebdomadam differri non debet.

Can. 396

Si unicus sit iudex, ipsius tantum est sententiam exarare ; in tribunali vero collegiali servetur praescriptum caii. 50, § 2.

Can. 397

§ 1. Sententia debet :

I° Definire controversiam coram tribunali agitatam; hoc est reum absolvere aut condemnare quod attinet ad petitiones vel accusationes adversus eum prolatas, data singulis dubiis, seu controversiae articulis, congrua responsione;

2° Determinare (saltem quatenus fas sit et materia patiatur), quid pars damnata dare, facere, praestare, aut pati debeat, aut a quo abstinere; itemque quo modo, loco vel tempore obligatio implenda sit;

3° Continere rationes seu *motiva* quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur;

4° Statuere de litis expensis.

§ 2. In tribunali collegiali motiva a iudice qui sententiam conscribit desumantur ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi ab ipso iudicum maiore numero praefinitum fuerit quaenam sint motiva proferenda.

Can. 398

§ 1. Sententia ferri debet divino Nomine ab initio semper invocato.

§ 2. Dein exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal ; qui sit actor, reus, procurator, nominibus et domicilio rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.

§ 3. Referre postea debet breviter facti speciem cum partium conclusionibus.

§ 4. Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.

§ 5. Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus exarata est et cum subscriptione iudicis vel omnium iudicum, si plures fuerint, et notarii, ac sigillo tribunalis muniatur.

Can. 399

Regulae superius positae locum habent potissimum in proferenda sententia definitiva; sed applicantur etiam, quantum diversa res patitur, in proferenda interlocutoria.

Can. 400

Sententia, rite redacta, quamprimum publicetur.

Can. 401

Publicatio sententiae fieri potest vel citando partes ad audiendam sententiae lectionem sollemniter factam a iudice pro tribunali sedente ; vel partibus denuntiando sententiam esse penes cancellariam tribunalis, unaque facultatem ipsis fieri eandem legendi et eiusdem exemplar petendi; vel sententiae exemplar transmittendo ad partes ad normam can. 246.

CAPUT IX

De iuris remediis contra sententiam

Can. 402

§ 1. Errorem materialem qui inciderit vel in transcribendo parte dispositiva sententiae vel in referendis factis aut partium petitionibus aut in ponendis calculis, corrigere valet ipse iudex qui sententiam tulit.

§ 2. Iudex ad hanc correctionem deveniat edito decreto ad instantiam partis, nisi pars altera refragetur.

§ 3. Si altera pars refragetur, quaestio incidens ad normam can. 364, § 3, decreto definiatur; et decretum ad calcem sententiae correctae referatur.

ARTICULUS I

De appellatione

Can. 403

Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus interfuerunt, ius habent a sententia appellandi ad iudicem superiorem, salvo praescripto can. 404.

Can. 404

Non est locus appellationi :

I° A sententia ipsius Summi Pontificis vel Signaturae Apostolicae ;

2° A sententia iudicis qui a Sede Apostolica delegatus est ad videndam causam cum clausula *appellatione remota;*

3° A sententia vitio nullitatis infecta;

4° A sententia quae in rem iudicatam transiit;

5° A definitiva quae iureiurando litis decisorio innixa est;

6° A iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, quae non habeat vim definitivae, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva ;

7° A sententia in causa de qua ius cavet expeditissime rem esse definiendam ;

8° A sententia contra contumacem, qui a contumacia se non purgaverit ;

9° A sententia lata contra eum qui in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare ;

10° A sententia iudicis unici in causis patrimonialibus de rebus quarum pretium non excedit summam biscentum francorum aureorum.

Can. 405

Appellatio interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae.

Can. 406

A delegato non datur appellatio ad delegantem nisi delegans sit ipsa Apostolica Sedes, firmo can. 404, n. 2.

Can. 407

§ 1. Appellatio fieri potest ore coram iudice pro tribunali sedente, si publice sententia legatur, statimque ab actuario scriptis redigenda est.

§ 2. Aliter facienda est in scriptis, salvo casu de quo in can. 229.

Can. 408

Si alia pars ad tribunal Apostolicae Sedis appellaverit, alia ad aliud competens, appellatio prosequenda est coram tribunali Apostolicae Sedis.

Can. 409

Appellatio prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo facta est appellatio longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit.

Can. 410

§ l. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars; ministerium invocet iudicis appellationis ad impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae et libelli appellatorii quem iudici inferiori exhibuerat.

§ 2. Quod si pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali a quo appellationem interposuit obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui tribunal a quo appellatum est praecepto obstringat ofiicio suo quamprimum satisfaciendi.

Can. 411

§ 1. Si casus de quo in can. 255 contigerit intra terminum ad appellandum utilem sed antequam appellatio interposita sit, sententia debet iis quorum interest denuntiari iisque concessi intelliguntur termini a Iure statuti a die denuntiationis computandi.

§ 2. Si contigerit postquam fuerit appellatum, appellatio interposita iisdem denuntietur, in quorum favorem a die denuntiationis denuo currere incipit tempus utile ad appellationem prosequendam.

Can. 412

Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice a quo appellatio interposita est, sive coram iudice ad quem appellatum est, deserta censetur appellatio.

Can. 413

§ 1. Appellatio facta ab actore prodest etiam reo, et vicissim.

§ 2. Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare intra terminum peremptorium decem dierum a die quo ipsi appellatio principalis notificata est; idque facere potest etiam sub condicione recedendi, si prior pars ab instantia recesserit.

§ 3. Si sententia plura capita contineat, et appellans quaedam tantummodo capita impugnet, cetera capita exclusa habeantur; si nullum determinavit caput, appellatio praesumitur facta contra omnia capita.

Can. 414

Si unus ex pluribus reis aut actoribus sententiam impugnet, impugnatio censetur ab omnibus facta, quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis; expensas vero iudiciales ille tantum sustinere debet qui appellavit, si iudex appellationis primam sententiam confirmaverit.

Can. 415

§ 1. Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium : *lite pendente nihil innovetur :* appellatio autem in devolutivo tantum, non suspendit exsecutionem sententiae, licet lis adhuc pendeat circa meritum causae.

§ 2. Omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur, firmo praescripto can. 445, § 2.

Can. 416

Interposita appellatione tribunal a quo appellatum est debet ad tribunal ad quod interposita est appellatio actorum iudicialium authenticum exemplar vel ipsamet originalia acta transmittere ad normam can. 159.

Can. 417

§ 1. 1° Firmo can. 494, in gradu appellationis non potest admitti novum petitum, ne ad modum quidem utilis *cumulationis;* ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte;

2° Novum habetur petitum quoties partes vel res petita vel causa petendi mutatur, non autem si petitio versatur circa petiti, de quo disceptatum est in prima instantia, accessoria.

§ 2. Sed novis exhibitis documentis et novis probationibus poterit causa instrui, servatis regulis traditis in can. 309, 385.

ARTICULUS II

De *querela nullitatis contra sententiam*

Can. 418

Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando :

I° Lata est a iudice absolute incompetenti vel in tribunali collegiali a non legitimo iudicum numero contra praescriptum can. 46, § 1;

2° Lata est inter partes, quarum altera saltem non habet personam in iudicio ;

3° Quis nomine alterius egit sine legitimo mandato.

Can. 419

Nullitas de qua in can. 418 proponi potest ad modum exceptionis in perpetuum, ad modum vero actionis coram iudice qui sententiam tulit intra decem annos a die publicationis sententiae.

Can. 420

Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando :

I° Legitima defuit citatio;

2° Motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo praescripto can. 84;

3° Subscriptionibus caret iure praescriptis;

4° Noli refert indicationem partium, anni, mensis, diei et loci quo prolata fuit.

Can. 421

Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 420 proponi potest intra tres menses a die publicationis sententiae coram iudice qui sententiam tulit.

Can. 422

Querela nullitatis in casibus de quibus in can. 418, 420 proponi potest una cum appellatione coram iudice appellationis intra decem dies.

Can. 423

Si pars veretur ne iudex, qui sententiam, querela nullitatis ob vitium insanabile vel sanabile impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat ideoque eum suspectum merito existimat, exigere potest ut alius iudex, sed in eadem iudicii sede seu in eodem iurisdictionis gradu, in eius locum subrogetur ad normam can. 130.

Can. 424

§ 1. Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties iudicio interfuerunt.

§ 2. Ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare vel emendare intra terminos ad agendum can. 419 et 421 statutos, nisi interea appellatio una cum querela nullitatis iuxta can. 422 interposita fuerit.

ARTICULUS III

De oppositione tertii

Can. 425

Si sententiae definitivae praescriptum iura aliorum offendat, hi habent remedium extraordinarium quod *oppositio tertii* dicitur, vi cuius qui ex sententia suorum iurium laesionem verentur, possunt sententiam ipsam ante eius exsecutionem impugnare eique se opponere.

Can. 426

§ 1. Oppositio fieri potest ad recurrentis arbitrium sive postulando revisionem sententiae ab ipso iudice qui eam tulit, sive provocando ad iudicem appellationis.

§ 2. In utroque casu oppositor probare debet ius suum revera esse laesum aut probabiliter laesum iri.

§ 3. Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si exsecutioni mandetur, oppositorem gravi praeiudicio sit affectura.

§ 4. Si neutrum probetur, iudex, non obstante tertii oppositione,, sententiae exsecutionem decernat.

Can. 427

Admissa instantia, si oppositor agere velit in gradu appellationis^ tenetur legibus de appellatione statutis; si coram ipso iudice qui sententiam tulit, regulae servandae sunt de causis incidentibus datae.

Can. 428

Causa ab oppositore vieta, sententia antea lata mutanda est a iudice secundum oppositoris instantiam.

CAPUT X

De re iudicata et de restitutione in integrum

Can. 429

Firmo can. 404, res iudicata habetur:

1° Dupliei sententia conformi;

2° Sententia intra utile tempus non appellata;

3° Sententia adversus quam appellatio interposita coram iudice a quo appellatum est, deserta est coram iudice appellationis ad normam can 412;

4° Renuntiatione appellationi, admissa ad normam can. 262, § 2, 'vel peremptione instantiae in gradu appellationis ad normam can. 258;

5° Sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio.

Can. 430

Nunquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum, haud exceptis causis separationis coniugum ; sed ex duplici sententia conformi in his causis consequitur, ut ulterior propositio non debeat admitti, nisi novis prolatis iisdemque gravibus argumentis vel documentis.

Can. 431

§ 1. Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari directe potest. *

§ 2. Facit ius inter partes, et impedit, vel ofiicio iudicis vel exceptione, novam eiusdem causae introductionem.

Can. 432

§ 1. Adversus sententiam contra quam non suppetat ordinarium re medium appellationis aut querelae nullitatis, datur, dummodo de iniustitia rei iudicatae manifesto constet, remedium extraordinarium restitutionis in integrum intra annum ab adepta maiore aetate computandum, si agatur de minoribus ; a die cognitae iniustitiae rei iudicatae, si de maioribus aut personis moralibus.

§ 2. De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi :

I° Sententia documentis innitatur, quae postea fuerint falsa deprehensa ;

2° Postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia peremptorie probent;

3° Sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius ;

4° Legis praescriptum evidenter neglectum fuerit.

Can. 433

§ 1. Ad restitutionem in integrum concedendam competens est iudex qui sententiam tulit, nisi ea petatur ex neglecto a iudice praescripto legis; quo in casu eam concedit tribunal appellationis.

§ 2. Restitutio in integrum ne concedatur nisi auditis partibus attrae promotore iustitiae et defensore vinculi si hi priori iudicio interfuerint.

Can. 434

§ 1. Petitio restitutionis in integrum sententiae exsecutionem nondum inceptam suspendit.

§ 2. Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam

esse ad moras exsecutioni nectendas, index decernere potest ut sententia exsecutioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnis fiat.

CAPUT XI

©e expensis iudicialibus et gratuito patrocinio

ARTICULUS I

De expensis iudicialibus

Can. 435

Possunt partes adigi ad aliquid solvendum, titulo expensarum iudicialium, nisi ab hoc onere eximantur ad normam can. 441-443.

Can. 436

§ 1. Episcoporum in Synodis particularibus vel in collationibus coadunatorum est taxarum notulam ac regulam statuere in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus; quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro translationibus in aliam linguam et transcriptionibus ; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro-exscribendis ex archivo documentis.

§ 2. Potest autem iudex pro suo prudenti arbitrio exigere ut pecunia pro iudicialibus expensis, pro indemnitate testium, pro honorariis peritorum debita a parte quae petit vel, si iudex ex officio agat, ab actore, antea deponatur penes tribunalis cancellariam aut saltem congrua cautio praestetur pecuniam deinde solutum iri.

§ 3. Curent Hierarchae diversorum rituum, latini quoque, in eodem territorio iurisdictionem obtinentes ut, collatis consiliis, eadem notula seu regula taxarum pro omnibus statuatur.

Can. 437

§ 1. Victus victori iudiciales expensas regulariter reficere debet tum in causa principali tum in incidenti.

§ 2. Si actor vel reus temere litigaverit, etiam ad damnorum refectionem damnari debet.

Can. 438

Si actor vel reus ex parte tantum succubuerit, aut lis agitata fuerit inter consanguineos vel affines, aut de quaestione valde ardua actum fuerit, aut quacunque alia iusta et gravi de causa, poterit iudex pro suo prudenti arbitrio ex toto vel ex parte inter litigantes expensas compensare ; idque debet exprimere in ipso sententiae tenore.

Can. 439

Si plures sint in causa qui condemnationem ad expensas mereantur, iudex eos damnet in solidum, si agatur de obligatione solidali; aliter pro rata.

Can. 440

§ 1. A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, recursum intra decem dies interponere potest coram eodem iudice; qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari.

§ 2. Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas.

ARTICULUS II

De gratuito patrocinio
aut expensarum iudicialium deminutione

Can. 441

Pauperes, qui omnino impares sint expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.

Can. 442

§ 1. Ad gratuitum pauperum patrocinium iudex in singulis causis vult, eam a iudice postulare debet, dato supplici libello, allatisque documentis quibus quae condicio sit postulantis quaeve eius rei familiaris copia demonstret; praeterea probare debet se non futilem neque temerariam causam agere.

§ 2. Iudex postulationem nec admittat nec reiiciat, nisi requisitis, si opus sit, notitiis etiam secretis quibus statum rei familiaris ipsius postulantis compertum habere possit auditoque promotore iustitiae: imo concessam potest etiam revocare, item audito promotore iustitiae, si in decursu iudicii assertam paupertatem non adesse compertum habuerit.

Can. 443

§ 1. Qui exemptionem ab expensis vel earum deminutionem assequi designet aliquem ex advocatis in suo foro approbatis, qui ab hoc munere explendo, nisi ex causa iudici probata, sese subducere nequit, secus a iudice congrua poena, etiam suspensionis ab advocati munere exercendo, plecti potest.

§ 2. Deficientibus advocatis approbatis, iudex Hierarcham loci roget ut aliquem ex aliis advocatis vel aliam idoneam personam, si opus sit, designet ad pauperis patrocinium suscipiendum.

§ Z. Si advocatus aliusve, cui gratuitum patrocinium commissum sit, munus suum debita diligentia non exerceat, ad illius observantiam a iudice revocetur, ad instantiam partis cuius intersit vel promotoris iustitiae aut etiam ex officio.

Can. 444

§ 1. Si pars quae patrocinio gratuito usa est victoriam retulerit et vel pecuniae summam vel rem pretio aestimabilem consecuta fuerit, quae sit quintuplo maior summa quae pro expensis iudicialibus, non exclusis honorariis advocati, solvenda esset, a summa pecuniae vel a pretio rei parti victrici adiudicatis detrahantur expensae iudiciales.

§ 2. Si pars quae gratuito patrocinio usa est victoriam retulerit et adversa pars in expensas iudiciales damnata sit, haec illas etiam iudiciales expensas solvat a quibus pars, gratuito fruens patrocinio, fuit exempta, non autem advocati honoraria, nisi et in ipsa pars vieta condemnata fuerit.

CAPUT XII

De exsecutione sententiae

Can. 445

§ 1. Sententia quae transiit in rem iudicatam, exsecutioni mandari potest.

§ 2. Iudex tamen potest sententiae, quae nondum transiit in rem iudicatam, provisoriam exsecutionem iubere :

I° Si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis;

2° Si alia gravis urgeat necessitas, ita tamen ut, concessa provisoria exsecutione, per cautiones, fideiussiones aut pignora satis consultum sit indemnitati alterius partis, casu quo exsecutio revocanda sit.

Can. 446

Non antea exsecutioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis ^decretum habeatur, quo edicatur sententiam ipsam exsecutioni mandari •debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.

Can. 447

Si. sententiae exsecutio praeviam rationum redditionem exigat, quaestio ab illo ipso iudice, servatis de iure servandis, est decidenda, qui tulit sententiam exsecutioni mandandam.

Can. 448

§ i. Sententiam exsecutioni mandare debet per se vel per alium Hierarcha loci in quo sententia primi gradus lata est.

§ 2. Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, exsecutio spectat ad iudicem appellationis.

§ 3. Inter religiosos exsecutio sententiae spectat ad Superiorem qui exsecutivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.

Can. 449

§ 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam secundum obvium verborum sensum exsecutioni mandare.

§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim exsecutionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse manifeste iniustam, abstineat ab exsecutione, et partem ad eum qui exsecutionem commisit, remittat.

Can. 450

§ 1. Quod attinet ad reales actiones, quoties adiudicata actori res aliqua est, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.

§ 2. I° Quod vero attinet ad actiones personales, cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quatuor menses conceduntur pro implenda obligatione.

2° Iudex potest terminum praescriptum vel reducere vel protrahere, ita tamen ut neque infra duos menses coarctetur, neque sex menses excedat.

Can. 451

In exsecutione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnata noceatur, eaque de causa incipiat exsecutionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salvis iis quae ad honestam sui sustentationem, prudenti ecclesiastici iudicis arbitrio, sunt necessaria, firma tamen eiusdem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

Can. 452

Exsecutor utatur prius monitis et praeceptis erga reluctantem; ad poenas autem spirituales et ad censuras ne deveniat, nisi ex necessitate et gradatim.

SECTIO II

DE IUDICIO CONTENTIOSO CORAM UNICO IUDICE

Can. 453

Ad iudicem unicum iura spectant cum tribunalis tum praesidis.

Can. 454

Partes defendere se valent per se ipsas vel per unicum advocatum.

Can. 455

Partibus non licet plures quam quatuor vel quinque testes adducere.

Can. 456

§ 1. Iudicialis petitio, firmo can, 230, referre debet :

I° Facta quibus actoris petitiones innituntur, breviter, integre et clare exposita;

2° Probationes quibus actor vult facta demonstrare; testium nomine, cognomine, condicione, ac commorationis loco indicatis;

3° Pretium rei petitae quatenus ab eo pendeat iudicis competentia, una cum iis quae necessaria sint ad rei pretium constabiliendum ;

4° Conclusiones actoris.

§ 2. Iudicialis petitio proponi etiam potest ore iudici unico ; quo in casu, notarius eam scriptis consignet.

Can. 457

Iudex, intra triduum ab exhibita petitione iudiciali, decreto ad calcem ipsius petitionis ab actore vel a notario scriptae apposito, praecipiat communicari, notarii cura, exemplar petitionis iudicialis reo, facta huic facultate, intra decem dies deponendi in cancellaria tribunalis scriptam responsionem, vel adeundi tribunal ad respondendum petitioni actoris ; quo in casu, notarius in actis referre debet rei responsum.

Can. 458

Iudex poterit, si res ferat, alium praefigere actori terminum ad replicandum alterutro ex indicatis modis.

Can. 459

Elapso termino reo constituto ad respondendum et actori ad replicandum, si hic terminus constitutus fuerit, iudex, perspectis actis — nisi spes aliqua concordiae affulgeat litem componendo per transactionem

ad normam can. 94 seqq. — partes citet ut coram se compareant, adsignato termino non infra decem nec supra triginta dies. Citationis decretum, notarii cura, partibus denuntiari debet.

Can. 460

§ 1. Integrum est partibus scriptam relationem ad probandas suas petitiones ad tribunal deferre, dummodo id faciant tres saltem ante audientiam dies et duplici exemplari, quorum alterum ex continenti communicari debet cum altera parte.

§ 2. Item, intra terminum de quo in § 1, partes quae velint quosdam audiri testes non adductos in petitione iudiciali, debent horum nomina una cum aliis requisitis de quibus in can. 456, § 1, n. 2, cancellariae tribunalis nota facere, ea lege ut iudex partibus numerum testium dumtaxat paulo maiorem adducere permittat propter peculiaria causae adiuncta.

Can. 461

In audientia probationes colliguntur.

Can. 462

Probationibus collectis proceditur **in** eadem audientia **ad** discussionem oralem.

Can. 463

Pine discussioni orali imposito, si iudex ex actis et probatis censeat causam sufficienter instructam, poterit sententiam vel statim pronuntiare vel eandem differre, **non** tamen ultra tres dies.

Can. 464

Si in audientia probationes iam admissae colligi haud potuerint, vel iudex necessarium duxerit novas probationes colligere, altera statuitur audientia.

Can. 465

Sententiae interlocutoriae a iudice unico prolatae impugnari nequeunt nisi una cum sententiis definitivis, atque modis **ad** impugnandas sententias definitivas admissis.

Can. 466

Pars dispositiva sententiae statim communicetur ore partibus, nisi iudex decernat decisionem secreto servandam esse usque **ad** formalem sententiae publicationem.

Can. 467

Sententiae textus quamprimum edendus est, **ad** summum intra quindecim dies.

SECTIO III

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

CAPUT I

De foro competenti

Can. 468

Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exsclusivo ad iudicem ecclesiasticum spectant.

Can. 469

Causae de effectibus matrimonii mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum sed si incidenter et accessorie, possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri.

Can. 470

Causas matrimoniales ad eos spectantes de quibus in can. 15, n. 1, illa Sacra Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive eognoscet, cui eas Summus Pontifex in singulis casibus delegaverit; causas dispensationis super matrimonio rato et non consummato, Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali; causas vero quae referuntur ad privilegium Paulinum et causas inter partem catholicam et partem acatholicam, sive baptizatam sine non baptizatam, quocumque modo ad Sedem Apostolicam delatas, Sacra Congregatio Sancti Officii.

Can. 471

§ 1. Nullus iudex inferior potest processum in causis dispensationis super rato et non consummato instruere, nisi Sedes Apostolica facultatem eidem fecerit.

§ 2. 1° Si tamen iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonio nullo ex capite impotentiae et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta ad Sacram Congregationem transmittantur, quae iis uti poterit in processu super rato et non consummato;

2° Si vero probationes de non secuta matrimonii consummatione hactenus instructae, habeantur non sufficientes, eaedem compleantur et acta dein plene instructa ad Sacram Congregationem remittantur.

§ 3. Pariter si iudex competens auctoritate propria iudicium peregerit de matrimonii nullitate, ex alio capite, et matrimonii nullitas evinci non possit, sed incidenter dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel

utrique parti libellum porrigere Eomano Pontifici inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato ; et ipso iure fit potestas iudici causam instruendi. Idem iudex acta, plene instructa, dein ad Sacram Congregationem remittat.

Can. 472

In aliis causis matrimonialibus iudex competens est iudex loci in quo matrimonium celebratum est aut in quo sive pars conventa sive pars catholica, si altera sit acatholica, domicilium vel quasi-domicilium habet.

Can. 473

Si matrimonium accusatur ex defectu consensus, curet ante omnia iudex ut monitionibus opportunis partem, cuius consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat ; si ex defectu formae substantialis vel ex impedimento dirimenti a quo dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam.

CAPT II

De tribunali constituendo

Can. 474

Unicus est iudex instructor in inquisitione pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

Can. 475

Sive agatur de nullitate matrimonii, sive de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super rato et non consummato, citari debet defensor vinculi ad normam can. 62.

Can. 476

Defensoris vinculi est :

I° Examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere iudici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a iudice aperienda, et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, iudici suggerere;

2° Articulos a partibus propositos perpendere, iisque quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere;

3° Animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit.

Can. 477

Defensori vinculi ius esto :

I° Semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti iudicis arbitrio prorogandos;

2° De omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri, ut contradicere possit;

3° Petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subiiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere;

4° Exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi suffragio dissentiat.

CAPUT III

De iure accusandi matrimonium et postulandi dispensationem super rato et non consummato

Can. 478

§ 1. Habiles ad accusandum sunt:

I° Coniuges, in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti vel, etiam alia ratione, nullitatis matrimonii causa directa et dolosa;

2° Promotor iustitiae in impedimentis natura sua publicis.

§ 2. Reliqui omnes, etsi consanguinei, non habent ius matrimonia accusandi, sed tantummodo nullitatem matrimonii Hierarchae loci vel promotori iustitiae denuntiandi. Eodem iure gaudent coniuges ad accusandum matrimonium inhabiles.

§ 3. In causis de nullitate matrimonii, ut acatholici, sive baptizati sive non baptizati, partes actoris agere queant, indigent facultate impetranda a S. Congregatione S. Officii.

Can. 479

Matrimonium, quod, utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio, aut aliter ferant *Statut a personalia.*

Can. .480

In causis super rato et non consummato non proceditur nisi ad legitimam saltem unius coniugis petitionem.

CAPUT IV

De probationibus \

Can. 481

Consanguinei et affines de quibus in can. 279, § 3, n. 3, habentur testes habiles in causis suorum propinquorum.

Can. 482

§ l.In causis impotentiae vel inconsummationis, nisi de impotentia **Tel** inconsummatione aliunde certo constet, debet quisque coniugum septem testes, qui testes credibilitatis dicuntur, inducere, sanguine aut affinitate sibi coniunctos, sin minus vicinos bonae famae aut alioquin de re edoctos, qui iurare possint de ipsorum coniugum probitate, et praesertim de eorum veracitate circa rem in controversiam deductam.

§ 2. Testibus credibilitatis a partibus inductis potest iudex ad normam can. 281, § 3, alios testes ex officio adiungere; imo debet, quoties testes credibilitatis a partibus inductos pauciores fuerint vel insufficientes aestimaverit.

§ 3. Testimonium hoc est argumentum credibilitatis quod robur addit depositionibus coniugum; sed vim plenae probationis non obtinet, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur.

Can. 483

In causis impotentiae aut inconsummationis requiritur inspectio corporis utriusque vel alterutrius coniugis per peritos facienda, nisi ex adiunctis inutilis evidenter appareat.

Can. 484

In peritis eligendis, praeter normas in can. 315-328 datas, serventur praescripta canonum qui sequuntur.

Can. 485

Ad periti munus ne admittantur qui coniuges privatim inspexerint circa factum cui innititur petitio declarationis nullitatis vel inconsummationis; licet tamen hos tanquam testes inducere.

Can. 486

§ 1. Ad inspiciendum virum, duo periti medici ex officio designari debent.

§ 2. Ad mulierem vero inspiciendae designentur duae mulieres quae laurea doctorali in arte medica, vel saltem legitimo peritiae in arte

obstetricia testimonio praeditae sint. Si vero tales mulieres ad inspectionem perficiendam haberi nequeant, tunc licitum erit Hierarchae, de consensu mulieris inspiciendae, examen peragendum committere viris, qui non tantum medica arte sint insignes, sed etiam religionis et honestatis laude commendati, moribus atque aetate graves.

§ 3. Corporalis mulieris inspectio fieri debet, servatis plene christianae modestiae regulis et adstante semper honesta matrona ex officio designanda.

Can. 487

§ 1. Mulieris inspectionem seorsum singuli legitime ad eam faciendam designati exsequi debent.

§ 2. Qui inspectionem viri vel mulieris legitime peregerint, singuli relationes conficiant, intra terminum a iudice praefinitum tradendas.

§ 3. Potest iudex relationes ab obstetricibus confectas examini alicuius periti medici subiicere, si id opportunum existimaverit.

Can. 488

Peracta relatione, periti, obstetrices ac matrona, seorsum singuli, **a** iudice interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos quibus ipsi, praestito iureiurando, respondeant.

Can. 489

Etiam in causis defectus consensus ob amentiam, requiratur suffragium peritorum in scientia psychiatrica peculiariter versatorum, qui infirmum, si casus ferat, eiusve acta quae amentiae suspicionem ingerunt, examinent secundum artis praecepta; insuper uti testes audiri debent periti qui infirmum antea visitaverint.

CAPUT V

De publicatione processus, conclusione in causa et sententia

Can. 490

§ 1. Publicato processu partes possunt adhuc novos testes, ad normam tamen can. 309, super diversis articulis inducere.

§ 2. Si vero testes iam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sint, servetur praescriptum can. 304, integro iure defensoris vinculi opportunas proponendi exceptiones.

Can. 491

§ 1. Defensor vinculi ius habet ut in allegando, petendo et respondendo tam in scriptis quam in defensione orali, audiatur postremus.

§ 2. Quare iudex ad definitivam sententiam ne deveniat, nisi prius

vinculi defensor interrogatus declaraverit sibi nihil deducendum vel inquirendum superesse.

§ 3. Si vero ante praefinitum a iudice definiendae causae diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum nihil iam deducendum habere.

Can. 492

In causis quae spectant ad dispensationem matrimonii rati et non consummati, iudex instructor neque ad publicationem processus neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat, sed omnia acta una cum suffragio scripto Hierarchae et defensoris vinculi transmittat ad Sedem Apostolicam.

CAPUT VI

De appellationibus

Can. 493

A prima sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, vinculi defensor, intra legitimum tempus, ad tribunal appellationis provocare debet ; et si negligat officium suum implere, compellatur auctoritate iudicis.

Can. 494

Si in gradu appellationis novum nullitatis caput afferatur, illudque nemine contradicente, a collegio admittatur, de eo iudicandum est tamquam in prima instantia.

Can. 495

Post secundam sententiam, quae matrimonii nullitatem confirmaverit, si defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non crediderit esse appellandum, ius coniugibus est, decem diebus a sententiae denuntiatione elapsis, novas nuptias contrahendi.

Can. 496

Decreta matrimonii nullitate vel data a rato dispensatione, Hierarcha loci curare debet ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis ubi matrimonii celebratio adnotata est.

Can. 497

§ 1. Cum sententiae in causis matrimonialibus, haud exceptis causis separationis coniugum, nunquam transeant in rem iudicatam, causae ipsae, si nova argumenta praesto sint, retractari semper poterunt, firmo praescripto can. 430, non autem ab eodem tribunali vel ab alio eiusdem gradus, salvo praescripto § 2.

§ 2. In patriarchatibus causae de quibus in § 1 retractari possunt, consentiente vinculi defensore, in tribunali patriarchali, mutatis tamen iudicibus.

CAPUT VII

De casibus exceptis a regulis hucusque traditis

Can. 498

Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit exsistere impedimentum disparitatis cultus, ordinis, voti castitatis emissi in professione maiore, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis simulque pari certitudine, ex certo et authentico documento vel etiam alio legitimo modo habita, apparuerit dispensationem super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus hucusque recensitis, poterit Hierarcha loci, citatis partibus, matrimonii nullitatem sententia declarare, cum interventu tamen defensoris vinculi.

Can. 499

Adversus hanc sententiam defensor vinculi, si prudenter existimaverit impedimenta de quibus in can. 498 non esse certa aut dispensationem ab iisdem probabiliter intercessisse, provocare debet ad iudicem .secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu excepto.

Can. 500

Iudex alterius instantiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo de quo in can. 498, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

SECTIO IV

DE CAUSIS CONTRA SACRAM ORDINATIONEM

Can. 501

§ 1. In causis quibus impugnantur obligationes ex subdiaconatu vel maiore ordine contractae vel ipsa sacrae ordinationis validitas, libellus mitti debet ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali vel, si ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad Sacram Congregationem Sancti Officii ; et Sacra Congregatio definit utrum causa iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda.

§ 2. Si primum, Sacra Congregatio causam remittit ad tribunal eparchiae quae clerico propria fuit tempore sacrae ordinationis, vel, si sacra ordinatio impugnetur ob defectum substantialem sacri ritus, ad tribunal eparchiae in qua ordinatio peracta fuit ; pro gradibus vero appellationis standum praescripto can. 72-80.

§ 3. Si alterum, ipsamet Sacra Congregatio quaestionem dirimit, praevio processu informativo peracto a tribunali curiae competentis.

Can. 502

§ 1. Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus aeque ac Hierarcha cui clericus subsit vel in cuius eparchia ordinatus sit.

§ 2. Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere.

Can. 503

Ea omnia quae tum in parte prima, tum in sectione prima et tertia huius secundae partis praescripta sunt servari etiam debent, nisi rei natura obstet, in causis contra sacram ordinationem.

Can. 504

Defensor vinculi sacrae ordinationis iisdem gaudet iuribus iisdemque tenetur officiis quibus defensor vinculi matrimonialis.

Can. 505

Quamvis actio instituta fuerit non super ipsamet sacrae ordinationis nullitate, sed super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione exsurgentibus, nihilominus clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendum.

Can. 506

§ 1. Ut clericus liber sit ab obligationibus quae a vinculo ordinationis manant, requiruntur duae sententiae conformes.

§ 2. Quod ad appellationem attinet, in his causis serventur praescripta can. 493-497, de causis matrimonialibus.

PARS III

DE IUMCIÖ CRIMINALI

CAPUT I

De iis quae praeeimt iudicio criminali

ARTICULUS I

De accusatoria actione et denuntiatione

Can. 507

Actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur.

Can. 508

§ 1. I° Quilibet tamen fidelium semper potest delictum alterius, cuiusvis condicionis, denuntiare ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum vel etiam studio iustitiae ad alicuius scandali vel mali reparationem;

2° Iure, de quo in n. 1, fruitur religiosus quoque, etiam adversus Superiores.

§ 2. Obligatio denuntiandi delicta urget quotiescumque ad id aliquis adigitur sive lege vel peculiari legitimo praecepto, sive ex ipsa naturali lege ob fidei vel religionis periculum vel aliud imminens publicum malum.

Can. 509

Denuntiatio scriptis a denuntiante subsignatis vel ore fieri debet loci Hierarchae vel cancellario curiae vel protopresbyteris seu vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Hierarcham deferenda.

Can. 510

Qui delictum denuntiat debet promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad eiusdem delicti probationem.

Can. 511

§ 1. In causa iniuriarum aut diffamationis, ut promotor iustitiae actionem criminalem instituere possit, requiritur praevia denuntiatio seu querela personae laesae.

§ 2. Sed si agatur de iniuria aut diffamatione gravi, clerico vel religioso, praesertim in dignitate constituto, illata, aut quam clericus vel religiosus alii intulerit, actio criminalis institui potest etiam si non praecesserit denuntiatio seu querela.

Can. 512

In delictis mixti fori Hierarchae regulariter ne procedant cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit.

ARTICULUS II

De inquisitione

Can. 513

§ 1. Si delictum nec notorium sit nec omnino certum, sed innotuerit vel ex rumore et publica fama, vel ex denuntiatione, vel ex querela damni, vel ex inquisitione generali ab Hierarcha facta, vel alia quavis ratione, antequam quis citetur ad respondendum de delicto, inquisitio specialis est praemittenda ut constet an et quo fundamento innitatur imputatio.

§ 2. Huic regulae locus est sive agatur de irroganda poena vindicativa vel censura, sive de ferenda sententia declaratoria poenae vel censurae in quam quis inciderit.

Can. 514

Inquisitio, quamvis ab ipso loci Hierarcha peragi possit, regulariter tamen committatur alicui ex iudicibus eparchialibus, nisi eidem Hierarchae ex peculiari ratione alii committenda videatur.

Can. 515

§ 1. Inquisitor delegetur non ad universitatem causarum, sed ad singulas causas.

§ 2. Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus iudices ordinarii, ac praesertim praestare debet iusiurandum de secreto servando deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus ad normam can. 136-139.

§ 3. Inquisitor nequit valide in eadem causa iudicem agere.

Can. 516

§ 1. Prudenti Hierarchae iudicio committitur statuere quandonam ea, quae praesto sunt argumenta, sufficiant ad inquisitionem instituendam.

§ 2. Nihili faciendae sunt denuntiationes quae ab inimico manifesto, aut ab homine vili et indigno proveniunt, vel anonymae iis adiunctis iisque aliis elementis carentes, quae accusationem forte probabilem reddant.

Can. 517

Inquisitio secreta semper esse debet, et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur.

Can. 518

§ .1. Ad finem suum assequendum potest inquisitor aliquos, quos de re edoctos censeat, ad se accire et interrogare sub iureiurando veritatis dicendae et secreti servandi.

§ 2. In eorum examine servet inquisitor, quantum fieri potest et natura inquisitionis patitur, regulas statutas in can. 292-304/.

Can. 519

Inquisitor, antequam inquisitionem claudat, potest promotoris iustitiae consilium exquirere quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare.

Can. 520

§ 1. Expleta inquisitione, inquisitor, addito suffragio suo, omnia referat ad Hierarcham.

§ 2. Hierarcha vel de eius speciali mandato vicarius iudicialis suo decreto iubeat ut :

I° Si appareat denuntiationem solido fundamento esse destitutam, id declaretur in actis et acta ipsa in secreto curiae archivo reponantur ;

2° Si indicia delicti habeantur, sed nondum sufficientia ad accusatoriam actionem instituendam, acta in eodem archivo serventur et invigiletur interim moribus imputati, qui pro prudenti Hierarchae iudicio erit opportune super re audiendus, et, si casus ferat, monendus ad normam § 3; >

3° Si denique certa vel saltem probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint, citetur reus ad comparendum et procedatur ad ulteriora.

§ 3. Eum qui versatur in proxima occasione delictum committendi vel in quem, ex inquisitione peracta, gravis suspicio cadit delicti commissi, Hierarcha per se vel per interpositam personam moneat.

ARTICULUS III

De correptione delinquentis

Can. 521

Si reus interrogatus delictum confiteatur, Hierarcha, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali si eidem locus sit.

Can. 522

Correptio iudicialis locum habere nequit:

1° In delictis quae poenam secumferunt excommunicationis Sedi Apostolicae, Patriarchae vel Archiepiscopo reservatae, aut poenam privationis beneficii, infamiae, depositionis minoris seu depositionis simplicis vel maioris seu degradationis;

2° Quando agitur de ferenda sententia declaratoria poenae vindicativae vel censurae in quam quis inciderit;

3° Quando Hierarcha existimet eam non sufficere reparationi scandali et restitutioni iustitiae.

Can. 523

§ 1. Correptioni locus esse potest semel et iterum, non autem tertio contra eundem reum.

§ 2. Quare si post alteram correptionem reus idem delictum commiserit, criminale iudicium instrui aut inceptum continuari debet ad normam can. 528.

Can. 524

Intra fines can. 521, 522, potest correptio ab Hierarcha adhiberi non solum antequam gradus fiat ad formale iudicium, sed etiam eo incepto ante conclusionem in causa; ac tunc quidem iudicium suspenditur, nisi tamen prosequendum idcirco sit quia correptio in irritum cesserit.

Can. 525

§ 1. Correptio adhiberi etiam potest, cum interposita fuit actio damni ex delicto.

§ 2. Quo in casu Hierarcha potest de bono et aequo, partibus consentientibus, videre et dirimere quaestionem de damno.

§ 3. Sed si censuerit quaestionem de damno difficulter de bono et aequo posse definiri, licet ipsi, remissa ordini iudiciario solutione huius quaestionis, per correptionem consulere reparationi scandali et emendationi delinquentis.

Can. 526

§ 1. Correptio iudicialis, praeter monita salutaria, debet plerumque coniuncta habere quaedam opportuna remedia, aut poenitentiarum vel piorum operum praescriptionem, quae valeant ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali.

§ 2. Salutaria remedia, poenitentiae, pia opera reo praescribenda, mitiora et leviora esse debent iis, quae in criminali iudicio per sententiam condemnatoriam ipsi infligi possent et deberent.

Can. 527

Correptio censetur inutiliter adhibita, si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta non acceptet aut acceptata non exsequatur.

Can. 528

Si correptio iudicialis vel insufficiens sit ad reparationem scandali et restitutionem iustitiae, vel adhiberi nequeat quia reus delictum denegat, vel inutiliter adhibita fuerit, loci Hierarcha aut vicarius iudicialis, de eius speciali mandato, praecipiat ut acta inquisitionis tradantur promotori iustitiae.

CAPUT II

De ipso iudicio criminali

Can. 529

Salvis praescriptis canonum huius tertiae partis, in iudicio criminali serventur, nisi rei natura obstet, can. 226-452 de iudicio contentioso.

ARTICULUS I

De causae introductione et litis contestatione

Can. 530

Causa criminalis introducitur per accusationis libellum a promotore iustitiae conficiendum secundum normas in can. 531 statutas.

Can. 531

Libellus a promotore iustitiae conficiendus indicare debet :

I° Facta quibus constat delictum;

2° Speciem delicti, allegatis canonibus qui eo pertinent;

3° Probationes ex quibus constat de accusati parte in delicto;

4° Facta quae constituunt circumstantias aggravantes vel minuentes delictum;

5° Poenas in quas accusatus incurrerit iuxta canones indicandos;

6° *Positiones* facti seu articuli super quibus interrogandi sunt tum reus iuxta interrogatoria libello adnectenda, tum testes iuxta interrogatoria tempore opportuno exhibenda;

T° Formulas propositas ad dubia, ut dicitur, *concordanda.*

Can. 532

§ 1. Tribunal, postquam viderit rem esse suae competentiae, debet quantocius libellum aut admittere aut reiicere, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis.

§ 2. Libellus reiiciendus est quoties constat actioni criminali locum

non esse ex eo quod v. g. factum imputatum, etsi verum, crimen haud constituat, vel propter mortem rei, actionis praescriptionem, querelae in casu necessariae defectum.

§ 3. Si tribunalis decreto libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, promotor iustitiae novum libellum rite confectum debet eidem tribunali denuo exhibere; quod si tribunal emendatum libellum reiecerit, novae reiectionis rationes exponere debet.

Can. 533

Adversus libelli reiectionem, integrum semper est promotori iustitiae intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad superius tribunal. A quo, audito illius instantiae promotore iustitiae, quaestio reiectionis expeditissime est definienda.

Can. 534

Si tribunal continuo mense ab exhibito libello decretum non ediderit, quo libellum admittit aut reicit, servetur praescriptum can. 232.

Can. 535

§ 1. Libello admisso, locus est rei citationi.

§ 2. Citatio conficienda et denuntianda est ad normam can. 237-245.

§ 3. Citatione legitime peracta, res desinit esse integra ad normam can. 247, et licet promotor iustitiae ab accusatione recedat, tribunal ad ulteriora procedere et poenas imputato irrogare potest vel eundem in poenas incurrisse declarare.

Can. 536

Iudex reum citans debet eum invitare ad eligendum advocatum intra definitum tempus; quo inutiliter elapso, idem iudex ex ofiicio advocatum reo constituat.

Can. 537

In delictis gravioribus, si Hierarcha censeat non sine fidelium offensione imputatum ministrare sacris aut ofiicio seu munere aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi aut ad sacram communionem publice accedere, potest, audito promotore iustitiae, eum a sacro ministerio, ab illorum officiorum seu munerum exercitio, vel etiam a sacra communione publice sumenda prohibere.

Can. 53S

Pariter si iudex censeat accusatum posse testibus timorem incutere aut eos subornare, aut alio modo iustitiae cursum impedire, potest, au-

dito promotore iustitiae, decreto suo mandare, ut ille ad tempus deserai oppidum vel paroeciam, vel etiam ut secedat in praefinitum locum ibique sub peculiari vigilantia maneat.

Can. 539

Decreta de quibus in can. 537, 538, ferri nequeunt, nisi reo citato et comparente vel contumace, sive post primam eius auditionem seu constitutum, sive postea in decursu iudicii; et contra eadem non datur iuris remedium.

Can. 540

Obiectum seu materia iudicii criminalis statuitur in ipsa litis contestatione qua iudex pro tribunali sedens die in citatione assignato libellum promotoris iustitiae accusato et partibus laesis, si quae sint, significat.

Can. 541

In sessione litis contestationis concordari poterunt, quatenus iudex id expedire censuerit, dubia circa ipsam quaestionem principalem.

Can. 542

Si reus in sessione litis contestationis crimen confiteatur, non ideo causa finitur. Potest tamen iudex, pro suo prudenti arbitrio, liti finem imponere in casibus in quibus admittitur correptio.

Can. 543

Si die et hora contestandae liti praestituta reus non comparuerit nec iustam absentiae excusationem allegaverit contumax declaretur et procedatur ad ulteriora.

ARTICULUS II

De ordine cognitionum

Can. 544

Si reus exceptiones praeiudiciales in sessione litis contestationis deduxerit, v. g. de extinctione actionis criminalis, de incompetentia iudicis, de re iudicata, de parte laesa excludenda, etc., locus est causae incidenti ad normam can. 361 et seqq. pertractandae et definiendae.

Can. 545

§ 1. Lite contestata, causa incidens, si qua oriatur, proponi debet coram tribunali ad normam can. 361 et seqq.

§ 2. Causa incidens, nisi propter rei momentum aliud iudici videatur, una cum principali definienda est.

§ 3. Causa incidens, quae pendente instructoria proponitur, etsi pertractetur ante causam principalem, instructoriae evolutionem minime suspendit, nisi tribunal id expresse, gravissima ex ratione, decreverit. Causa autem incidens per memorialia, brevibus assignatis terminis, disceptetur; eam tribunal per decretum solvat, nisi decisio talis sit ut iudicio criminali finem imponat; quo in casu edatur sententia.

Can. 546

§ 1. Contra tribunalis sententias vel decreta interlocutoria, etsi habeant vim sententiae definitivae, non datur separata appellatio; sed appellatio proponenda est una cum appellatione a sententia definitiva, nisi tribunal, attento quaestionis momento, separatam appellationem in ipso decreto vel sententia interlocutoria fieri posse admiserit.

§ 2. Tribunal, ante sententiam definitivam vel una cum sententia definitiva, sententias vel decreta quaelibet interlocutoria corrigere, emendare aut revocare, auditis partibus, potest.

ARTICULUS III

De partibus privatis et de actione civili eœ delicto orta

Can. 547

§ 1. Praeter reum citanda semper est pars cui ex delicto laesio iuridica est illata, quaeque ius habet exercendi actionem civilem.

§ 2. Etsi citatio partis laesae fuerit omissa, vel ipsa, non obstante legitima citatione, non comparuerit, ius tamen habet interveniendi in iudicium sive primae instantiae sive appellationis, usque ad conclusionem in causa, servato praescripto can. 376, § 3.

§ 3. Interventus partis laesae admitti nequit si causa de actione civili ex delicto orta iam soluta sit per sententiam quae in rem iudicatam transierit.

§ 4. Proposita per legitimam citationem actione civili ex iniuria vel diffamatione, ius denuntiationis vel querelae partis laesae perimitur.

§ 5. Firmo can. 511, § 2, a querela ex iniuria vel diffamatione pars laesa resilire semper potest, accedente tamen imputati consensu. Quo in casu partes integram sibi reservare possunt actionem civilem damnorum.

Can. 548

Pendente vero iudicio criminali, iudicium contentiosum de actione ex delicto orta suspenditur, usque ad definitionem causae criminalis; integrum tamen est parti laesae actionem civilem in iudicio criminali exercere iuxta can. 547 et 551.

Can. 549

Sententia in iudicio criminali edita, etsi de actione civili expresse non decreverit et absente parte laesa fuerit prolata, vim exserit ad ipsos civiles effectus quod attinet, sive quaeritur factum ipsum an exstiterit necne, sive quaeritur de rei imputabilitate.

Can. 550

Quod si exsistentia delicti ex quaestione quadam de statu personarum pendeat, criminale iudicium, iudicis sententia, suspendatur usque ad definitionem quaestionis de statu in iudicio contentioso pertractandae.

Can. 551

Actio civilis in iudicio criminali exercetur a parte laesa per declarationem in actu litis contestationis factam vel per legitimum interventum ad normam can. 547, § 2.

Can. 552

§ 1. Quaestio, si oriatur, de parte laesa admittenda, dirimatur ad normam can. 361 et seqq., 545.

§ 2. Contra decretum vel sententiam qua admittitur exercitium actionis civilis non datur appellatio nisi ad normam can. 546.

§ 3. Contra decretum vel sententiam quae partis laesae interventum excluserit datur immediata et separata appellatio in devolutivo tantum intra tres dies proponenda, intra decem dies prosequenda, et expeditissime definienda.

Can. 553

§ 1. Pars laesa ad exercitium actionis civilis admissa ius habet proponendi exceptiones et probationes necnon advocatum et procuratorem sibi eligendi uti vera pars in causa, salvo tamen can. 376, § 3.

§ 2. Contra sententiam definitivam quae reum quavis de causa absolverit, pars laesa quae ad exercitium actionis civilis fuerit admissa, quibuslibet iuris remediis frui valet, quamvis promotor iustitiae ab iis abstinuerit, quo in casu iudicium impugnationis actionem contentiosam tantum respicere debet et pertractandum est iuxta normas statutas circa iudicium contentiosum.

Can. 554

§ 1. Pars quae ad normam legis ecclesiasticae vel civilis, iure canonico legitime receptae, respondere debet de damno civili a delinquente patrato ius habet interveniendi ad sua iura tuenda in criminali iudicio.

§ 2. Pars laesa ius habet instandi ut citetur pars de qua in praecedenti paragrapho.

ARTICULUS IV

De causae instructione deque probationibus

Can. 555

§ l.Lite contestata locus est instructoriae.

§ 2. I° Ad rem ponens intra tres dies eligat instructorem;

2° Instructor, in eadem causa definienda, iudicis ofiicio fungi nequit.

Can. 556

A decretis vel rescriptis iudicis instructoris, datur intra tres dies recursus ad tribunal cum effectu devolutivo tantum.

Can. 557

Keus regulariter est audiendus cum probationes a promotore iustitiae et a parte laesa propositae iam sint collectae. Iudex autem instructor debet summam probationum reo patefacere ita ut hic novas probationes postulare possit.

Can. 558

Tribunalis est aestimare quid valeat confessio rei, utrum in casu vim habeat plenae vel saltem semiplenae probationis, utrum confessio dividi possit necne. Quare, etsi reus delictum suum confiteatur, causa minime finitur et tribunal ad ulteriora procedere debet.

Can. 559

§ 1. Iusiurandum de veritate dicenda aut de veritate dictorum nequit accusato deferri.

§ 2. Iureiurando suppletorio de quo in can. 352, abstineat iudex.

Can. 560

Testium examini interesse possunt, iudice consentiente, partium advocati ; reus autem ne admittatur nisi gravissima ex causa.

Can. 561

Probationes quae fuerint ab inquisitore collectae ad normam can. 518, confirmandae sunt a testibus et peritis in instructoria, ut iudex ex ipsis suam certitudinem efformare possit; partibus autem semper licet iis uti in discussione causae praesertim ad contradictiones et variationes evincendas,

Can. 562

Cum iudex instructor causam satis instructam putaverit, suo decreto id statuat et acta tribunali deferat una cum conclusionibus.

Can. 563

§ 1. Tribunal, nisi supplementum instructoriae ex officio faciendum iusserit, publicationem actorum decernat, ita ut cum promotor iustitiae tum rei advocatus noscere possint sive acta instructoriae sive iudicis instructoris conclusiones.

§ 2. Una cum actis instructoriae publicandae sunt probationes quae fuerint ab inquisitore collectae ad normam can. 518.

Can. 564

Ex gravissima ratione iudex in publicandis actis decernere potest ut aliqua testimonia eo pacto advocatis communicentur ut nomina testium secreta sub iuramenti sanctitate servent ita ut ne reo quidem patefaciant. Quo in casu partes invitentur ad manifestanda nomina eorum quos sibi infensos vel inimicos habeant et inimicitiae rationes.

Can. 565

§ 1. Publicatis actis, tribunal statuit diem causae definiendae.

§ 2. Decretum denuntiari debet omnibus partibus saltem decem diebus ante definitionem causae.

Can. 566

Quinto saltem die ante causae definitionem, cum promotor iustitiae tum rei advocatus suas scripturas in cancellaria tribunalis deponere debent ut a parte adversa nosci possint.

Can. 567

Die definiendae causae assignato habebitur discussio oralis.

ARTICULUS V

De causae discussione et definitione

Can. 568

In discussione orali novae probationes colligi nequeunt.

i

Can. 569

§ 1. Discussioni adsistunt promotor iustitiae, reus eiusque advocatus, pars laesa et pars de qua in can. 554, earumque advocati.

§ 2. Tribunalis est peritos qui operam in causa praestiterint ad discussionem vocare ut peritias suas declarare valeant.

Can. 570

§ 1. In discussione hic ordo servetur ut primus promotor iustitiae, secunda et tertia, si quae sint, pars laesa et pars de qua in can. 554, earumque advocati, ultimo reus conventus eiusque advocatus loquantur.

§ 2. Quod si responsionibus sit locus, ultimo semper reus conventus eiusque advocatus ius habent replicandi.

§ 3. Praesidis est moderari oralem discussionem.

Can. 571

§ 1. Discussione absoluta, tribunal sententiam proferat.

§ 2. Si ex discussione emerserit necessitas novarum probationum colligendarum, tribunal, dilata definitione causae, novas probationes ipsum colligat.

Can. 572

Pars dispositiva sententiae statim publicanda est, nisi tribunal gravi de causa decernat decisionem secreto servandam esse usque ad formalem sententiae publicationem, quae non ultra mensem a die definitionis differri potest.

ARTICULUS VI

De iuris remediis contra sententiam deque exsecutione sententiae

Can. 573

Reus contumax appellationem intra terminos iure statutos propenere et prosequi potest neque ulla tenetur obligatione petendi benef! cium can. 371.

Can. 574

Prudenti iudicio promotoris iustitiae in superiore tribunali committitur prosecutio remedii iuris a promotore in inferiore tribunali propositi. Peracta autem legitime partium apud tribunal superius citatione, servetur praescriptum can. 535, § 3.

Can. 575

Ad exsecutionem privationis beneficii inamovibilis index ne procedat contra clericum qui Apostolicam Sedem vel Patriarcham adierit: sed si agatur de beneficio cui adnexa sit animarum cura, Hierarcha provideat per designationem vicarii substituti.

ARTICULUS VII

De expensis iudicialibus

Can. 576

Ad aliquid solvendum titulo expensarum iudicialium adigi possunt tantum partes privatae, nisi et ipsae ad normam can. 441-443, eximantur.

Nos autem per Apostolicas has Litteras motu proprio datas supra recensitos canones promulgamus iisdemque vim legis christifidelibus Ecclesiae Orientalis tribuimus, ubique terrarum hi sunt. Simul ac per Apostolicas has Litteras huiusmodi canones vigere coeperint sua destituentur vi quodlibet statutum, sive generale sive particulare vel speciale, etiam latum a Synodis speciali forma adprobatis, quaelibet praescriptio et consuetudo adhuc vigens, sive generalis, sive particularis ita ut disciplina *de iudiciis* unice iisdem canonibus regatur, neque amplius ius particulare iis contrarium vigorem habeat nisi quando et quantum in iis admittatur.

Ut autem huius Nostrae voluntatis notitia tempestive ad omnes quorum res interest, perveniat, volumus et constituimus, ut Apostolicae hae Litterae motu proprio datae a die 6 Ianuarii, in Epiphania Domini anni 1951, exsecutionem suscipere incipiant, quibuslibet contrariis non obstantibus, etiam peculiarissima mentione dignis.

Datum Romae, die vi mensis Ianuarii, in Epiphania Domini, anno **MCML,** Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

An. et vol. XXXXII 31 Ianuarii 1950 (Ser. **II,** v. XVII) - N. *2*

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

A BEATISSIMO PATRE DATUS, PRIDIE PERVIGILIUM NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI A. MCMXLIX, ADSTANTIBUS EMIS PP. DD. CARDINALIBUS ET BXCMIS DD. EPISCOPIS AC ROMANAE CURIAE PRAELATIS.

L'ATTESA DEI POPOLI

Non mai forse, come in questa vigilia che apre il fausto evento del nuovo anno giubilare, il Nostro cuore di Padre e di Pastore vi ha sentiti così stretti e vicini a sè, diletti figli e figlie dell'universo. Ci par di vedere e di ascoltare — nè il Nostro cuore C'inganna — il palpito di milioni e milioni di fedeli con Noi concordi quale coro immenso di fervide grazie, di vivi desideri, di umili invocazioni al Padre, datore di ogni bene, al Piglio, espiatore di ogni colpa, allo Spirito Santo, dispensatore di ogni grazia.

Sospinti da un profondo desiderio di liberazione spirituale, attratti dal fascino dei beni celesti, dimentichi per breve ora degli assilli terreni, voi vi rivolgete a Noi e quasi ripetete, ma in buon senso e con retta intenzione, la preghiera che fu già rivolta al Redentore : dacci un segno dal cielo. [1]

Ebbene, *hodie soietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam eius;* il segno che attendete vi sarà oggi annunziato; il segno, anzi il mezzo di remissione e di santificazione domani stesso vi sarà dato, nel momento in cui per le Nostre mani la mistica Porta sarà ancora una volta rimossa, aprendo l'adito al massimo tempio della Cristianità, simbolo del Redentore Gesù, a Noi dato per Maria, affinchè tutti, incor-

[1] MARO. 8, 11-12; Lue. 11, 16.

porati in Lui, troviamo la salvezza : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, servabitur.* [2]

Da tutta la Chiesa di Cristo, che ha distese le sue membra sopra ogni plaga del nostro pianeta, in questi giorni si affisano gli sguardi a Roma, a questa Sede Apostolica, scaturigine perenne di verità, di salvezza, di bene.

Ci è noto quante speranze voi riponete in questo Anno Santo. Ferma è nel Nostro cuore la fiducia che la Provvidenza divina voglia operare in esso e per esso le meraviglie della sua misericordia verso la umana famiglia. E Ci sostiene la speranza che l'Angelo del Signore non incontri ostacoli nel suo cammino, bensì trovi spianate le vie e aperti i cuori da quel buon volere che piega il Cielo verso la terra.

Noi stessi, cui la Provvidenza divina ha riservato il privilegio di annunziarlo e donarlo al mondo intero, sentiamo il presagio della sua importanza per il prossimo mezzo secolo.

Ci sembra che l'Anno santo 1950 abbia da essere determinante anzitutto per l'auspicata rinnovazione religiosa del mondo moderno, e risolutivo di quella crisi spirituale che stringe le anime del nostro tempo. L'auspicata armonia dei valori celesti e terreni, divini ed umani, ufficio e dovere della nostra generazione, si compirà o almeno si affretterà, se i fedeli di Cristo dureranno saldi nei concepiti propositi, proseguiranno tenaci nelle opere intraprese e non si lasceranno sedurre da vane utopie, nè sviare da interessi ed egoismi di parte.

Determinante altresì per l'avvenire della Chiesa, all'interno impegnata nello sforzo di rendere più schietta e più diffusa tra il popolo la santità dei suoi membri, mentre all'esterno si studia di trasfondere e di espandere il suo spirito di giustizia e di amore anche nelle civili istituzioni.

L'APERTURA DELLA PORTA SANTA

Animati da questi sentimenti e da questi voti, penetrati della dignità di una tradizione che risale ai tempi del Nostro Predecessore Bonifacio VIII, Noi domani, nell'aprire con tre colpi di martello la Porta Santa, saremo consapevoli di compire non un atto puramente tradizionale, ma un rito simbolico di alta portata, non soltanto per i cristiani, ma per tutta l'umanità.

Noi auspichiamo che quel triplice colpo risuoni nel fondo delle anime di tutti coloro che hanno orecchie per intendere.[3]

[2] Io. 10, 9.

[3] Cfr. MATTH. 11, 15.

Anno Santo, anno di Dio,

di Dio, la cui maestà e grandezza condanna il peccato ;

di Dio, la cui bontà e misericordia offre il perdono e la grazia a chi è disposto ad accoglierlo ;

di Dio, che in questo Anno Santo vuole appressarsi ancor più all'uomo e tenersi a lui più che mai vicino.

Quanti fanno del peccato una semplice « debolezza », e della debolezza perfino una virtù! *Equidem,* scriveva già il pagano Sallustio,[4] *nos vera vocabula rerum amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur.* Trasformando artificiosamente il senso delle parole nelle più importanti questioni della vita pubblica e privata, essi nascondono ciò che la coscienza non vuol chiarire; coonestano ciò che l'intimo della loro anima condanna ; negano ciò che dovrebbero lealmente riconoscere.

Quanti pongono al posto del vero Dio i loro idoli, ovvero, pur affermando la loro credenza in Dio e la loro volontà di servirlo, si fanno di Lui una idea, che è il prodotto dei loro propri desideri, delle loro proprie tendenze, delle loro proprie debolezze! Iddio nella sua immensa grandezza, nella sua immacolata santità, Iddio la cui bontà comprende così bene i cuori che Egli stesso ha formati[5] e la cui benignità è sempre pronta a venire in loro aiuto, non è rettamente conosciuto da molti. Perciò tanti cristiani per pura abitudine, tanti sbadati e incuranti, e d'altra parte tante anime tormentate e senza speranza, come se il Cristianesimo non fosse esso stesso la « buona novella ».

False idee di Dio, vane creazioni di spiriti troppo umani, che l'Anno Santo deve dissipare e scacciare dai cuori!

L'ANNO DEL GRAN RITORNO E DEL GRAN PERDONO

La spontanea simpatia, con cui i popoli ne hanno accolto l'annunzio^ conferma la fiducia che Noi stessi vi abbiamo riposto. Non sarà dunque una festività chiassosa, non un pretesto di pie distrazioni, neppure un vanitoso sfoggio di forze cattoliche nel senso inteso dal mondo, che fa consistere il felice successo nei momentanei consensi delle moltitudini. L'Anno Santo deve operare più seriamente e più a fondo nelle anime, deve stimolare e promuovere più largamente le virtù private e pubbliche, deve essere ed apparire più intimamente e schiettamente cristiano.

* *Catil.* 52.
• Cfr. *Ps. 32,* 15.

Esso dovrà corrispondere all'arcano volere di Dio. dovrà segnalarsi come anno del gran ritorno, anno del gran perdono, nella misura almeno che l'età nostra è stata, anche nel recente passato, epoca di apostasia e di colpa.

I. - Anno del gran ritorno

INVITO PATERNO

Rivolgiamo dunque fin da oggi al mondo intiero la Nostra voce, affinchè da tutti gli uomini e da ciascuno, da ogni plaga e da ogni lido, con l'urgenza propria dell'ora straordinaria che volge, si compia l'auspicato grande ritorno. Il Nostro vuol essere soprattutto invito di padre che vive, fatica, soffre, prega e spera per il bene e la felicità dei figli. E tutti gli uomini sulla terra sono Nostri figli, saltem iure et destinatione, anche coloro che Ci abbandonarono, che Ci offesero, che Ci fecero e Ci fanno patire.

Figli lontani, smarriti, delusi e amareggiati, particolarmente voi, ai quali ingannevoli voci e forse anche incauta visione delle cose hanno spento nel cuore l'affetto che già nutrivate per la Santa Chiesa, non vogliate respingere l'offerta di riconciliazione che Dio stesso vi offre per Nostro mezzo e in un tempo veramente accettevole. Siate fin da ora persuasi che dolci sono le vie del ritorno alla casa del Padre e pieno di gaudio l'abbraccio che vi aspetta.

RITORNO A DIO DEGLI INCREDULI

degli atei...

Segni anzitutto questo Anno Santo il ritorno a Dio di quelle anime, che per cause varie e molteplici, hanno perduto di vista ed estinto nel cuore l'immagine e il ricordo del loro Creatore, da cui è la loro vita, come l'esistenza di tutti gli esseri, e nel quale è riposto il loro sommo bene.

O che ne siano lontani per inerte e agnosticho atteggiamento verso il massimo problema della vita ; o che si dicano soddisfatti di una fittizia visione dell'universo, dove si nega il necessario posto al primo Principio spirituale di quello è o può essere; o che, intolleranti della sua indistruttibile presenza, stoltamente gelosi del suo supremo dominio, a Lui muovono folle guerra, tentando di soffocare la testimonianza che di Lui danno le creature tutte e il loro stesso cuore; essi soffrono lo spasimo di un esilio, l'isolamento dall'universo, il vuoto di un deserto, a cui da se stessi si sono condannati, accettando l'ateismo. Per loro non vi è che un rimedio, il ritorno : ritorno alla riflessione e al buon senso umano,

ritorno alla ricerca profonda e serena della ragione delle cose, risalendo grado per grado la scala del creato dall'effetto alle cause, finché non riposi pienamente appagata la mente investigatrice; ritorno infine alla umiltà e alla docilità della creatura. Apparirà ai loro occhi, e potranno quasi toccarlo nella irrefragabile testimonianza delle sue opere, il Dio dei viventi, il Padre nostro, l'amore che tormenta, finché non sia posseduto.

... e dei pagani

Il cuore Ci dice che quest'Anno Santo vedrà molti di tali ritorni, come vedrà moltiplicarsi le conversioni alla fede cristiana dei pagani in terra di Missione. Vi tornerà certamente di conforto il conoscere che dal Giubileo del 1925 ad oggi si è più che raddoppiato il numero dei cristiani in quei lontani territori; mentre in alcune regioni dell'Africa la Chiesa visibile è divenuta un caposaldo della vita sociale, mediante l'influsso cristiano profondamente esercitato sui costumi pubblici e privati. Ma col più vivo dolore dell'animo Nostro non possiamo distaccare il pensiero dai gravi pericoli che sovrastano o che hanno già funestato la religione e le sue istituzioni in altri Paesi dell'Europa e dell'Asia, com'è nella Cina sterminata, ove tragici rivolgimenti hanno ridotto fiorite di vita a cimiteri di morte.

RITORNO A GESÙ CRISTO DEI PECCATORI

Segni l'Anno Santo il ritorno a Gesù Cristo Redentore per le anime allettate dalle lusinghe del peccato e lontane dalla casa del Padre. Sono credenti e cattolici, cui pur troppo lo spirito, debole quanto la carne, rende transfughi dai propri doveri e dimentichi dei veri tesori, o per lungo volgere di anni, o in un abituale alternarsi di diserzioni e di labili incontri. S'illudono, se ritengono di possedere la vita cristiana e a Dio accetta, senza che la grazia santificante dimori abitualmente nei loro cuori.

Dai facili compromessi fra terra e cielo, tempo ed eternità, senso e spirito, sono tratti nel pericolo di morire di miseria e di fame, lontani da quel Gesù che non riconosce per suoi coloro che vogliono servire due padroni. Per questi piagati nello spirito, lebbrosi, paralitici, tralci staccati senza linfa vitale, l'Anno Santo sia tempo di guarigione e di ravvedimento. L'angelo della piscina Probatica vuol rinnovare per loro tutti il prodigio delle acque risanatrici; chi non vorrà bagnarvisi?

Il vecchio Padre della parabola evangelica attende ansioso, sulla soglia della Porta Santa, che il figlio traviato ritorni contrito ; chi vorrà ostinarsi nel deserto della colpa?

RITORNO ALLA CHIESA DEI DISSIDENTI

Oh, se questo Anno Santo potesse salutare anche il grande e da secoli atteso ritorno all'unica vera Chiesa di molti credenti in Gesù Cristo, per vari motivi da lei separati! Con gemiti inenarrabili lo Spirito, che è nei cuori dei buoni, leva oggi come grido d'implorazione la stessa preghiera del Signore : *ut unum sint.* [6] Giustamente pensosi dell'audacia, con cui si muove il fronte unico dell'ateismo militante, quel che da lungo tempo si domandava, oggi s'invoca ad alta voce : Perchè ancora separazioni, perchè ancora scismi? A quando l'unione concorde di tutte le forze dello spirito e dell'amore?

Se altre volte dalla Sede Apostolica è partito l'invito alla unità, in questa occasione Noi lo ripetiamo più caldo e paterno, spinti come Ci sentiamo dalle invocazioni e suppliche di tanti e tanti credenti sparsi su tutta la terra che, dopo i tragici e luttuosi avvenimenti sofferti, volgono gli occhi verso questa stessa Sede, come all'ancora di salvezza del mondo intero. Per tutti gli adoratori di Cristo — non esclusi coloro che in una sincera ma vana attesa l'adorano promesso nelle predizioni dei Profeti e non venuto — Noi apriamo la Porta Santa, e insieme le braccia e il cuore di quella paternità, che per inscrutabile disegno divino Ci è stata comunicata da Gesù Redentore.

RITORNO DEL MONDO AI DISEGNI DI DIO

Sia finalmente questo Giubileo l'anno del gran ritorno c [1] l'intera umanità ai disegni di Dio.

Il mondo moderno, nello stesso modo che ha tentato di scuotere il soave giogo di Dio, ha insieme rigettato l'ordine da Lui stabilito, e con la medesima superbia dell'angelo ribelle all'inizio della creazione, ha preteso di istituirne un altro a suo arbitrio.

Dopo quasi due secoli di tristi esperienze e di traviamenti, quanti hanno ancora mente e cuore retti confessano che simili disposizioni e imposizioni, le quali hanno nome ma non sostanza di ordine, non han dato i risultati promessi, nè rispondono alle naturali aspirazioni del-Puomo. Questo fallimento si è manifestato in un duplice terreno : quello dei rapporti sociali e quello dei rapporti fra le nazioni.

• Io. 17, 11.

sul terreno sociale

Nel campo sociale il travisamento dei disegni di Dio si è operato alla radice stessa, deformando la divina immagine dell'uomo. Alla sua reale fisonomía di creatura, avente origine e destino in Dio, è stato sostituito il falso ritratto di un uomo autonomo nella coscienza, legislatore insindacabile di se stesso, irresponsabile verso i suoi simili e verso la compagine sociale, senz'altro destino fuori della terra, senz'altro scopo che il godimento dei beni finiti, senz'altra norma se non quella del fatto compiuto e dell'appagamento indisciplinato delle sue cupidigie.

Di qui è sorto e si è consolidato per interi lustri nelle più svariate applicazioni della vita pubblica e privata quell'ordine soverchiamente individualistico, che è oggi quasi dappertutto in grave crisi. Ma nulla di meglio vi hanno apportato i successivi innovatori, i quali, movendo dalle stesse errate premesse e per altra via declinando, hanno condotto a conseguenze non meno funeste, fino al totale sovvertimento dell'ordine divino, al disprezzo della dignità della persona umana, alla negazione delle più sacre e fondamentali libertà, al predominio di una sola classe sulle altre, all'esservimento di ogni persona e cosa allo Stato totalitario, alla legittimazione della violenza e all'ateismo militante.

Ai sostenitori dell'uno e dell'altro sistema sociale, ambedue lontani e contrari ai disegni di Dio, suoni persuasivo l'invito a tornare ai principi naturali e cristiani, che fondano l'effettiva giustizia nel rispetto delle legittime libertà; di guisa che con la riconosciuta eguaglianza di tutti nella inviolabilità dei propri diritti si spenga l'inutile lotta che esaspera gli animi nell'odio fraterno.

Ma oltre a questi voti, che formano la costante sollecitudine del Nostro ufficio apostolico, Noi rivolgiamo una paterna esortazione a coloro che ripongono tutta la loro speranza nelle promesse di una dottrina e di capi, che si professano esplicitamente materialisti ed atei.

Umili ed oppressi, per quanto triste sia la vostra condizione, fermi restando in voi il diritto di rivendicare il giusto, e negli altri il dovere di riconoscervelo, ricordate che possedete un'anima immortale e un destino trascendente.

Non vogliate cambiare i beni celesti ed eterni coi caduchi e temporanei, specialmente in questa età in cui dappertutto uomini onesti e provvide istituzioni hanno più validamente raccolto il vostro grido e compreso il vostro dramma, risoluti a guidarvi per le vie della giustizia.

Quella fede e quella speranza, che riponete non di rado in uomini altrettanto asseveranti nel promettere, quanto certi di non poter otte-

nere quella rapida soluzione di tutti i vostri problemi, che fanno brillare dinanzi ai vostri occhi, — problemi di cui qualcuno è difficilmente solubile per la limitatezza stessa della natura umana —, riservatele in primo luogo alle promesse di Dio che non inganna.

Le legittime sollecitudini, che vi assillano per il pane quotidiano **e** per una conveniente dimora — indispensabili alla vita vostra e delle vostre famiglie — fate che non contrastino coi vostri destini celesti, che non vi facciano dimentichi o noncuranti dell'anima vostra e dei tesori imperituri che Dio vi ha affidati nelle anime dei vostri figli, che non vi oscurino la visione nè v'impediscano il conseguimento di quei beni eterni, che saranno la vostra felicità perpetua e si concretano nel supremo valore per cui siamo creati : Dio nostra beatitudine. Soltanto una società illuminata dai dettami della fede, rispettosa dei diritti di Dio, certa del conto che i suoi capi responsabili dovranno rendere **al** Giudice supremo nell'intimo della loro coscienza e al cospetto dei vivi **e** **dei** morti, soltanto una tale società saprà riconoscere e interpretare **ret**tamente i vostri bisogni e le vostre giuste aspirazioni, difendere **e** propugnare **i** vostri diritti, saggiamente guidarvi nell'adempimento **dei** vostri doveri, secondo la gerarchia dei valori e l'armonia della convivenza domestica e civile stabilite dalla natura.

Non dimenticate che senza Dio la prosperità materiale è per chi non la possiede una tormentosa ferita, ma per chi l'ha, un adescamento mortale. Senza Dio la coltura intellettuale ed estetica è un fiume tagliato dalla sua sorgente e dalla sua foce; esso si riduce a un pantano, si riempie di sabbia e di fango.

sul terreno internazionale

Attendiamo infine per questo Anno Santo il ritorno della società internazionale ai disegni di Dio, secondo i quali tutti i popoli nella pace e non nella guerra, nella collaborazione e non nell'isolamento, nella giustizia e non nell'egoismo nazionale, sono destinati a formare la grande famiglia umana, avviata alla comune perfezione, nel reciproco aiuto **e** nella equa distribuzione dei beni, che sono tesoro di Dio affidato agli uomini.

Diletti figli, se mai occasione ci parve propizia per esortare **i** reggi**tori** di popoli **a** pensieri di pace, questa dell'Anno Santo Gì sembra quanto **mai** opportuna. Essa è **e** vuole significare anche un potente ri**Chiamo e** insieme un contributo alla fraternità delle genti.

In questa Madre dei popoli, che è Boma, converranno innumerevoli gruppi di pellegrini, diversi per stirpe, per nazione, per lingua, per

costumi, per sentimenti. E fra queste stesse mura convivranno, s'incontreranno per le medesime vie, riposeranno nei medesimi alberghi, parteciperanno ai medesimi riti, si disseteranno alle medesime fonti dello spirito, godranno dei medesimi conforti, coloro cui fu comandato di seminare la morte e coloro che ne soffrirono gli spaventosi effetti, colui che invase e colui che vi soggiacque, chi recinse i campi di ferro spinato e chi vi patì dura prigionia. Non abbiamo Noi dunque ragione di credere che queste migliaia e migliaia di Nostri devoti figli e figlie diverranno l'avanguardia fedele nella crociata per la pace e che con la Nostra benedizione porteranno seco nella loro patria il pensiero e la forza della pace di Cristo, affine di guadagnare colà nuove reclute per una così santa causa?

Dio non voglia che questa « tregua di Dio », ispiratrice augurale di pacifici consigli, venga turbata o violata da insani propositi non solo tra le nazioni, ma tra i diversi ceti di un medesimo Paese. Quella mano sacrilega si condannerebbe da sè alla giusta ira di Dio e si attirerebbe l'immancabile esecrazione di tutta l'umanità.

Grande ritorno dunque Noi Ci attendiamo in questo Anno di grazie straordinarie, grande per il numero dei figli, cui riserviamo il più affettuoso amplesso, grande per la lontananza da cui proverranno alcuni di loro, grande per le vaste e benefiche ripercussioni, che non mancheranno di derivarne. Ai Nostri figli, a tutti gli uomini di buona volontà sia caro l'impegno di non deludere le speranze del Padre comune, che tiene le braccia alzate al cielo, perchè la nuova effusione della misericordia divina sul mondo superi ogni misura.

II. - Anno del gran perdono

DIO AMORE MISERICORDIOSO

Per questo incontro di amore compassionevole e benigno, che da Roma, divamperà su tutta la terra, ogni ritorno a Dio, a Gesù Cristo, alla Chiesa e ai divini disegni si suggellerà con l'amorevole abbraccio del Padre delle misericordie, che ogni colpa e ogni pena condona a chi ama. Gesù ci ha svelato il vero volto di Dio, raffigurandolo nel padre che accoglie, abbraccia, perdona il fìgliuol prodigo al suo accorato e fiducioso ritorno nella casa, da cui si era stoltamente allontanato.

Se il Giubileo per gli uomini è tempo di straordinario ritorno, per Dio sarà occasione di più largo e amorevole perdono.

PENTIMENTO ED ESPIAZIONE

E chi non ha bisogno del perdono di Dio? Tuttavia il Signore, se è pronto a perdonare, non dispensa il peccatore dal sincero pentimento e dalla giusta espiazione.

L'Anno Santo sia dunque principalmente anno di pentimento e di espiazione. Il pentimento e la espiazione interiori e volontari sono l'indispensabile presupposto di ogni umano rinnovamento, significano l'arresto nella china, esprimono il riconoscimento dei propri peccati, manifestano la serietà del buon volere.

E maggiori valori acquista l'espiazione volontaria, quando sia collettiva e venga prestata in unione col primo Espiatore delle umane colpe, Gesù Cristo nostro Redentore.

Espiare, diletti figli, in questo Anno Santo che ricorda la grande espiazione del Calvario, le vostre e le altrui colpe; seppellite con un sincero pentimento tutto il passato, persuasi che se la presente generazione è stata colpita così duramente dai castighi, fabbricati con le sue stesse mani, è perchè ha più coscientemente e protervamente peccato.

Sfilano, come in lugubre rassegna dinanzi ai Nostri occhi, i volti addolorati degli orfani, delle vedove, delle madri in attesa di un ritorno che forse non verrà, dei perseguitati per la giustizia e per la religione, dei prigionieri, dei profughi, degli esuli forzati, dei detenuti, dei disoccupati, degli oppressi, dei sofferenti nello spirito e nella carne, delle vittime di ogni ingiustizia. Tante e tante lacrime che irrorano la faccia della terra, tanto e tanto sangue che la imporpora, mentre sono in sè espiazioni e in molti casi non per proprie colpe, esigono alla lor volta altra espiazione, perchè sia distrutta la colpa e sorrida di nuovo la gioia.

Chi vorrà straniarsi da questo mondo di espiazione, che ha per capo il medesimo divino Crocifisso e abbraccia la intiera Chiesa militante?

PERDONO FRA GLI UOMINI

Con sì larghe promesse da parte di Dio, forse non mai Anno Santo venne più opportunamente a consigliare mitezza, indulgenza e perdono tra uomo ed uomo.

Quando in tempi recenti, prendendo a motivo una guerra sfortunata o colpe politiche, si scatenarono ondate di rappresaglie, sconosciute finora nella storia almeno per il numero delle vittime, il Nostro cuore fu invaso da acerbo dolore, non solo per la sventura che moltiplicava le sventure e gettava nel lutto migliaia di famiglie spesso innocenti, ma

perchè con sommo rammarico vi vedevamo la tragica testimonianza dell'apostasia dallo spirito cristiano.

Ohi vuol essere sinceramente cristiano deve saper perdonare. « Servo iniquo... — ammonisce la parabola evangelica[7] —, non dovevi anche tu aver pietà di un tuo conservo, come io ho avuto pietà di te? ».

La carità e la misericordia, allorché soccorrono equi motivi, non contrastano col dovere della retta amministrazione della giustizia, bensì l'imprudente intolleranza e lo spirito di rappresaglia, soprattutto quando la vendetta sia esercitata dal pubblico potere contro chi ha piuttosto errato che peccato, o quando la stessa pena meritamente inflitta si prolunghi oltre ogni limite ragionevole.

Ispiri il Signore consigli di riconciliazione e di concordia a quanti sono investiti di pubbliche responsabilità, e, senza pregiudizio del bene comune, si ponga fine a quei residui di leggi straordinarie, che non riguardano i delitti comuni meritevoli di giusta punizione, e che, dopo lunghi anni dalla cessazione del conflitto armato, provocano in tante famiglie e in tanti individui sensi di esasperazione contro la società in cui sono costretti a soffrire.

LARGA CONDONAZIONE

Noi torniamo perciò a supplicare le supreme Autorità degli Stati, specialmente cristiani, in nome di Gesù Cristo medesimo che precedette con l'esempio immolandosi per i suoi stessi uccisori, affinchè vogliano esercitare generosamente il loro diritto di grazia, mandando ad effetto, nell'occasione così solenne e propizia dell'Anno Santo, quei temperamenti della giustizia punitiva, che dalle leggi di ogni Paese civile sono previsti.

La religione e la pietà, che, come Ci auguriamo, ispireranno quegli atti di benevolenza, non che svigorire la forza delle leggi o scemarne il rispetto nei cittadini, saranno anzi di valido motivo ai beneficati col ritorno alla libertà agognata o con l'accorciamento della pena, per risorgere moralmente e riparare, ove sia il caso, al passato con un sincero e duraturo ravvedimento nel segno della fede.

Noi, e insieme con Noi tanti cuori di congiunti afflitti, domandiamo questo conforto, perchè la letizia dei figli è gaudio del Padre. E fin da ora esprimiamo un pubblico e fervido ringraziamento a quei Governanti, che già hanno, in varia misura, favorevolmente accolto il Nostro voto o Ci hanno lasciato qualche speranza di ottenerne l'adempimento.

[7] MATTH. 18, 33.

INVITO A ROMA

« Securus iam carpe viam »

Diletti figli, eccovi aperto il Nostro cuore alla vigilia dell'apertura, della Porta Santa; leggetevi le Nostre intenzioni, le Nostre speranze, i Nostri voti.

Raccogliete il Nostro invito alla casa paterna ; da vicino e da lontano, da ogni regione e continente, da tutte le frontiere e per ogni strada, valicando gli oceani e solcando i cieli, venite a questa Roma, che a voi apre le sue braccia sempre materne : « Securus iam carpe viam, peregrinus ab oris — occiduis quisquis venerandi culmina Petri — ... petis » .[8]

Voi, che già per lunghi anni lasciaste il focolare domestico e vi temprate alle asperità dei lunghi viaggi con gli eserciti in guerra, con le torme dei profughi, degli emigranti, degli sfollati, riprendete la via, ma questa volta in letizia, quasi legioni pacifiche di oranti e di penitenti verso la patria comune dei cristiani.

« Borna mihi patria »

Poiché, senza privilegi di stirpe o di casta, Roma è la patria di tutti ; ogni cristiano può e deve dire <(*Roma mihi patria* ». Qui si manifesta più particolarmente la soprannaturale provvidenza di Dio per le anime ; qui attinsero i santi le norme e le ispirazioni dei loro eroismi ; questa terra benedetta conobbe i trionfi dei primi martiri e fu la palestra d'invitti confessori. Qui è la rupe immota, dove ancorerete i vostri aneliti : il luogo e l'antico *tropaeum* del sepolcro glorioso del Principe degli Apostoli, che sorregge la Cattedra viva del Vicario di Cristo.

Nello splendore delle basiliche, nel decoro delle solenni liturgie, nelle pénombre degli antichi cimiteri cristiani, accanto alle insigni reliquie dei Santi, respirerete un'aura di santità, di pace e di universalità, che varrà a dare alla vostra vita un profondo e cristiano rinnovamento.

E voi, diletti figli di Roma, a Noi più vicini e legati da più immediato ministero pastorale, che più volte in questo passato decennio Ci avete dato indubbie prove di attaccamento filiale, non sarete secondi a nessuno nell'adeguarvi coi vostri propositi e con la vostra condotta agli alti fini dell'Anno Santo. A voi si addice una carità particolare nell'accogliere i fratelli giunti di lontano, una esemplare morigeratezza di costumi, una fervorosa pratica dei doveri religiosi.

* PAULI DIACONI ***Carmina,*** VIII, 19-21. ***Monum. Qerm. histor. Poetae lat. aevi caroli*** t. I, p. 46.

Accolga l'onnipotente e misericordioso Dio questi Nostri voti, e su voi che Ci ascoltate, su tutti gli uomini di buona volontà, su coloro di cui attendiamo il ritorno, scenda, come pegno delle più larghe misericordie del cielo, la Nostra Apostolica Benedizione.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

PLANORUM S. MARTINI - VILLAVICENTIENSIS
(DE MITÜ)

A VICARIATU APOSTOLICO PLANORUM S. MARTINI, POSTHAC VILLAVICENTIENSI NUNCUPANDO, PARS MERIDIONALIS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM PRAEFECTURAM APOSTOLICAM, ((DE MITU)) NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Evangelizationis operi haud dubie melius atque utilius consulitur, si vastissima plerumque Missionum territoria in partes dividantur et novae erigantur Missiones, sollertibus aliorum Evangelii Praeconum curis concredendae. Quo moti consilio, attento favorabili voto venerabilis Fratris Ioseph Beltrami, Archiepiscopi titularis Damasceni, in Columbia Nuntii Apostolici, atque de consulto venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, bipartire decrevimus amplissimum Vicariatus Apostolici Planorum S. Martini territorium et novam exinde erigere Praefecturam Apostolicam.

Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praefato Vicariatu Apostolico Planorum S. Martini, quem in posterum *Villavicentiensem* appellandum statuimus, partem meridionalem seiungimus, quam in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, de Mitu nomine, cuius fines hi erunt : ad septentrionem flumen *Cfuaviare* usque ad suam cum flumine *Orinoco* confluentium ; — ad orientem limites inter Columbiam ac Venezuelam, et inter Columbiam et Brasiliani, idest a confluentia fluminis *G-uaviare* cum *Orinoco* flumine usque ad *Apoporis* flumen; — ad meridiem flumen *Apoporis* et flumen *Ajaß;* — ad ocei-

dentem linea recta, quae ab origine fluminis *Ajaju* ad septentrionem versus profecta, in *Guaviare* flumen exit.

Novam banc Praefecturam de Mitu, ita erectam et finibus circumscriptam, apostolicis concredimus curis Sacerdotum Seminarii de Yarumal pro missionibus exteris, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum.

Huic ergo novae Praefecturae Apostolicae de Mitu eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia ita disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem ac iisdem praesentibus ostensis.

Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, decreti, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die nona Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco 3? Plumbi

Reg. in Can. Ap., vol. LXXVIII, n. S. - **Al.** Trussardi.

II

THEATINA - PINNENSIS - HATRIENSIS

(PINNENSIS **ET** PISCARIENSIS)

CATHEDRALIS ECCLESIA PINNENSIS, A QUA HATRIENSIS SEPARATUR ET THERAMENSI AEQUE PRINCIPALITER UNITUR, POSTHAC PINNENSIS-PISCARIENSIS NUNCUPABITUR, ET EPISCOPI SEDES PISCARIAE CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dioecesium circumscriptiones Apostolica Sedes constituere seu aliquando immutare satagit, quum ob mutata locorum adiuncta id ad maiorem christianae plebis profectum assequendum et Sacrorum Anti^ stitum regimen facilius et honoratius reddendum, necessarium seu maxime opportunum duxerit.

Quo moti consilio, mentis Nostrae aciem ad Dioecesium Pinnensis et Hatriensis hodiernam circumscriptionem convertimus, quam immutare iustis gravibusque causis necessarium duximus.

Hisce namque novissimis temporibus *Piscaría* urbs dioecesis Pinnensis, quae ad maris Adriatici oras iacet, tale incrementum sumpsit, ut, magni facta nominis civitas, merito eiusdem nominis Provinciae caput evaserit. Haec Piscaría urbs nunc ex unione efformata est duorum iam prius exsistentium oppidorum : quorum alterum, *Piscaría* nuncupatum, ad Theatinam archidioecesim pertinet ; alterum vero, cui nomen *Castrum Maris Adriatici,* intra fines exstat dioecesis Pinnensis; ita ut nova Piscaría urbs partim Archiepiscopi Theatini, partim Episcopi Pinnensis iurisdictioni subiecta est.

Praeterea Hatriensis dioecesis, usque nunc Pinnensi Ecclesiae aeque principaliter canonice unita, tota in Provincia civili Theramensi sita est.

Quae omnia prae oculis habentes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Negotiis tum Consistorialibus tum Ecclesiasticis Extraordinariis praepositorum consilio, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia, omnibus mature perpensis, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ea quae sequuntur statuimus ac decernimus :

1) Eam Piscariae partem, quae ad archidioecesim Theatinam pertinet, quinque constantem paroeciis, nempe : *S. Gettaei, S. Mariae de Igne, S. Silvestri, Stellae Maris* et *S. Petri Martyris* ex archidioecesi

Theatina distrahimus et Pinnensi dioecesi adiungimus, ita ut tota *Piscaría* civitas unius Ordinarii iurisdictioni penitus nunc subiiciatur ;

2) Episcopalem sedem et cathedram, hactenus Pinnae extantes, ad *Piscariam* urbem transferimus, quam idcirco ad civitatis episcopalis .gradum et honorem evehimus cum omnibus iuribus, privilegiis, praerogativis, quibus ceterae episcopales sedes iure communi fruuntur ;

3) Dioecesis sic constituta eiusque pro tempore Episcopus in posterum *Pinnensis-Piscariensis* appellabuntur, qui, ut antea, Apostolicae Sedi immediate subiecti erunt ;

4) Ecclesiam paroecialem, in *Piscaría* urbe existentem, Deo in honorem S. Oettaei Episcopi et Martyris dicatam, ad gradum et titulum evehimus Ecclesiae Cathedralis, minime tamen amissa parochialitate cum animarum cura ;

5) In novam hanc Cathedralem Ecclesiam Piscariensem a Cathedrali Pinnensi Capitulum Cathedrale una simul ac minora beneficia transferimus, ita ut in illa iuxta canonicas leges chorale servitium persolvatur. Curam autem animarum paroeciae S. Cettaei Archipresbyteratui, secundae scilicet Capituli Dignitati, cum primum haec vacaverit, unimus;

6) Curia dioecesana in *Piscaría* urbe pariter constituetur, et in ea omnia documenta et acta, quae dioecesim Pinnensem et praefatas quinque paroecias ab Ecclesia metropolitana Theatina dismembratas, respiciunt, diligenter asserventur;

7) Seminarium quoque dioecesanum, cum primum fas erit, *Piscariam* transferetur;

8) Antiqua Ecclesia Cathedralis Pinnensis Concathedralis titulo condecorabitur;

9) Indulgemus insuper ut sacerdotes, qui in veteri Cathedrali Pinnensi beneficio aliquo actu potiuntur, a lege residentiae et servitii choralis, de Episcopi consensu, eximantur cum iure tamen percipiendi fructus praebendae et distributiones quotidianas;

10) Cum autem dioecesis Hatriensis, aeque principaliter cathedrali Ecclesiae Pinnensi hucusque unita, tota in Provincia civili Theramensi, ut diximus, exstet, eam a dioecesi Pinnensi seiungimus et Theramensi aeque principaliter unimus, ita ut unus idemque Antistes utrique praesit Ecclesiae et Episcopus Theramensis et Hatriensis posthac censeatur et sit. Ac proinde venerabilis Frater Vincentius Gilla Gremigni, hodiernus Episcopus Theramensis, earumdem harum Litterarum vi, in posterum Episcopus Theramensis et Hatriensis habeatur et sit.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem Fratrem Ioachim Di Leo, Archiepiscopum Lancianensem et Episcopum Ortonensem deputamus, cum potestate subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque facultatem facimus dirimendi controversias, si quae in exsecutionis actu oriturae sint, et ei onus imponimus transmittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem, quam primum fieri poterit, authenticum peractae exsecutionis exemplar. Harum vero Litterarum transumptis seu excerptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo viri ecclesiastici in dignitate vel ofiicio constituti, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae praesentibus ostensis haberetur. Has igitur Litteras Nostras firmas, validas et efiicaces semper esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere volumus ac decernimus.

Nulli ergo hominum hanc paginam dismembrationis, seiunctionis, constitutionis, concessionis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die prima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. *C. Consistorialis a Secretis.*

f Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc, *Deo. Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ¡$! Plumbi

Reg. in Can. Ap., vol. LXXVIII, n. 58. - Al. Trussardl.

III

DE iraiTNDI

(NGOZIENSIS)

A VICARIATU APOSTOLICO DE URUNDI PARS DISTRAHITUR, QUAE IN NOVUM VICARIATUM APOSTOLICUM, ((NGOZIENSEM)) NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nimio patentes territorio enascentes inter infideles gentes Ecclesias dismembrare suescit Apostolica Sedes ut aptius illic evangelizationis operi consuli possit.

Quo moti consilio, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. E. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consulto, suppleto quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, latissimum Vicariatus Apostolici de Urundi territorium bipartire decrevimus, atque de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, tenore praesentium, a Vicariatu illo integros districtus civiles de *Muhinga* et de *Ngozi*, nec non districtuum civilium de *Uswnbura* et de *Kitega* partes, finibus ut infra describendas, seiungimus et exinde novum Vicariatum Apostolicum *Ngoziensem* nomine erigimus et constituimus, quem apostolicis Societatis Missionariorum Africae sodalium curis concredimus, qui plurimos iam annos tam sollerter illic adlaborant, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum.

Limites autem novi huius Vicariatus hi erunt : ab occidente ad orientem versus : parallelus circulus 3°10' latitudinis meridionalis usque ad *Mpanda* flumen; dein eius fluminis cursus usque ad *Kitevuna* flumen, quod in illud influit; illinc adversus istius fluminis cursus usque ad eius scaturigines ; exinde limes meridionalis districtus civilis de *Ngozi* usque ad *Kingankuru* flumen; illinc adversus cursus *Muraranguro* fluminis usque ad *Mukagoma* fluvium, qui in illud influit ; deinde adversus *Mukagoma* fluvii cursus usque ad limitem meridionalem districtus civilis de *Muhinga;* tandem meridionalis limes memorati districtus civilis de *Muhinga* usque ad Vicariatum Apostolicum de Bukoba.

Novo itaque Vicariatui Apostolico Ngoziensi, ita erecto ac limitibus circumscripto eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem

Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur, eosdemque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis.

Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, decreti, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die quartadecima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro iS. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. O. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Aposi.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco £& Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXVIII, n. *4.* - Al. Trussardi.

EPISTULA

AD EMUM P. D. NORMANNUM TIT. SANCTORUM QUATTUOR CORONATORUM S. R. E. PRESB. CARDINALEM GILROY, ARCHIEPISCOPUM SYDNEYENSEM, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONCILIUM PLENARIUM ECCLESIAE INDIARUM ORIENTALIUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Iam plures abhinc annos necessitas Concilii Plenarii ineundi ad regimen Ecclesiae in amplissima Indiarum Orientalium regione feliciter confirmandum omnino persentiebatur et omnia studia et consilia inter sacro-

rum Antistites pluries conlata sunt ad perficiendum quod erat in votis; sed variae gravesque temporum rerumque difficultates prohibuere, quominus alacriter incepta ad suum exitum adducerentur. Nunc autem, postquam universa India, haud obstante gentium morumque et plagarum latitudinis diversitate, sui iuris recens effecta est, hodierni Praesules maturitatem venisse censuerunt exoptati Concilii Plenarii concelebrandi. Multa sunt enim eaque magni ponderis in Episcoporum coetibus exagitanda, quorum expeditio rei catholicae felix incrementum afferre videtur, ut fideles Indiarum catholici aptioris beneque ordinati regiminis beneficia percipiant aliique cives innumeri, nondum Ecclesiae verae participes, ad montem domus Domini praeparatum oculos animosque suos convertant. Campus quidem pastoralis industriae ad animarum salutem in Indiis omni ope tuendam, ad prosperitatem ordinis ipsius civilis fovendam latissime patet. Non modo enim fines plurium dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum mutatis rerum condicionibus sunt accommodandi, verum etiam omnium quaedam promovenda tam clericorum quam laicorum in India conspiratio cum operum atque institutorum conjunctione, quae catholici nominis propagationem efficiat expeditiorem una cum ampliore virtutum christianarum cultu. Prospiciendum itaque erit, ut indigeni cleri augeatur in dies copia eiusque doctrina eruditioque perficiatur, ut actio catholica laicorum congrua temporibus ratione aptius ordinetur, ut constitutio catholicae studiorum Universitatis apparetur, ut caritatis educationisque instituta roborentur ac multiplicentur, ut religio caholica ope praesertim typographicae artis longe lateque evulgetur. Consilium autem Episcoporum, catholicae rei universae Indiae moderandae iam pridem praepositum, ex proximo Concilio Plenario maiorem procul dubio vim atque auctoritatem consequetur. Iam vero, quum de negotio tanti momenti tantaeque agatur utilitatis, peropportune in Codice iuris canonici cautum est, ut Plenarium Concilium per Legatum Pontificium, qui eidem praesideat, ab ipsa Petri Cathedra primum capiat auspicium et validum ad perficiendum opus incitamentum. Te igitur, Dilecte Fili Noster, qui, Romana purpura exornatus praeclarae Sydneyensis sedis gubernacula tenes, hisce Litteris Legatum Nostrum a Latere eligimus ac renuntiamus, ut, Nostram gerens personam, nomine Nostro Nostraque auctoritate Concilio Plenario, in Ianuarium mensem proximum in Bangalorensi urbe cogendo, praesis. Pro certo sane habemus, temet pro tua pietate ac prudentia per honorificum munus esse executurum. Tibi praeterea facultatem largimur, ut, die constituta, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque

auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Interea in auspicium caelestium luminum munerumque atque in praecipuae caritatis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, cunctis Praesulibus iisque universis, qui Concilio intererunt, effuso animo impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die **VII** mensis Novembris, anno **MDCCCCXXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACEA CONGREGATIO S. OFFICII

INSTRUCTIO

AD LOCORUM ORDINARIOS : ((DE MOTIONE OECUMENICA))

Ecclesia Catholica, etsi congressibus ceterisque conventibus « oecumenicis » non intervenit, nunquam tamen destitit, ut ex pluribus documentis Pontificiis colligitur, neque unquam in posterum desistei intensissimis studiis prosequi assiduisque ad Deum precibus fovere omnes conatus ad illud obtinendum, quod tantopere Christo Domino cordi est, videlicet ut omnes, qui credunt in Ipsum, « sint consummati in unum ».[1]

Etenim affectu plane materno omnes complectitur, qui ad ipsam tamquam ad unicam veram Christi Ecclesiam revertuntur; unde nequeunt satis probari et promoveri cuncta illa consilia et incepta, quae, consentiente Ecclesiastica Auctoritate, sive ad conversuros rite in fide instruendos, sive ad conversos in ea altius perficiendos, suscepta sunt atque peraguntur.

Iam vero in pluribus Orbis partibus, quum ex variis externis eventibus et animorum mutationibus, tum maxime ex communibus fidelium orationibus, afilante quidem Spiritus Sancti gratia, in multorum animis ab Ecclesia Catholica dissidentium desiderium in dies excrevit ut ad unitatem omnium redeatur, qui in Christum Dominum credunt. Quod profecto filiis Ecclesiae verae est causa sanctae in Domino laetitiae simulque invitamentum ad praestandum omnibus sincere veritatem quaerentibus auxilium, ipsis lucem et fortitudinem effusa prece a Deo sollicitando.

Conatus autem quidam a diversis sive personis sive etiam coetibus ad reconciliandos cum Ecclesia Catholica dissidentes christianos hucusque suscepti, quamvis optimis inspirentur intentionibus, non semper rectis innituntur principiis, et si quando innitantur, tamen peculiaribus non carent periculis, quemadmodum etiam experientia iam est compertum. Quare Supremae huic S. Congregationi, cui incumbit cura deposi-

[1] Ioan., XVII, 28.

tum fidei conservandi integrum ac tuendi, opportunum visum est in memoriam revocare et praecipere ea, quae sequuntur:

I. Quum praefata « reunió » ad Ecclesiae munus et officium potissimum pertineat, speciali cura Episcopos, quos «Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei »,[2] eidem attendere oportet. Ipsi igitur non solum diligenter et efficaciter universae huic actioni invigilare debent, verum etiam prudenter eam promovere et dirigere, tum ut adiuventur qui veritatem veramque Ecclesiam exquirunt, tum ut arceantur a fidelibus pericula, quae actionem ipsius « Motionis » facile consequuntur.

Quapropter in primis plane perspecta habere debent quaecumque in suis dioecesibus per illam « Motionem » constituta sunt ac geruntur. Ad hoc Sacerdotes idoneos designabunt, qui, iuxta doctrinam et normas a Sancta Sede praescriptas, v. gr. per Litteras Encyclicas « Satis cognitum »,[3] « Mortalium animos »[4] et « Mystici Corporis Christi », * omnia ad « Motionem » attinentia sedulo attendant, deque iis, modo ac tempore statuto, sibi referant.

Praecipua autem cura publicationibus, quae hac de re a catholicis quacumque forma eduntur, invigilabunt et sacrorum canonum « De praevia censura librorum eorumque prohibitione » (can. 1384, seq.) observantiam urgebunt. Quod idem facere non omittent quoad acatholicorum de eadem re publicationes, a catholicis sive edendas, sive legendas, sive vendendas.

Item ea diligenter providebunt, quae acatholicis, catholicam fidem cognoscere cupientibus, inservire possint; personas et Officia designabunt, quae iidem acatholici adire et consulere queant, eoque magis prospiciet, ut, qui ad fidem conversi iam fuerint, facile inveniant, qua ratione ipsi accuratius altiusque in fide catholica instruantur, vitamque religiosam actuose ineant, praecipue per opportunos conventus ac coetus, per Exercitia Spiritualia et alia pietatis officia.

II. Quoad *modum rationemque hoc in labore procedendi,* Episcopi ipsi, quaenam praestanda sint, quaenam vero evitanda, praescribent, eaque ab omnibus observanda curabunt. Pariter invigilabunt, ne, falso praetextu potius esse attendenda ea quibus coniungimur, quam ea quibus seiungimur, periculosus indifferentismus foveatur praesertim penes eos, qui minus rebus theologicis sunt instituti et minus in sua

[2] ***Act.,*** XX, 28.

[3] ***Acta Leonis XIII,*** vol. XVI, a. 1897, pag. 157 ss.

[4] ***Acta Ap. Sedis.,*** vol. XX, a. 1928, pag. 5 ss.

* ***Acta Ap. Sedis.*** vol. XXXV, a. 1943, pag. 193 ss.

religione exercitati. Cavendum est enim ne spiritu, qui *«irenicusy)* hodie dicitur, doctrina catholica — sive de dogmate sive de veritatibus cum dogmate connexis agatur — studio comparativo et desiderio vano assimilationis cuiusdam progressivae variarum professionum fidei ita conformetur vel quodammodo accommodetur doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur.

Arcebunt quoque periculosum illum loquendi modum, quo falsae opiniones gignantur ac fallaces spes, quae nunquam impleri possunt; ex. gr. dicendo quae de dissidentium ad Ecclesiam reditu, de Ecclesiae constitutione, de Corpore Christi Mystico in Litteris Encyclicis Romanorum Pontificum traduntur non ita aestimari debere, quippe quia non omnia sint fide tenenda vel, quod peius est, in rebus dogmaticis ne Catholicam quidem Ecclesiam iam habere plenitudinem Christi, sed ab aliis eandem perfici posse. Sedulo praecavebunt et firmiter insistent, ne, in exaranda Reformationis et Reformatorum historia, ita exaggeretur Catholicorum defectus et dissimulentur culpae Reformatorum, vel ita quae potius accidentalia sunt in lumine collocentur, ut iam id, quod maxime essentiale est, scilicet defectio a fide catholica vix amplius videatur et persentiatur. Denique curabunt, ne nimia ac falsa industria externa vel imprudentia excitatoque procedendi modo rei propositae potius noceatur, quam serviatur.

Tota igitur et *integra* doctrina catholica est proponenda atque exponenda : minime est silentio praetereundum vel ambiguis verbis obtegendum, quod veritas catholica complectitur de vera iustificationis natura et via, de Ecclesiae constitutione, de primatu iurisdictionis Romani Pontificis, deque unica vera unione per reditum dissidentium ad unam veram Christi Ecclesiam. Hii quidem edoceantur se ad Ecclesiam redeuntes nihil esse perdituros eius boni, quod gratia Dei in ipsis hucusque est natum, sed per reditum id potius completum atque absolutum iri. Attamen non ita de hoc est loquendum, ut ipsi sibi videantur redeuntes aliquid substantiale afferre ad Ecclesiam, quod in Ipsa hactenus defuerit. Haec revera clare et aperte dici oportebit, tum quia veritatem ipsi quaerunt, tum quia extra veritatem unio vera obtineri nunquam poterit.

III. Quoad *mixtos in specie catholicorum cum acatholicis conventus et collationes,* quae multis in locis ad fovendam in fide « reunionem » recentioribus temporibus haberi coepta sunt, singulari prorsus Ordinariorum vigilantia et moderamine opus est. Si enim optatam quidem praebent occasionem spargendi inter acatholicos cognitionem catholicae

doctrinae adhnc ipsis plerumque non satis cognitae, ex altera tamen parte facile secumferunt haud levia catholicis indifferentismi pericula. Ubi quaedam boni fructus spes affulgere videatur, Ordinarius rem curabit recte administrandam, designando quam maxime idoneos ad hos conventus sacerdotes, qui catholicam doctrinam apte congruenterque exponant ac defendant. Fideles autem eos conventus ne adeant, nisi obtenta venia peculiari Auctoritatis Ecclesiasticae, quae danda solummodo est iis qui bene instructi et fortes in fide cognoscantur. Ubi vero boni fructus spes non appareat, vel si res aliunde specialia quaedam pericula secumferat, fideles ab iisdem conventibus prudenter arceantur, conventus autem ipsi mature dissolvantur vel sensim exstinguantur. Quoniam vero experientia docet, ampliores eiusmodi conventus parum fructus et plus periculi solere afferre, nonnisi post diligentissimum examen permittantur.

Ad colloquia autem inter theologos catholicos et acatholicos mittantur tantummodo sacerdotes, qui, scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa vere idoneos se probaverint.

IV. Omnes praefatae collationes et conventus, publici et non publici ampliores et minores, ex condicto instituti, ut pars catholica et acatholica discussionis causa de rebus fidei et morum tractet suaeque fidei doctrinam tamquam propriam exponat, par cum pari agens, subsunt Ecclesiae praescriptis, quae *Monito* « Cum compertum » [6] huius Congregationis die 5 Iunii 1948 dato in memoriam sunt revocata. Conventus mixti itaque non absolute prohibentur; ne tamen habeantur absque praevia competentis Auctoritatis Ecclesiasticae venia. *Monito* autem non subiacent instructiones catecheticae, etiam pluribus simul impertitae, neque conferentiae, in quibus acatholicis conversuris exponitur doctrina catholica : etsi oblata occasione ab acatholicis suae quoque ecclesiae doctrina exponitur eum in finem, ut clare et considerate eis innotescat, in quo ipsa concordet cum doctrina catholica, in quo vero ab ea discrepet.

Neque idem *Monitum* respicit eos conventus catholicorum et acatholicorum mixtos, in quibus non agitur de rebus fidei ac morum, sed deliberate quanam via collatis viribus principia fundamentalia iuris naturae vel religionis christianae defendantur contra colligatus hodie Dei inimicos, vel agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus. Quibus etiam in conventibus, ut evidens est, catholicis non licet aliquid probare vel concedere quod cum divina revelatione et Ecclesiae, in re sociali quoque, doctrina non congruat.

* ***Acta Ap. Sedis.*** vol. XL, a. 1948, pag. 257.

Quoad collationes et conventus *locales,* qui iuxta exposita *Monito* tanguntur, Ordinariis locorum datur ad tres annos, a publicatione huius Instructionis computandos, facultas concedendi requisitam praeviam Sanctae Sedis licentiam, iis tamen condicionibus, ut

I° omnino evitetur in sacris communicatio ;

2° ipsae tractationes debito modo inspiciantur et dirigantur;

3° in fine cuiusque anni ad hanc Supremam S. Congregationem referatur, in quibusnam locis tales conventus initi fuerint et quaenam inde collectae sint experientiae.

Circa vero *colloquia theologorum* supra memorata, eadem facultas ad idem tempus tribuitur Ordinario loci, ubi eiusmodi colloquia habentur, vel Ordinario communi consensu ab aliis Ordinariis ad hoc opus dirigendum delegato, sub condicionibus, ut supra, ita tamen, ut item singulis annis ad hanc S. Congregationem referatur de quaestionibus tractatis, quinam interfuerint et quinam exstiterint ex utraque parte relatores.

Quod attinet ad *collationes et conventus interdioecesanos vel nationales sive internationales,* praevia semper, eaque specialis pro singulis casibus, necessaria est ipsius Sanctae Sedis venia, in cuius petitione addendum quoque est, quaenam sint quaestiones et res tractandae et quinam futuri sint relatores. Neque licet, antequam venia haec obtenta sit, inchoare externum eiusmodi conventuum apparatum vel hac in re cum acatholicis eundem inchoantibus collaborare.

V. Quamquam in omnibus hisce conventibus et collationibus quaelibet in sacris communicatio est devitanda, tamen non reprobatur communis recitatio Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia Catholica approbatae, qua iidem conventus aperiantur et eoncludantur.

VI. Etsi uniuscuiusque Ordinarii ius et officium est huic operi in sua dioecesi attendere, favere et praeesse, tamen plurium Antistitum cooperatio conveniens vel etiam necessaria erit in officiis operibusque ad *universum* hoc opus observandum, explorandum et moderandum instituendis. Ipsorum itaque Ordinariorum erit, collatis consiliis, examinare qua ratione apta in agendo uniformitas et ordinata colligatio obtineatur.

VII. Superiores religiosi invigilare et curare tenentur, ut sui subditi stricte fideliterque adhaereant iis, quae a Sancta Sede vel ab Ordinariis locorum hac in re praescripta sunt.

Quo autem tam praeclarum opus « reunionis » omnium christianorum in una vera fide Ecclesiaque magis in dies evadat insignita pars universae animarum curae, totusque populus catholicus ipsam « reu-

îiionem » instantius a Deo imploret, iuvabit profecto, ut fideles de his quaestionibus conatibusque, nec non de Ecclesiae ad rem praescriptionibus, deque rationibus, quibus eaedem nitantur, opportune, v. gr. per Litteras Pastorales, edoceantur. Omnes quidem et praesertim Sacerdotes et Religiosi adhortandi et inflammandi sunt, ut suis orationibus et sacrificiis idem opus fecundare ac promovere studeant, monendique omnes, nulla alia re efficacius errantibus sterni viam ad veritatem et Ecclesiam amplectendam, quam fide catholicorum probis moribus comprobata.

Datum Romae, ex aedibus **S.** Officii, die 20 decembris 1949.

f$ **FRANCISCUS** Card. **MARCHETTI SELVAGGIANI,** *Secretarius.*

Alaphridus Ottaviani, *Adsessor.*

SACKA CONGREGATIO RITUUM

i

IANUEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI MARIAE REPETTO, INSTITUTI FILIARUM DOMINAE NOSTRAE DE REFUGIO IN MONTE CALVARIO VULGO ((BRIGNOLINE)).

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Nobilissimam Ianuensem civitatem, quae die trigesimo Iunii mensis anno 1929 summo exsultavit gaudio, quia humillimus Franciscus a Campo Rubeo, frater laicus Ordinis Minorum Gapuccinorum, Beatus fuit renuntiatus, simili gaudio fruituram sperare licet, eo quod Famula Dei Soror Maria Repetto, eidem Beato tempore aequalis, in religiosae vitae condicione compar, eius in virtutibus aemula, ad similem assequendam gloriam, optimo omine proper are videtur. Et sane. In oppido ((Voltaggio », Ianuensis Archidioeceseos, die 1 Novembris omnium Sanctorum gloriae dicato, anno 1807 e Ioanne Baptista, tabellione, et Teresia Gazzale, christiana virtute commendandis, primogenita ex octo

liberis, nata est, statimque ob mortis periculum baptizata, puella, cuf- nomina Maria, Magdalena, Peregrina fuere imposita, suppletis, sequenti die, quae omissae fuerant, baptismi caeremoniis.

Pietate in Deum, eifusa in pauperes caritate intra domesticos parietes mire succrevit. Totum quod a familiaribus curis supererai temporis, totum in pauperum operariorum levamen et utilitatem, praesertim in eorum vestes sarciendas impendebat, detracto sibi necessario somno.

Vocanti, atque ad religiosam vitam Deo allicienti, generosa respondit, atque ad Institutum Filiarum Nostrae Dominae de Refugio in Monte Calvario, Genuae, die 7 Maii a. 1829 advolavit. Institutum hoc medio saeculo decimoséptimo Virginia Centurione fundaverat, efficaciter cooperante Emmanuele Brignole, qui veluti confundator iure est habendus, eo vel magis quod ipse, collato cum S. Vincentio a Paulo consilio, constitutiones conscripsit ; unde factum est ut Sorores vulgo « Brignoline » appellentur.

Famula Dei, tirocinio laudabiliter expleto, religiosam consecrationem emisit. Umbratilem vitam ducere exoptans, numquam e domo exibat, pluribus operibus intenta, quae sibi erant concredita, orationes simul coniungens, immo persaepe ad integras noctes coram Ss. Sacramento vigilare suescebat.

Cholerico morbo anno 1835 acerrime saeviente, infirmorum civium levamini attendit indefessa, nullum sibi impendens periculum vitae formidans. Quod anno 1854, eadem contagione iterum grassante, pari alacritate et caritate se prodegit.

Plurimi, non minimi quoque subsellii, eius caritatem atque vitae sanctitatem admirantes, ad eam fidenter accurrebant, ut ei suum aperirent animum salutaria consilia excepturi, in suis angustiis animo perplexi verbum divina sapientia refertum auscultarent, inopia pressi subsidia sibi compararent, angustiis omne genus laborantes ut solatium adipiscerentur, omnes ut se eius orationibus commendarent.

In quibus exercendis atque in religiosae vitae officiis tanta perfectione per annos ultra sexaginta se gessit, ut Ianuensis populus, qui Beatum Franciscum a Campo Rubeo, viventem Patrem Sanctum appellabat, Monachae Sanctae titulo Famulam Dei viventem honestavit. Annis et meritis onusta die 5 Ianuarii mensis anno 1890, Ecclesiae Sacramentis maximo animi fervore susceptis, ad caelestem Sponsum ex hoc mundo evolavit. Sanctitatis fama non modo post eius obitum non siluit,. sed Ianuensem Curiam impulit, ut canonicas inquisitiones super scriptis, fama sanctitatis atque urbanianis decretis, cultum liturgicum Dei Famulis prohibentibus, oboedientia perageret.

Quod ab anno 1927 ad annum 1933 actum est. Informativo triplici Hoc processu absoluto atque ad Urbem delato, servato iuris ordine, prius de scriptis apud Sacram hanc Congregationem disceptatum fuit, atque die 28 Novembris a. 1941 favorabile decretum editum est.

Plures interim Summo Pontifici ab Archiepiscopis, Episcopis, Generalibus Ordinum seu Congregationum Moderatoribus, aliisque litterae, causae Introductionem postulantes, fuerunt oblatae.

Instante itaque Rmo D. Georgio I. Scatena, Canonico Regulari Lateranensi', causae Postulatore, in Ordinario Sacrae huius Congregationis coetu, die 8 Martii anni huius habito, Emus ac Rmus D. Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens, dubium posuit discutiendum : *An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur,* de eaque retulit. Emi ac Rmi Patres, relatione auscultata, auditis quoque officialium Praelatorum suffragiis scripto latis, nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei generali Promotore, omnibus mature perpensis, rescribendum censuere : *Signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem de his per infrascriptum Cardinalem, S. R. C. Praefectum, relatione beatissimo Patri, Sanctitas Sua, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, *commissionem Introductionis causae Servae Dei .Maria Repetto* Sua manu dignata est signare.

Datum Romae, die 11 Martii a. D. 1949.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

II

GNESNEN, SEU VARSAVIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI RAPHAELIS CHYLINSKI, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM.

SUPER DUBIO

. *An constet de virtutibus theologalibus, Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Seraphicus Patriarcha ut populus ad christiana praecepta perfecte servanda revocaretur, religiosum Ordinem instituit, eique regulam tradidit, cuius prooemium sic effertur : « Regula et vita istorum Fratrum

haec est, scilicet vivere in obedientia, in castitate et sine proprio, et Domini Nostri Iesu Christi doctrinam et vestigia sequi, qui dicit : *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo et veni et sequere me* » (Mt., 16, 24). Et : « *Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, uxorem et filios, domos aut agros propter me centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit* » (Mt., 19, 29). Quod ad litteram Fratribus ac Sororibus, Tertiariis vero Sodalibus ad mentem, servandum proposuit. « Origo quippe est maxima, Leo XIII scribit, et maiorum quae premunt et periculorum quae metuuntur, neglecta christiana virtus : alteris vero mederi atque altera deprecari non alia homines ratione possunt, quam maturando privatim et publice ad Iesum Christum reditum », *qui salvare in perpetuum potest, accedentes per semetipsum ad Deum* (Hebr., VII, 25). « Iamvero in curandis Iesu Christi praeceptis instituta franciscana tota sunt posita, neque enim quicquam spectavit aliud auctor sanctissimus, quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana exerceretur » (Enc. *Misericors,* 30 Maii 1883).

Perfectum Patris Seraphici filium Raphael Chylinski se ostendit, cuius virtutes heroicum attigisse gradum per hoc decretum declarantur. Re sane vera :

In villa Wysoczko, Posnaniensis Palatinatus, e piis nobilibusque coniugibus Ioanne Arnulpho de Chylina Chylinski et Margarita Maria de Kierskie die 8 Ianuarii an. 1694 puer est natus, cui in sacro baptismo nomen Melchior impositum fuit. Sub diligenti parentum et cuiusdam sacerdotis disciplina domi institutus est; dein Posnaniae humanioribus studiis sedulo incubuit, atque interim pietate erga Deum ac effusissima in proximos caritate mire micabat. Parentibus morem gerens, militiae nomen dedit; verum non multo post christianae perfectionis desiderio, anno 1715 Fratrum Minorum Conventualium Ordinem est amplexus assumpto Raphaelis nomine, atque humilitatis amore inter fratres laicos adscisci quidem petiit, sed frustra. Tirocinio absoluto, anno 1716 sollemnia vota nuncupavit. Sacerdos factus sacris ministeriis ardentissimo zelo operam dedit, nulli parcens labori ut animas Christo lucrifaceret. Nemo eo humilior, nemo obedientior; paupertatis amantissimus, seraphici Patris vestigia perfectissime est sequutus. Die noctuque orationi tanto animi fervore instabat, ut saepe, uti plures asserunt testes, in extasim raptus visus sit. Cilicio, flagris, vigiliis, ieiunio aliisque asperitatibus corpusculum in servitutem redigebat. Erga proximos, pauperes praesertim, eius caritatis limites in excessum aliquando dilàbi putabatur. Ceterum virtutibus omnibus supra communem optimorum usum eni-

tuit. Nec desunt mira carismata, quibus Deus Servum suum ditare dignatus est, scrutati^nis cordium, sanationum, prophetiae aliorumque. Poenitentia laboribusque fractus, die 2 Decembris a. 1741 Lagiewnicii piissime diem supremum, Ecclesiae Sacramentis roboratus; obiit.

Sanctitatis fama erumpente servatis servandis, anno 1772 Clemens Papa XIV commissionem Introductionis causae obsignavit. Apostolicae inquisitiones mature sunt peractae. Res, approbatis iam processibus, pluribus de causis, diu siluit, eaque ultimis hisce annis resumpta est atque coram Cardinali Carolo Salotti, fel. rec, Antepraeparatoria Congregatio habita est die 20 Martii a. 1945 quam Praeparatoria est sequuta die 22 Aprilis a. 1947, et nova Praeparatoria die 11 Maii a. 1948. Demum Generalis coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 22 Martii anni huius : in qua infrascriptus Cardinalis, S. R. C. Praefectus et Causae Relator, dubium posuit disceptandum : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum quisque suffragium edidere. Beatissimus vero Pater ad hunc usque diem 13 Maii supremam sententiam edere distulit, ferventes interim, ut divinum sibi daretur beneplacitum agnoscere, preces effundens.

Quapropter infrascripto Cardinali, R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque Secretario accitis, sacrosancto eucharistico sacrificio devotissime celebrato, edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servi Dei Raphaelis Chylinshi in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Maii anno Domini 1949.

£g C. Card. **MIGARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. $ S.

t A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

III

MATRITEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE DESOLATAE TORRES ACOSTA, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM SERVARUM MARIAE INFIRMIS MINISTRANTIUM.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Ab ineffabili et gratuita Dei misericordia omnes homines vocantur ut unum corpus cum Christo capite efficiant, quam veritatem, ut in fidelium praesertim mentibus alte insereret, ipse Dominus pluribus sermonibus nos docere dignatus est, evidentius autem quando veluti sub oculis nostris extremi iudicii descriptionem subiecit. Dicit enim : « Filius hominis sedebit super sedem maiestatis suae ... Tunc dicet rex his, qui a dextris eius erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi; esurivi enim et dedistis mihi manducare, ... nudus et cooperuistis me; infirmus ... et visitastis me ... Tunc respondebunt ei iusti dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem et pavimus te? Quando autem te vidimus nudum et cooperuiinus te? Aut quando te vidimus infirmum ... et venimus ad te? Et respondens rex dicet illis : Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (Mt., XXV, 31, 40). Non dixit: Quasi mihi facta habeo, sed *mihi fecistis* — conexionem significans inter se et homines.

His divinis monitis formati vel ab Ecclesiae initio plurimi fideles caritatis operibus exsequendis, praecipue vero erga infirmos, se dedere, Christum ipsum in eis contemplantes. Inter hos non ultimum tenet-locum Venerabilis Maria Desolata Torres Acosta, quae divino instinctui obediens, Institutum Filiarum Servarum Mariae Infirmis Ministrantium condidit. Quantum autem gratum Deo fuerit suae Famulae opus, evidenter ostendit Instituti per totum orbem propagatio, et miracula eius intercessione patrata, ex quibus duo ad eius Beatificationem obtinendam causae actores proponunt.

I. Duodecim medici variis in locis, in quibus Soror Lucia Santiago Allende morata est, eam gastrico ulcere attactam fuisse, et quidem tu-

bercularis naturae, uti saltem quatuor ex his, stetoscopico peracto examine, asseruerunt. Duo periti officiales diagnosim gastrici ulceris confirmavere, tertius, licet ambigat de ulcere, morbi gravitatem agnoscit, atque nonnulla morbida facta tuberculari infectioni tribuere videtur. Huic gravissimo morbo tubercularis osteoperiostites ossis iliaci sinistri accessit : quam alteram diagnosim iidem officiales periti confirmaverunt. Uterque morbus eousque infirmam adduxerat, ut morientium sacramentis fuerit munita, atque obitus a medicis imminens iudicaretur. Invocata Venerabili Maria Desolata, die 10 Novembris anno 1915 in instanti Lucia perfecte ab utroque gravissimo morbo sanata est, miraculum conclamantibus tribus medicis, qui Vergarae, ubi ultimo morabatur, ei curam praestiterant. Idem tres officiales periti affirmant.

II. Puellam Mariam Puram Martínez Guzman chronica otite purulenta bilaterali attactam fuisse, non modo duo officiales periti una cum medente, sed ipsum medicum nostrae S. C. collegium edicunt. Concordes hi quoque sunt in gravi prognosi quod ad valetudinem et probabiliter etiam quod ad vitam, atque in instantánea, perfecta et perseveranti sanatione praeter naturae leges affirmandis. Certa quoque est Venerabilis Mariae Desolatae invocatio.

De his sanationibus Apostolicae inquisitiones in Victoriensi et Zamorensi Curiis actae sunt, pro quarum iuridica vi die 24 Aprilis a. 1942 decretum est. Hoc posito, die 30 Novembris a. 1943 coram desideratissimo Revmo Cardinali Carolo Salotti, causae tunc Ponente seu Relatore, Antepraeparatoria Congregatio habita fuit; Praeparatoria die 31 Maii a. 1949; Generalis vero die 22 Novembris huius anni, in qua infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus atque Causae Relator dubium proposuit discutiendum : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum, de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suam aperuerunt mentem; Beatissimus vero Pater Suam sententiam edere usque ad hunc diem distulit, ut Suis adstantiumque precibus caeleste lumen impetraret.

Quocirca ad Se infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto et Causae Ponente, R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali meque Secretario accitis, sacrosancto Missae sacrificio religiose celebrato, edixit : *(Jonstare de duobus miraculis,* nimirum *de instantánea, perfectaque sanatione cum Sororis Luciae Santiago Allende a gravi morbo gastrico chronico et ab osteoperiostite tuberculari ossis iliaci sinistri tum puellae Mariae Purae Martínez Guzman a chronica otite purulenta bilaterali.*

-, Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Novembris, Dominica prima Sacri Adventus, a. D. 1949.

6B C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

IV

BERGOMEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI PAULAR ELISABETH CERIOLI, VIDUAE BUZZECCHI TASSIS, FUNDATRICIS INSTITUTI SANCTAE FAMILIAE.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Si mirabilis est Deus in Sanctuariis suis, in locis nimirum, in quibus uberiores gratias in fideles effundere consuescit, multo mirabilior est in animis eorum, quos inscrutabili iudicio eligit, elevatque ad insigne virtutum exercitium, iisdem tamen, pro suo posse, tantum beneficium rependentibus. Immo saepe Dominus large munificus, ut Famulorum suorum merita atque apud Se efficax intercessionis potentia fidelibus innotescant, miracula patrat, quasi divinum testimonium eorum sanctitatem probans. Sapienter itaque Sancta Ecclesia, ut tuto pede ad Beatificationis seu Canonizationis honores tribuendos procedat, postquam iudicium iuxta acta et probata pro heroicis virtutibus ediderit, divinum quoque miraculorum testimonium requirit.

Hisce prae oculis habentes, actores Causae Beatificationis Venerabilis Servae Dei Paulae Elisabeth Cerioli, Viduae Buzzecchi Tassis, duas sanationes sacrae huic Congregationi exhibuere, quae divinae actioni, Venerabili Paula intercedente, visae sunt tribuendae. Et sane.

I. Anamnesis familiaris diathesisque personalis vehementer conspirant ut a priori par sit praeferre iudicium Assumptam Barbieri decem et octo annos natam tuberculari infectioni subiectam fore. Quod reapse evenit. Phthisi enim pulmonari evolutiva bilaterali Assumpta affecta fuit; quae eousque processit, ut ad mortis limen fuerit adducta, sine ulla recuperandae valetudinis spe. Quare sacrum Viaticum et extrema Unctio collata ei fuere. Die 7 Iulii 1930 medens domesticis dixit mortem imminere ; in qua conditione nocte permansit.

Venerabili Dei famula Paula Elisabeth ferventer fidentique animo

invocata-, sequentis diei mane, Assumpta e lecto surgit, e domo exit, ad parochialem Ecclesiam accedit, viles cibos sumit perfecteque sanata, omnibus mirantibus, evadit atque in recuperata valetudine perseveravit.

Diagnosim, prognosim atque sanationem praeter naturae leges evenisse cum medens tum ex officio periti, immo et medicum nostrae Sacrae Congregationis collegium plene comprobant. Mira haec sanatio in oppido « Gallignano » prope « Soncino » in Cremonensi dioecesi die 8 Iulii 1930 evenit.

II. Elisa Lupini, Alexandri Leidi uxor, in oppido « Treviolo », Bergomensis dioecesis, prius tuberculari carie eoccygis ossis affecta, chirurgico ferro perfecte fuit sanata. Verum anno 1920 arthrosynovite pariter tuberculari tentata fuit, quae eousque increvit, ut a medentibus necessaria habita fuerit artus amputatio. Elisa mori potius parata quam amputation! subici, ad caeleste auxilium implorandum se convertit. Amicae cuiusdam consilio ad Venerabilis Paulae sepulcrum, in oppido « Com onte » situm, perrexit.

Graves dolores in itinere est passa. Ante Venerabilis sepulcrum orans, statim aliquantulam salubrem mutationem sentit, quae intra 15 dies perfecta facta est.

Diagnosim et prognosim medentium omnino approbant tres ex officio periti : concors etiam est horum sententia sanationem transgredí omnino naturae vires.

Apostolicae inquisitiones de priori sanatione in Cremonensi et Mediolanensi, de altera in Bergomensi Curiis fuerunt peractae, pro quarum valore iuridico, die 27 Februarii 1943, decretum est. Servatis itaque de iure servandis de his assertis miraculis coram desideratissimo Cardinali Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, tunc Causae Ponente, in Antepraeparatoria Congregatione die 10 Iulii 1945 actum est, dein in Praeparatoria die 10 Maii a. 1949, demum in Generali coram Ssmo D. N. Pio PP. XII die 22 Novembris anni huius, in qua infrascriptus Cardinalis S. B. C. Praefectus atque causae Relator dubium posuit disceptandum : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum quisque suffragium edidit. Beatissimus vero Pater, ut moris est, suam ad hodiernam usque diem edere distulit sententiam,, férvidas interim ingeminans preces.

Eapropter infrascriptum Cardinalem atque R.. P. Salvatorem Natucci, Generalem Fidei Promotorem, meque Secretarium ad se advocavit, sacraque Hostia devotissime litata, edixit : *Constare de duobus propositis miraculis,* nimirum *de instantánea perfectaque sanatione Assumptae*

Barbieri a tubérculo si pulmonari evolutiva bilaterali necnon *de perfecta sanatione Elisae Lupini heidi ab artìvr o synovite tuberculari laevi genu.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 27 Novembris, Dominica prima Sacri Adventus, a. D. 1949.

£8 C. Card. **MIGARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

V

ROMANA **SEU** MACERATE^, **ET** TOLENTIN.

CANONIZATIONIS B. VINCENTII MARIAE STRAMBI, E CONGR. CLERICORUM EXC ALCEATORUM SSMAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C, EPISCOPI MACERATEN. ET TOLENTIN.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, **TUTO** *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Primus electissimus Sanctitatis flos, qui in religiosa familia a S. Paulo a Cruce eiusque fratre Ven. Ioanne Baptista a S. Michaele Archangelo condita, suavissimum odorem effudit, merito est agnoscendus Beatus Vincentius Maria Strambi. Hic Centumcellis die 1 Ianuarii a. 1745 ortus, sacerdos factus, ab eodem S. Paulo in suam Congregationem exceptus, animorum salutis zelo exardescens, divini verbi indefessus praeco, laetissimos uberrimosque fructus retulit, insignis aemulator sui spiritualis patris agnoscendus.

Ad Maceratensem et Tolentinam Dioeceses regendas a Pio VII sa. me. a. 1801 missus, fideles sibi concreditos verbo, virtutum exemplo ad mores emendandos ac pietatem sectandam adeo efficaciter adlaboravit, ut nostris quoque diebus tanti ministerii vivida adhuc memoria perseveret. Pro Ecclesiae libertate servanda exsiliunt potius pati, quam impium iuramentum a gallico invasore Episcopis impositum elicere maluit.

Anno 1825 Leo Papa XII, venerandi senis precibus, Pio VII quoque iteratis, commotus, eum a vinculo, quo Ecclesiis Maceratae et Tolentini tenebatur, absolvit, voluitque ut in Apostolico Palatio in Quirinali colle habitaret. Non est abs re commemorare Dei Servum vitam suam pro m o-

riente Pontifice obtulisse. Deus Servi sui oblationem excepit. Vix dum enim ipse Missam ad hunc finem in Nativitatis Domini pervigilio celebrat, Pontifex continuo perfecteque convalescit, et per quinquennium Ecclesiam rexit, ut ei Vincentius praedixerat. Ipse vero quatuor post dies graviter infirmatus est dieque primo Ianuarii anno 1824 lectissimam animam exhalavit.

Sanctitatis fama magis magisque erumpente, Beatificationis causa a Gregorio PP. XVI a. 1843 introducta est. Servatis omnibus de iure servandis, Leo XIII heroicas Servi Dei fuisse virtutes edixit ; Pius vero XI, miraculis approbatis, eum Beatificationis gloria die 26 Aprilis a. 1925 honestavit.

Die 25 Novembris a. 1925 Canonizationis causa resumpta est duoque miracula a Deo, Beato Vincentio Maria interveniente, patrata fuisse Ssmus D. N. die 31 Iulii huius anni approbavit.

Ut autem iuridice constet sacram hanc Congregationem omnia servasse, quae a iure et praxi praescribuntur antequam Summus Pontifex ad consistorialia acta, proxime ad Canonizationem spectantia, procedat, in generali Sacrae huius Congregationis coetu coram Eodem habendo, Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores super dubio sunt interrogandi : *An stante approbatione duorum miraculorum post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem.* **TUTO** *procedi possit ad sollemnem Eiusdem Canonizationem.*

Quod dubium a Revmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore, die 22 Novembris anni huius propositum est ; cui omnes quotquot aderant unanimiter favorabili suffragio responderunt.

Beatissimus vero Pater ad hunc usque diem 27 mensis huius, Dominicam primam sacri Adventus, suam sententiam edere distulit, ut divinam Suae mentis illustrationem precibus imploraret.

Quare Revm os Cardinales, Relatorem nempe atque infrascriptum, necnon R. P. Salvatorem Natucci, generalem Fidei Promotorem meque Secretarium arcessivit, divinoque sacrificio religiosissime celebrato, edixit : **TUTO** *procedi posse ad Beati Vincentii Mariae Strambi sollemnem Canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, 27 Novembris a. D. 1949.

SB C. Card. M**IGARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. $i S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

BOSTONIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (LYNCH-GLYNN)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Iacobi Glynn, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Romae, Palazzo della Cancelleria) die 6 Martii 1950 bora undecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Iacobi Glynn, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

I. Teodori, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 29 Decembris 1949.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Jacques Glynn, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 6 mars 1960, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Jacques Glynn devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (STORCI-BOZZO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dfii Henrici Bozzo, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. B. Rotae (Romae, Palazzo della Concelleria), die 30 Maii 1950 hora undecima, **ad** concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et **ad** diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dui Henrici Bozzo, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Iosephus Pasquazi, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 31 Ianuarii 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Henri Bozzo, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 30 mai 1950, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-1-il de la nullité du mariage dans le cas f

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Henri Bozzo devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Giovedì, 26 gennaio 1950, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Signor Dott. JULIO ***ALEMÁN*** BERMÚDEZ, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica del Panama, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

27 dicembre 1949. Il Revmo Padre Portier Giuseppe, dei Missionari d'Africa, *Consultore della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

28 gennaio 1950. Il Revmo Padre Siffrin Pietro, dell'Ordine di San Benedetto, *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti, per la sacra Liturgia.*

Prelati Domestici di Sua Santità :

22 febbraio 1945. Monsig. Secours Giuseppe Emilio, dell'arcidiocesi di Ottawa.

30 aprile » Monsig. Burns Guglielmo Giuseppe, dell'arcidiocesi di Halifax.

8 giugno » Monsig. McDonald Murphy Rinaldo, dell'arcidiocesi di S. Giovanni di Terranova.

11 dicembre » Monsig. Lavergne Omero, della diocesi di Mont Laurier.

25 giugno 1946. Monsig. "Wintermann Bernardo, della diocesi di Osnabrück.

30 ottobre » M'onsig. Pfister Pietro, dell'arcidiocesi di Besançon.

27 marzo 1947. Monsig. Brennan Francesco G., della diocesi di London.

» » » Monsig. Campeau Giuseppe Norman, della medesima diocesi.

» » » Monsig. Dillon Guglielmo, della medesima diocesi.

» » » Monsig. Kelley Giacomo C, della medesima diocesi.

» » » Monsig. Langlois Vilfrido G., della medesima diocesi.

20 aprile » Monsig. Barlett Giorgio Francesco, dell'arcidiocesi di S. Giovanni di Terranova.

20	aprile	1947.	Monsig. Mäher Edmondo Patrizio, della medesima arcidiocesi.
25	maggio	»	Monsig. Arril Giulio, dell'arcidiocesi di Avignone.
»	»	»	Monsig. Monier Emilio, della medesima arcidiocesi.
14	settembre	»	Monsig. Lang Matteo, dell'arcidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
12	ottobre	»	Monsig. Doyle Emmetto A., della diocesi di Hamilton.
»	»	»	Monsig. Zettler Francesco A., della medesima diocesi.
18	»	»	Monsig. Boppo Lino, dell'arcidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
»	»	»	Monsig. Maiehle Alberto, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Wilkenhausen Alfredo, della medesima arcidiocesi.
1	novembre	»	Monsig. Wolker Lodovico, dell'arcidiocesi di Colonia.
13	»	»	Monsig. Baeckling Luigi, dell'arcidiocesi di Paderborna.
»	»	»	Monsig. Rintelen Federico, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Rhode Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
23	»	»	Monsig. Hartmann Francesco S., della diocesi di Augusta.
«	»	»	Monsig. Braun Giovanni, della diocesi di Treviri.
14	gennaio	1948.	Monsig. Rauch Giacomo, della diocesi di Limburgo.
»	»	»	Monsig. Gabriel Alessandro, dell'arcidiocesi di Paderborna.
3	febbraio	»	Monsig. Franz Giuseppe, della diocesi di Ratisbona.
»	»	»	Monsig. Hoefner Michele, della medesima diocesi.
17	aprile	»	Monsig. Dörfler Pietro, dell'arcidiocesi di Monaco.
»	»	»	Monsig. Jrschl Simone, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Legge Teodoro, dell'arcidiocesi di Paderborna.
27	»	»	Monsig. Rehmann Teodoro, della diocesi di Aquisgrana.
»	»	»	Monsig. Solzbacher Giovanni, della medesima diocesi.
9	maggio	»	Monsig. Klein Giovanni, dell'arcidiocesi di Bamberga.
»	»	»	Monsig. Kraft Benedetto, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Moeckel Baldassarre, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Meinertz Massimiliano, della diocesi di Münster.
13	»	»	Monsig. de Unzalu Giovanni, dell'arcidiocesi di Valenza.
28	settembre	»	Monsig. Peters Francesco Giuseppe, dell'arcidiocesi di Colonia.
20	ottobre	»	Monsig. Marschall Bernardo, della medesima arcidiocesi.
9	dicembre	»	Monsig. Kather Arturo, della diocesi di Warmia.
3	marzo	1949.	Monsig. Baumgärtier Giovanni B., della diocesi di Passavia.
»	»	»	Monsig. Dachsberger Giovanni, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Freunsdorfer Giuseppe, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Poxrucker Francesco X., della medesima diocesi.
2	maggio	»	Monsig. Higgins Clarenzio J., della diocesi di Peoria.

2	maggio	1949.	Monsig. Sheedy Bernardo, della medesima diocesi.
20		»	Monsig. Motri Luigi Uberto, della diocesi di Albany.
»		»	Monsig. Feeney Tommaso, della diocesi di Davenport.
»	»	»	Monsig. Schmidt B. Guglielmo, della medesima diocesi.
22		»	Monsig. Jordan J. Tommaso, della diocesi di Peoria.
30	»	»	Monsig. Dowed Riccardo, della diocesi di Cleveland.
»		»	Monsig. El well Clarenzio E., della medesima diocesi.
	»		Monsig. Howard Teare Giovanni, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. McBride Carlo, della medesima diocesi.
		»	Monsig. Mulligan Tommaso P., della medesima diocesi.
		»	Monsig. Oman Giovanni J., della medesima diocesi.
		»	Monsig. Arrell Luciano Giuseppe, della diocesi di Fargo.
1	giugno		Monsig. Kevane Michele Eugenio, della diocesi di Sioux City.
3	luglio		Monsig. Bedeschi Giuseppe, dell'arcidiocesi di Ferrara.
	»		Monsig. Benvenuti Adriano, della medesima arcidiocesi.
»		»	Monsig. Mari Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
17		»	Monsig. Ladogana Francesco, della diocesi di Cerignola.
31		»	Monsig. Aberle Giorgio P., della diocesi di Bismark.
»	»		Monsig. Heinz Giovanni J., della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Hogan Giovanni W., della medesima diocesi.
	»	»	Monsig. Barrett Paolo, della diocesi di Owensboro.
	»	»	Monsig. Braun Pietro, della medesima diocesi.
»		»	Monsig. Higgins Giovanni, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Jarboe Guglielmo, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Binni Adolfo, della diocesi di Teramo.
•6	agosto	»	Monsig. Meaggia Sebastiano, della diocesi di Bosa.
»	»	»	Monsig. Habra Giuseppe, dell'arcidiocesi di Damasco dei Siri.
»			Monsig. Kandela Paolo, dell'arcidiocesi di Mossul dei Siri.
12		»	Monsig. Balbi Domenico, della diocesi di Faenza.
»	»	»	Monsig. Destefani Gaspare, dell'arcidiocesi di Torino.
»	»	»	Monsig. Ederle Guglielmo, della diocesi di Verona.
18	»	»	Monsig. Adams Giuseppe F., dell'arcidiocesi di Chicago.
»	»	»	Monsig. Broderick Edoardo E., della medesima arcidiocesi.
	»	»	Monsig. Barrett Giovanni, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Canty Tommaso A., della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Cook Vincenzo, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Chyla Stanislao P., della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Fennessy Michele F., della medesima arcidiocesi.
D)	»	»	Monsig. Ferring Giovanni B., della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Gorey Guglielmo A., della medesima arcidiocesi.

18 agosto 1949. Monsig. Hurkmans Lorenzo P., della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Kearns Giovanni J., della medesima arcidiocesi.
» Monsig. McMahon Stefano E., della medesima arcidiocesi.
» Monsig. O'Brien Raimondo J., della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Radniecki Stanislao, della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Szudzinski Bernardo K., della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Urba Boleslao, della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Wagener Giovanni T., della medesima arcidiocesi.
24 Monsig. Belgrano Antonio, della diocesi di Albenga.
Monsig. Jovine Egidio, dell'arcidiocesi di Napoli.
» Monsig. Mulier Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
7 settembre Monsig. De Maria Raffaele, dell'arcidiocesi di Sorrento.
17 » Monsig. Coleman Guglielmo, della diocesi di Winona.
» » Monsig. Cunningham Donaldo Arturo, della medesima diocesi.
» Monsig. Galligan Raimondo Michele, della medesima diocesi.
» » Monsig. Jennings Roberto, della medesima diocesi.
» » Monsig. Matthews Filippo, della medesima diocesi.
» » Monsig. Meyers Giovanni, della medesima diocesi.
» » Monsig. Steger Clemente Bernardo, della medesima diocesi.
15 » Monsig. Stefanachi Tommaso, della diocesi di Ugento.
2 ottobre Monsig. Tirinzoni Giovanni, della diocesi di Como.
» » Monsig. Lazzari Stefano, della diocesi di Cremona.
» » Monsig. Archambault Oddone, della diocesi di Joliette.
» Monsig. Ferland Ettore, della medesima diocesi.
» » Monsig. Gervais Ireneo, della medesima diocesi.
» » Monsig. Martin Alberto, della diocesi di Nicolet.
20 » Monsig. Lopez Ambrogio, della diocesi di Rio Cuarto.
6 dicembre Monsig. Carboni Romolo, della diocesi di Fano.
» » Monsig. Scapinelli di Leguigno Giovanni Battista, della diocesi di Apuania.
Monsig. Rossi Opilio, della diocesi di Piacenza.
20 Monsig. Marchioni Ambrogio, dell'arcidiocesi di Napoli.

Camerieri segreti soprannumerarii di Sua Santità:

26 ottobre 1944. Monsig. Bremer Carlo, dell'arcidiocesi di Colonia.
» » » Monsig. Pottgiesser Alessandro, della medesima arcidiocesi.
14 » 1947. Monsig. Chaudre Alberto, della diocesi di Aquisgrana.

18	ottobre	1947.	Monsig. Baumeister Gualtiero G., dell'arcidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
	#	»	Monsig. Beuter Norberto, della medesima arcidiocesi.
	»		Monsig. Dietrich Agostino, della medesima arcidiocesi.
	»	»	Monsig. Fischer Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
»		»	Monsig. Geis Rodolfo, della medesima arcidiocesi.
	»	»	Monsig. Joeger Kuno, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Spinner Ambrogio, della medesima arcidiocesi.
»		»	Monsig. Stemmer Francesco, della medesima arcidiocesi»
»			Monsig. Vomstein Carlo, della medesima arcidiocesi.
29	»	»	Monsig. Kramer Benno, della medesima arcidiocesi.
2	febbraio	1948.	Monsig. Gelhaus Guglielmo, della diocesi di Münster.
17	aprile		Monsig. Hillreiner Giuseppe, dell'arcidiocesi di Monaco.
»	»	»	Monsig. Jandl Oscar, della medesima arcidiocesi.
»	»		Monsig. Köpping Federico, dell'arcidiocesi di Paderborna..
»			Monsig. Kümmel Ermanno, della medesima arcidiocesi.
27		»	Monsig. Boll Giuseppe Giovanni L., della diocesi di Aquisgrana.
	»	»	Monsig. Firmenich Pietro, della medesima diocesi.
		»	Monsig. Nolte Giovanni F. M., della medesima diocesi.
8	maggio		Monsig. Pabst Giovanni, della diocesi di Limburgo.
	»		Monsig. Grellner Giovanni, dell'arcidiocesi di Bamberga.
»	»	»	Monsig. Decking Giuseppe, della diocesi di Münster.
		»	Monsig. Surman Enrico, della medesima diocesi.
»		»	Monsig. Währung Alessandro, della medesima diocesi.
2		1949.	Monsig. Blecke Francesco F., della diocesi di Peoria.
»		»	Monsig. Middleton Gilberto, della medesima diocesi.
»		»	Monsig. Murray Haas Vincenzo, della medesima diocesi.
3	luglio	»	Monsig. Pivari Guido, dell'arcidiocesi di Ferrara.
13		»	Monsig. Andrejkovic Violando, della diocesi di Presov.
17		»	Monsig. Coradini Francesco, della diocesi di Arezzo.
»		»	Monsig. Goggi Pietro, della diocesi di Tortona.
31		»	Monsig. Bellani Angelo, della diocesi di Bergamo.
	»	»	Monsig. Indelicato Salvatore, della diocesi di Lecce.
	»	»	Monsig. Henninger Gilberto, della diocesi di Owensboro.
6	agosto		Monsig. Marino Nicola, della diocesi di San Severo.
	»	»	Monsig. Papa Raffaele, della medesima diocesi.
12	»		Monsig. Caruso Colombo, della diocesi di Ariano Irpino-
»			Monsig. Moncallero Giuseppe, della diocesi di Castellammare di Stabia.
		»	Monsig. Righini Claudio (Roma).
»		»	Monsig. Gei Giovanni, della diocesi di Tortona.

12 agosto 1949. Monsig. Riccardi Ezio, della medesima diocesi.
18 » » Monsig. Byron Guglielmo J., dell'arcidiocesi di Chicago.
» » » Monsig. Kelly Edoardo J., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Koenig Enrico J., della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Kush Giuseppe T., della medesima arcidiocesi.
Monsig. Lawler Giacomo M'., della medesima arcidiocesi.
Monsig. Meegan Pietro D., della medesima arcidiocesi.
Monsig. Meter Carlo, della medesima arcidiocesi.
Monsig. Primeau Ernesto J., della medesima arcidiocesi.
Monsig. Reed Tommaso J., della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Sehnke Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
» Monsig. Smaza Edoardo J., della medesima arcidiocesi.
.24 Monsig. Calorio Luigi, della diocesi di Alba.
» Monsig. La Mgra Ignazio, della diocesi di Caltanissetta.
28 Monsig. Doria Michele, della diocesi di Andria.
» Monsig. Losito Riccardo, della medesima diocesi.
7 settembre Monsig. Loiacono Michele, dell'arcidiocesi di Bari.
» » Monsig. Corrías Francesco, dell'arcidiocesi di Oristano.
» » Monsig. Falaguerra Mario, della diocesi di Susa.
17 » Monsig. Freking Federico Guglielmo, della diocesi di Winona.
23 » Monsig. Becchetti Domenico, della diocesi di Nocera e Gualdo.
» Monsig. Sigismundi Gino, della medesima diocesi.
» » Alonsig. Felici Beniamino, dell'arcidiocesi di Urbino.
2 ottobre » Monsig. Menichini Sebastiano, della diocesi di Foligno.
4 » Monsig. Poledrini Alfredo (Roma).
20 » Monsig. Arguello Aquilino, della diocesi di Rio Cuarto.
» » » Monsig:. Fassi Giovanni Battista, della medesima diocesi.

Cameriere segreto soprannumerario di spada e cappa di S. S. :

giugno 1949. Il nob. Renato dei conti Gauttieri, della diocesi di Narni.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di Sua Santità:

'23 novembre 1947. Monsig. Stiegeler Enrico, della diocesi di Aquisgrana.
9 maggio 1948. Monsig. Krone Enrico, della diocesi di Münster.
» » Monsig. Leiwering Uberto, della medesima diocesi.
';>) » Monsig. Roer Walter, della medesima diocesi.
» Monsig. Wieschebrink Teodoro, della medesima diocesi.
" luglio 1949. Monsig. Zehrer Francesco, della diocesi di Segovia.
23 » Monsig. Randazzo Giuseppe, della diocesi di Caltanissetta.
25 » » Monsig. Mcoletti Mariano, della diocesi di Nocera e
23 settembre Gualdo.

Camerieri d'onore soprannumerarii di spada e cappa di S. S.:

29 giugno 1949. Il sig. Romanini Giorgio (Roma).
» » » Il sig. Macken Francesco, del vicariato apost, di Uganda.
21 settembre » Il sig. Rinaldi Antonio (Roma).

Cappellano segreto d'onore di Sua Santità:

16 gennaio 1949. Monsig. Gianone Egidio, dell'arcidiocesi di Strigonia.

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire :

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

24 giugno 1947. Al sig. Emerson Edoardo Luigi, dell'arcidiocesi di S. Giovanni di Terranova.
7 novembre » Al sig. Bullinger Giuseppe, dell'arcidiocesi di Bamberga.
17 giugno 1949. Al sig. Fleetwood Araldo Gustavo, del vicariato apost, di Svezia.
4 agosto » Al sig. Moroder Lucio, dell'arcidiocesi di Ancona.
6 » » Al sig. Lancellotti Mario, dell'arcidiocesi di Ferrara.
18 » » Al sig. Moorhead Luigi, dell'arcidiocesi di Chicago.
28 » » Al sig. Sampietro Carlo, dell'arcidiocesi di Catania.
» » » Al sig. Bianchi Mario Felice (Roma).
» » » Al sig. Gallarini Achille, dell'arcidiocesi di Torino.
7 settembre » Al sig. Ambrosi De Magistris Leopoldo, dell'arcidiocesi di Napoli.
» » Al sig. Del Giudice Luigi, della medesima arcidiocesi.
» » Al sig. Persico Ernesto, della medesima arcidiocesi.
» » Al sig. Scandone Francesco, della medesima arcidiocesi,
» » » Al sig. Tibò Angelo, della medesima arcidiocesi.
15 » » Al sig. Locatelli Franco, della diocesi di Bergamo.
» » » Al sig. Bianchi Martina Franco, dell'arcidiocesi di Ver^celli.
17 » » Al sig. Cingolani Marino, della diocesi di Recanati.
23 » » Al conte Manin Lodovico Leonardo, dell'arcidiocesi di Udine.
2 ottobre » Al sig. De Beni Luigi, della diocesi di Bergamo.
14 » » Al sig. Tarafa y Govin Antonio, dell'arcidiocesi di Habana.
24 »? Al sig. Domenico Giuseppe Marcello, della diocesi di Brooklyn.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

27	agosto	1947.	Al sig. Jeffrey Ronaldo Angus, della diocesi di Pembroke.,
17	aprile	1948.	Al sig. Graf Ottone, dell'arcidiocesi di Paderborna.
25	febbraio	1949.	Al sig. Gonzalez Gordon Alvaro, della diocesi di Camagüey.
2	maggio	»	Al sig. Schaefer Pietro, della diocesi di Peoria.
6	»	»	Al sig. Kiwanuka Raoul, del vicariato apost, di Uganda.
22		»	Al sig. Mulholland Tommaso, della diocesi di Brooklyn.
17	giugno	»	Al sig. Chamay Andrea, della diocesi di Losanna, Ginevra e Friburgo.
»	»	»	Al sig. Gency Francesco, della medesima diocesi.
25	»	»	Al sig. Rimbaud Emanuele, della diocesi di S. Pietro della Martinica.
18	agosto	»	Al sig. Condón Tommaso G., dell'arcidiocesi di Chicago.
»	»	»	Al sig. Kania Giuseppe L., della medesima arcidiocesi.
		»	Al sig. Krez Giovanni J., della medesima arcidiocesi.
7	settembre	»	Al sig. Gatta Emilio, della diocesi suburbicaria di Frascati.
23	»	»	Al sig. Pacillo Vincenzo, della diocesi di Campagna.
»	»	»	Al sig. Cartuyvels Fernando, dell'arcidiocesi di Malines.
»	»	»	Al sig. Vandecapelle Camillo, della medesima arcidiocesi.
2	ottobre	»	Al sig. Orrigo Luigi, dell'arcidiocesi di Sorrento.
14	»	»	Al sig. Forest Ernesto, della diocesi di Joliette.
»	»	»	Al sig. La Fortune Giuseppe, della medesima diocesi.
»	»	»	Al sig. Landry Oscar, della medesima diocesi.
		»	Al sig. Tellier Roberto, della medesima diocesi.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa :

11	febbraio	1947.	Al sig. Sormanti Luigi (Roma).
2	maggio	1949.	Al sig. Watson Luca, della diocesi di Peoria.
9	giugno	»	Al sig. Barone Edoardo, della diocesi di S. Marco e Bisignano.
17	»	»	Al sig. Condro Adolfo, della diocesi di Ascoli Piceno.
23	luglio	»	Al sig. Bertulessi Giovanni, della diocesi di Bergamo.
»	»	»	Al sig. Martini Mario, della medesima diocesi.
»	»	»	Al sig. Frank Giuseppe (Roma).
6	agosto	»	Al sig. Bigoni Lottano Luigi, dell'arcidiocesi di Ferrara.
	»	»	Al sig. Stocchetti Antonio, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Al sig. Tibertelli Pietro, della medesima arcidiocesi.
8		»	Al sig. Santarelli Leone (Roma).
10		»	Al sig. Behloq Yorki, dell'arcidiocesi di Aleppo dei Siri.
»	»	»	Al sig. Hannouche Zaccaria, della medesima arcidiocesi.

28 agosto 1949. Al sig. Maranghi Virgilio, della diocesi di Arezzo.
» » » Al sig. Parrini Eugenio (Roma).
7 settembre » Al sig. Serafini Sante (Roma).
15 » » Al sig. Scaloni Remo, dell'arcidiocesi di Ancona.
» » <» Al sig. Coruzzi Cesare, della diocesi di Reggio Emilia.
17 » » Al sig. Reguitti Aristide, della diocesi di Brescia.
» » » Al sig. Bresca Vittorio Amedeo, dell'arcidiocesi di Genova.
23 » » Al sig. Battarino Vincenzo Osvaldo, dell'arcidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Aringoli Domenico, dell'arcidiocesi di Camerino.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa :

18 ottobre 1947. Al sig. Schäfer Ottone, dell'arcidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
9 maggio 1948. Al sig. Reineke Werner, della diocesi di Münster.
» » » Al sig. Kreuz Agostino, della medesima diocesi.
3 febbraio 1949. Al sig. Hid Constantin, del vicariato apost, della Guinea Francese.
25 » » Al sig. Correoso Quesada Alfredo, della diocesi di Camagüey.
» » » Al sig. Martínez Antonio, della medesima diocesi.
17 giugno » Al sig. Caruso Giovanni, dell'arcidiocesi di Benevento:
» » » Al sig. Marino Pietro, della medesima arcidiocesi.
23 luglio » Al sig. Mosca Arnaldo, della diocesi suburbicaria di Frascati.
» » » Al sig. Lagna Fietta Felice, della diocesi di Ivrea.
» » « Al sig. Tinangon Enrico, del vicariato apost, di Manado.
2 agosto » Al sig. Sommerhalder Luigi (Città del Vaticano).
10 » » Al sig. Jucci Alfredo (Roma).
28 » » Al sig. Carella Mauro, della diocesi di Andria.
1 settembre » Al sig. Bernardi Andrea, dell'arcidiocesi di Torino.
7 » » Al sig. Bevilacqua Francesco, dell'arcidiocesi di Napoli.
9 » » Al sig. Cancarini-Ghisetti Giuseppe, dell'arcidiocesi di Milano.
17 » » Al sig. Reguitti Mario, della diocesi di Brescia.
» » » Al sig. Pantaleo Francesco, della diocesi di Lecce.
23 » » Al sig. Bondi Alessandro, della diocesi di Cesena.
» » » Al sig. Agnelotti Elvezio, della diocesi di Lodi.
» » » Al sig. Marcarmi Luigi, della medesima diocesi.

An. et Toi. XXXXXII 25 Februarii 1950 (Ser. IT, v. XVII) - N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

FOMTIENENSIS
(IMCHEUVENSIS)

AB ARCHIDIOECESI FOMTIENENSI, IN MANCIURIANA REGIONE, TERRITORII PARS DISMEMBRATUR, EX QUA NOVA ERIGITUR ET CONSTITUITUR DIOECESIS, SUB NOMINE « IMCHEUVENSIS)), EIDEM METROPOLITANAE ECCLESIAE FOMTIENENSI SUFFRAGANEA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ne Sacri Pastores, in regionibus praesertim Missionalium curis adhuc concreditis, in suo pastorali munere obeundo nimio graventur onere solet apostolica Sedes Dioeceses territorio ac fidelium numero redundantes in partes dividere et novas exinde constituere dioeceses aliis concredendas Antistitibus. Quod quidem peragendum modo visum est in archidioecesi Fomtienensi in Manciuriana regione, in qua sodales *Societatis Parisiensis Missionum ad exteras gentes* diuturnos efficacesque expendunt labores.

De consilio itaque venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum, attento quoque venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Darensis et Apostolici in Sinis Internuntii, favorabili voto, omnibus ma-

ture perpensis, certa scientia et de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab Archidioecesi Fomtienensi territorii partem dismembramus, civiles complectentem provincias de *Haiskan, Taian, Pechen, Panshan, Haicheng, Ying-ïeoic, Kaiping, Fuhsien;* atque ita avulsum territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, quam a principe Praefecturae urbe de *Ying-Jcow,* **IMCHBUVENSBM** nuncupandam decernimus, atque praefatae Societati Parisiensi Missionum ad exteras gentes curis concreditam volumus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum.

Huius autem novae Dioecesis episcopalem sedem in praefata *Yingkow* urbe, a qua Dioecesis ipsa nomen mutuatur, statuimus, quam igitur ad civitatis episcopalis fastigium extollimus. Episcopi vero sedem in ecclesia in eadem urbe exstante figimus, quam ad Cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, eique propterea et Imcheuvensibus pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia, favores et gratias, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, illosque item iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Novam hanc dioecesim suffraganeae constituimus Metropolitanae Ecclesiae Fomtienensi, cuius Archiepiscoporum metropolitico iuri Episcopos pro tempore Imcheuvenses subiicimus.

Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in ista Imcheuvensi dioecesi Canonicorum Capitulum modo instituatur, indulgemus ut interim, pro Canonicis, Consultores diocesani ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur.

Ad novae insuper istius dioecesis stabilitatem tuto ac firmiter procurandam mandamus ut Seminarium pro iuvenum institutione in spem Ecclesiae succrescentem, quam primum fieri poterit, iuxta normas a S. Congregatione de Propaganda Fide praescriptas erigatur.

Quod autem attinet ad eiusdem Dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quoad vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad executionem mandatae fuerint, illi clerici Dioecesi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt.

Episcopalem mensam constituent praeter fidelium oblationes et Curiae emolumenta, rata pars bonorum archidioecesis Fomtienensis a qua

nova Dioecesis dismembrata est, atque subsidia, a Pontificio Opere a Fidei Propagatione eidem Dioecesi latura.

Volumus denique ut a cancellaria Archidioecesis Fomtienensis omnia documenta et acta, novam Dioecesim Imcheuvensem eiusque clericos et fideles respicientia, quam primum fieri poterit, huius tradantur cancellariae, ut in eius archivo diligenter asserventur.

Ad quae omnia ut supra disposita et constituta executioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Internuntium Apostolicum in Sinis deligimus, vel illum qui in executionis actu eidem Internuntiaturae praefuerit, eique propterea necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus facimus authenticum peractae executionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamprimum transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Eomae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die decimaquarta Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGI ANI P. Card. FUMASONI BIONDI

8. Collegii Decanus. ***8. C. de Propaganda Fide Praefectus.***

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*

Loco ¿8 Plumbi

Reg. in Cane. Ap., noi. LXXVI II, n. 18. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

AD TITULUM ET DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR PAROECIALIS ECCLESIA B. MARIAE V., ((SALUS INFIRMORUM)), IN OPPIDO ((POCOS DE CALDAS)) GUAXUPENSIS DIOECESIS EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Filialis christifidelium pietas et tenerrimus amor erga dulcissimam Virginem Mariam effecit ut Dei hominumque Mater plurimis et pro locorum et temporum varietate diversis appellativis in vocaretur. Ex iis vero invocationibus, quae praesertim in Litaniis Lauretanis continentur, titulus « Salus Infirmorum » magis refert exsulum Hevae filiorum, qui in hac lacrimarum valle tam saepe aerumnis gravati et multiplicibus obnoxii infirmitatibus, fiduciam in Eam, quae etiam Spes nostra tam proprie vocatur. Ml mirum proinde si multa sint ubique sacrae imagines, altaria, aediculae, templa, quae in honorem Beatae Mariae Virginis, « Salus Infirmorum » dictae, inveniuntur. Inter quae adnumeranda est etiam perpulchra paroecialis ecclesia, quae exstat in loco v. « Poços de Caldas », intra fines dioeceseos Guaxupeïisis, in Ditione Brasiliana, quaeque sacra aedes lusitana lingua <(Nossa Senhora de saude » appellatur. Sicut Nobis relatum est, ad memoratum locum, qui est medius regionis, ob aëris salubritatem et aquarum calentium fontes, quas nomen ipsum loci indicant, turbae multae.

ex finitimis etiam regionibus, valetudinis causa convenientes, ad templum, quod diximus, precaturae accedere consuescunt. Quapropter floret ibidem quam maxime religio et erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum assiduus cultus uberrimos spirituales fructus praesefert. Amplitudine ac magnificentia eminet templum ipsum, structura, quam vocant romanam modernam, aedificatum, et eidem clerus addictus est sufficiens et aptus ad sacras functiones ea, qua par est, sollemnitate et eo, quo debetur, decore perfungendas. Ut autem erga Sanctissimam Dei Genitricem, quae potentissimo maternoque Suo patrocinio fidelium tam animae quam corporis infirmitatibus levamen afferre et medicinam praestare non desinit, pietas ac devotio in dies augeatur, Clerus, Ordo, Populusque memorati oppidi enixas Nobis adhibuerunt preces ut praefatam paroecialem ecclesiam titulo, dignitate ac privilegiis liturgicis Basilicae Minoris exornare dignaremur. Quibus votis, Venerabilis Fratris Hugonis Bressane de Raujo, Guaxupensium Episcopi, suffragio roboratis, et a dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, Nobis relatis, cum benigne concedere decreverimus, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam Ecclesiam paroecialem Beatae Mariae Virgini? Salutis Infirmorum, in oppido vulgo Poços de Caldas, intra fines dioecesis Guaxupensis, positam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afiicimus ac decoramus, cum omnibus iuribus ac privilegiis rite competentibus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die **II** mensis Augusti, anno MCMXLVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a secretis Status

IOANNES BAPT. MONTINI,
Substitutus Secr. St.

II

BEATA MARIA VIRGO A ((VALLEYTRIDE)) CIVITATIS AC DIOECESIS ALGHERIENSIS PATRONA CAELESTIS AEQUE PRINCIPALIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Augustissimum coeli Reginam, gratiarum omnium apud Deum sequestram, miserentissimam exsulum Hevae filiorum consolatricein, in universo catholico orbe, hac lacrimabili maiorum tempestate, a christifidelibus intentiore semper affectu diligi et maiore in dies veneratione coli, solacium Nobis affert quam maximum. Et revera non possumus sincero haud affici gaudio cum videamus Venerabiles Fratres Episcopos, utrumque Clerum, saepe Nationum et Civitatum ipsos Moderatores, Optimates et cuiusque generis et •condicionis populos iugiter nobiliterque inter se certantes, qua studiosiore possint cura, hac, quae feliciter appellata fuit, *hora Mariae.* Eidem obsequia tribuere, vota et preces offerre, in Eius honorem templa et altaria erigere aut decorare, pompas saepe sollemnissimas ducere, ad Marialia celebriora Sanctuaria peregrinationes frequentes suscipere. Quod autem huius temporis proprium est et in more Christianorum novum : in omnibus fere dioecesibus, praesertim Italiae, Beatissimae Virginis Imagines, sculptae sive pictae, per urbes, oppida, pagos, vicos, triumphantium more, ducuntur, supplicationes triduanae quandoque novendiales in singulis locis indicuntur, sacris excursionibus civitates, oppida, rura lustrantur, ad Sanctissimam Eucharistiam sumendam frequentissimi fideles accedunt. Quod quidem factum pro parte fuisse etiam in dioecesi Algheriensi comperimus ex testimonio Ven. Fratris Episcopi Adulphi Ciuchini, qui Nobis retulit apud suos fideles in maxima veneratione esse Beatissimam Virginem a ((Valleviride », vulgo « di Valverde », nuncupatam a loco in quo exsurgit sacra Aedes Deo in honorem eiusdem Virginis Mariae dicata, non amplitudine sed architectura insignis, et cuius Altare Decessor Noster rec. me. Pius Pp. VII, per similes Apostolicas litteras sub annulo, die xin Februarii anno MDCCCXVIII datas, privilegiatum in perpetuum pro defunctis declaravit. Ad hoc templum Algherienses cives et incolae totius diócesis, a saeculis, peregrinorum more, frequentes saepe convenire solent, potentissimae Matris Dei opem numquam frustra impetraturi. Quae populi pietas mirabiliter crevit ex quo, superiore anno, Sacra Beatae Virginis Imago a Suo Sanctuario Vallisviridis per singula dioeceseos oppida et Paroecias

sollemni pompa deducta, seu, ut aiunt, « peregrinata » quodammodo est, obviam Ei undique occurrentibus, Episcopo praeeunte, una cum Sacerdotibus et fidelibus, ipsis muniçipiorum Moderatoribus. Quem Sanctissimae Deiparae triumphum conclusit sollemnis memoratae Imaginis coronatio, ex concessione Capituli Patriarchalis Basilicae Vaticanae, in Templo Cathedrali Algheriensi peracta. Exinde flagrans Episcopi, Cleri, populique universi votum ut Beatissima Virgo a Valleviride Patrona *aeque principalis* una cum Sancto Michaele Archangelo, civitatis et diócesis Algheriensis eligeretur. Cui voto, a Ven. Fratre Clemente S. B. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto Nobis patefacto, ultro libenterque respondere volentes, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam a Valleviride *Patronam aeque principalem* ac Sanctum Michaelem Archangelum civitatis ac dioecesis Algheriensis eligimus, constituimus, declaramus, omnibus et singulis privilegiis liturgicis adiectis, quae Patronis dioecesium principalibus rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Martii, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a secretis Status

IOANNES BAPT. MONTINI,
Substitutus Secr. St.

III

VENERABILIS DEI FAMULUS VINCENTIUS P ALLOTTI, SACERDOS ROMANUS, FUNDATOR SOCIETATIS APOSTOLATUS CATHOLICI, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ineffabilis et amantissima Dei benignitas vere apparuit eo quod licet Romanae et Catholicae Ecclesiae Episcopo in rutilans Beatorum agmen hodie referre tam praeclarum virum apostolicum, qui, magis quam terrena patria, Nobiscum communi, fidei sinceritate, caritatis ardore, omniumque animarum iuvandarum flagrantissimo studio vere et recte Romanus fuit, cuique laudi summae erat potius quam antiquis pro Christo et Ecclesia facere ac pati fortia. Ipse enim Summi et Aeterni Sacerdotis Iesu, qui quodammodo in suo Vicario Romanus esse voluit, assecla fuit et minister, omnibus fidelibus omni tempore in exemplum adducendus, cuiusque nomen et gesta Nosmet Ipsi a prima iuventute a parentibus et praeceptoribus comperimus venerabundi. Nec minus Nobis Divinae Bonitatis arrisit humanitas, cum Ven. Servi Dei Vincentii Pallotti sollemnia Beatificationis liceat celebrari in ipso initio Sancti et Universalis Iubilaei, quod promulgantes, omnium hominum ad caelestis Patris domum et ad hanc Petri Sedem, unum securitatis perfugium, reditum, atque hunu ai generis peccatorum plenissimam remissionem iterum atque iterum t imus auspicati. Et revera videtur Nobis ipse Venerabilis Sacerdos, cui n s piissimae mortis hoc ipso die saecularis agitur memoria, verbo et exemplo, nunc magis quam cum viveret, inter praedicatores et poenitentiarios Sancti Iubilaei primas partes habere, omnes cuiusvis aetatis, condicionis, generis homines ad hanc Almam Urbem, Christianorum communem patriam, impensius quam Nosmet Ipsi vocare et in Portam Sanctam quasi in ianuam compellere Paradisi. Haec fuit enim firmissima voluntas et constans studium Venerabilis Servi Dei Vincentii Pallotti, « Romani Cleri » — quem diximus — « decus et ornamentum ». In ipsa media Urbe natus est a. MDCCXCV, a Petro Paulo, domo S. Georgii Cassiae, in dioecesi Nursina, et a Maria Magdalena De Rossi Romana, tertius e decem filiis, quibus Deus benedixit christianas nuptias horum coniugum, in exemplum merito proferendorum, quibus non deerat nec generis nobilitas nec copia rei familiaris. Postridie in Basilica Paroeciali S. Laurentii in Damaso baptizato, tria puerulo indita sunt nomina quae vere fuerunt omina laeta : Vincentius, Aloisius, Franciscus. Victurus enim Noster erat

mundum et eius principem diabolum, et Vincentium a Paulo praesertim, christianae caritatis heroëm, pressius imitaturus : Angelicum iuvenem puritatis laude aequaturus, Franciscum pauperem et humilem sibi in exemplum propositurus erat. A parentibus, quorum ipse, cum alter post alterum ad superos evolasset, amplissimum elogium fecit, in viam salutis deductus est et ad omne opus bonum instructus, ita ut brevi tempore, indolem sortitus bonam, praecipuas virtutes exercere coeperit. In deliciis enimvero habuit, magis quam suae aetatis iocis et nugis vacare, frequentes et fervidissimas preces effundere, sive domi sive in variis Urbis templis, praesertim S. Mariae « in Vallicella », ad Sepulchrum S. Philippi Nerii, cuius vestigia tam prope erat pressurus. Ad Sacram Synaxim frequentius quam tunc communis mos erat, et studio ardentiore quam aetas ferebat, accedere consuevit, et Beatissimam Virginem Mariam, cuius Immaculatam Conceptionem, ante dogmatis definitionem, piissima genetrice suadente, colere coepit, cuiusque Imaginem a ((Divino Amore)) secum erat semper et ubique laturus, ardentissimo amore diligebat, ita ut, serius, iam Sacerdotio auctus, cum Ea mysticas nuptias, Divino afilante Spiritu, celebrare non dubitarit. Tenera et omni culpa vacua membra fiagellis caedere, aliisque poenis afiligere mox didicit et carnis desideria forti animo cohibere. Quae omnia tam eximio adolescenti maximam aestimationem et amorem peculiarem comparaverunt. A natura, ut ferunt nonnulli eius vitae scriptores, sortitum fortem et aerem animum, divinae gratiae motibus oboediens, mansuetudine et humilitate temperavit, constans tamen iugiter in proposito et fortis in adversitatibus persistons. In Clericorum Regularium a Scholis Piis, ad S. Pantaleonis, primo in disciplinam traditus, licet condiscipulos omnes virtute, caritate praesertim in pauperes, facile superaret, tamen ingenio ipsis multo erat inferior. Praeceptoribus et matre hortantibus, per novem dies Divino Spiritu enixe invocato, lumen, quasi e coelo delapsum, piissimi adolescentis penetravit intellectum et ita illustravit ut postea in Romano Sapientiae Archigymnasio humanitatis studiis atque litterarum semper excelleret, maximam consecutus laudem multaque sortitus praemia. Quae de Iesu adolescente in Nazarethana domo degente dicit Evangelium : Ipsum nempe crevisse <(aetate, doctrina et gratia apud Deum et homines », in Vincentium vere transferri possunt. Sed iam tunc in eo apparebat peculiaris animi quaedam ingenita natura ad apostolatum, nam, quum, aestivo tempore una cum familia, feriandi causa, Tusculum se contulisset, ibi in deliciis habebat pueros et adolescentes, ruricolas praesertim et pauperes, ad se vocatos, ad Mariale Rosarium recitandum piasque laudes concinendas invitare

eosque catechesim docere, munusculis cibis, quibus ipse abstinebat, donare aliisque exemplis caritatis et humilitatis, si aetatem species, verae heroicae, illos instituere. Merito de hoc Servo Dei verba Isaiae Prophetae, quae refert S. Matthaeus Evangelista, dici etiam possunt : *« Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae))* (Is. 3, 17; Matth. 12, 18). Cum floreret et flagraret iuventus, florebat et flagrabat anima Deo tam dilecta. Ob suam erga S. Franciscum Assisiensem, cuius etiam nomen gerebat, peculiarem devotionem, forsan a patre, qui ex seraphica Umbriae regione Romam venerat, veluti familiae hereditate acceptam, quindecim annos natus, inter Sodales Capulatos cooptari cupiebat; at, valetudinis causa prohibitus, clero saeculari nomen dedit, ecclesiasticum habitum induens. Studiorum curriculo magna cum laude exacto et Sacrae Theologiae ac Philosophiae Doctor renuntiatus, simulque « Magister » linguae Graecae electus, ne scientia, qua pollebat, virtuti esset detrimento, humilitati exercendae mirifice studuit, exclamans : « Destruatur tota vita mea et Vita Christi sit vita mea! ». Anno **MDCCCCVIII** Sacerdotio tandem, ut ardentissime optaverat, auctus, postridie, in festo Augustissimae Trinitatis, Tusculi, in ecclesia S sino Nomini Iesu dicata, propinquis, amicis, iuvenibus praesertim gestientibus, primum Sacrum fecit. Romam reversus, maiore in dies erga Deum et proximum caritate flagrans, Beato daspari Del Bufalo, verbi Dei praeconi quam maxime studioso, socium se adiunxit ad Christifidelium erga Pretiosissimum Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi pietatem excitandam. Nullus fuit hominum coetus, cui studio et industria hic vere mirabilis Dei administer, salutiferam operam suam non praestiterit: adolescentes studio dediti, e quorum numero fuerat, scilicet qui ad S. Mariae v. « del Pianto » convenire solebant; iuvenes operarii et artifices quibus vespertinas scholas patere voluit, ut christianam doctrinam pernoscerent simulque preces effunderent ; nobiles et milites quorum, in sacro recessu collectorum, in sacello Ianiculi montis, spiritualia quae dicuntur exercitia, saepe moderatus •est ; pueri et adolescentes pauperes et omni ope destituti, quos, munificentia Leonis XII, Decessoris Nostri, fel. rec, ad Thermas Diocletianas congregatos, agricultura in agro Romano, novis invectis conformi artibus, instituendos curavit; egeni et senio confecti qui in hospitio ***Si*** S. Galla nuncupato, gratuito excipiebantur et alebantur. Aegrotos in nosocomiis, praesertim a S. Spiritu, et in domibus degentes, assidue visitavit; custodia detentis et capite multatis praesto fuit; puellis periclitantibus asylum aperuit, perditas ad bonam frugem revocavit, iuvenes in sortem Domini vocatos praesertim qua Magister pietatis

in Nostro Pontificio Seminario Romano, nec non a confessionibus Collegiorum Urbani de Propaganda Fide, Scotorum, Hibernorum, Graecorum et Anglorum, in viam perfectionis induxit et apostolico suo studio in animarum salutem provehendam imbuit. Haec Ven. Servi Dei vere mirabilis industria et navitas; haec maxima et indefessa sollicitudo de aeterna salute omnium hominum omnimode procuranda, illum aptissimum Divinae Providentiae instrumentum effecerunt ad Opus instituendum, quod Vincentii Pallotti proprium et peculiare signum futurum erat : nempe Societas Apostolatus Catholici, etiam Pia Societas Missionis per aliquot annos vocata, quae tribus constat ordinibus, Sacerdotum et Fratrum Coadiutorum, Sororum, quibus domorum a caritate regimen committitur, laicorum denique utriusque sexus, qui data opera aut saltem precibus ad propositum Societatis assequendum auxilium praestant et qui veluti Tertiarii nonnullorum Ordinum Religiosorum sunt habendi. Haec Societas anno MDCCCXXXV instituta « ad infinitam Dei gloriam, ad destruendum peccatum, ad salvandas animas », ut verbis ipsius fundatoris utamur, Immaculatam Dei Matrem, Apostolorum Reginam, tamquam peculiarem caelestem patronam invocat, Romano Pontifici perfectissimam oboedientiam profitetur et augmentum, tutelam et propagationem catholicae Fidei et caritatis sibi proponit. Eadem Societas, Deo favente, inter magnas difficultates et plurimas impugnationes tot et talia suscepit incrementa ut brevi tempore per universum orbem catholicum se diffunderet et hodie vigeat et floreat ubique, fructus afferens uberrimos. In plurimis vero ex « laicorum ordine ad adiutricem Ecclesiasticae Hierarchiae praestandam operam advocandis **Tectisque** normis componendis », sicut dixit Decessor Noster rec. mem. Pius Pp. XI et Nos nuper scribere non dubitavimus, « Actionis Catholicae », quae nunc dicitur, quasi miles antesignanus vere et proprie habendus est.. Cuius societatis naturam et propositum Vincentius Pallotti quodammodo voluit in perpetuum patefieri per sollemne Dominicae Epiphaniae Octiduum, quod anno MDGCCXXXVI in Templo S. Andreae vulgo « delia Valle » hac Alma in Urbe instituit et quo perdurante per Verbi Dei in omnibus fere linguis praedicationem atque Divini Sacrificii sive latina sive orientali liturgia quotidianam celebrationem, a Purpuratis Ecclesiae Patribus, Sacrorum Antistitibus, Religiosis cuiusque Ordinis Sodalibus, Alumnis Seminariorum et Collegiorum Urbis, unitas et universitas Catholicae Ecclesiae quotannis celebratur et a Deo imploratur. Huic Apostolicae Sedi, iniquissimis temporibus, quibus eiusdem sacra iura laedebantur, libertas negabatur, officia impediebantur, addictissimus fuit. De Decessore Nostro immortalis memoriae Pio VII, in vincula coniecto

et in exsilium inique pulso, etsi adolescens, doluit quam maxime. Leoni XII, Gregorio XVI, Pio IX, qui salutari et validissima eius opera in rebus etiam difficillimis usi sunt, carissimus fuit, pro exaltatione Sanctae Ecclesiae et Christi Vicarii incolumitate et triumpho fervidissima» preces effundens et sanctissimam atque meritis plenam vitam Deo offerens. Prophetiae et spirituum discretionis dono locuples factus, animas quamplurimas ad christianae perfectionis fastigium duxit, multaque, etiam dum viveret, feruntur eius intercessione patrata prodigia. Laboribus fractus et potius caritatis ardore quam morbo consumptus, ad Ssmi Salvatoris in Unda, in paupere domo in qua tamen Societatis suae solida fundamenta iecerat, piissime obiit pervesperi diei vigesimi secundi mensis Ianuarii, anno MDCCCL. Demortui corpus, post triduum, quo perdurante Eomanorum civium omne genus turba, moerens, orans et venerabunda, plurima convenerat, in humili sepulcro, intra ambitum dictae Ecclesiae conditum est, ubi ad hos usque dies permanet. Quem autem Sanctum, dum inter mortales versabatur, et magis illico post mortem omnes ducebant et vocabant, decursu temporis fama universa proclamavit, praesertim cum, ut passim ferebatur, eius invocato nomine, multa et conspicua Deus miracula patraverit. Unde omnium, suorum in primis spiritualium filiorum, Romanorum Sacerdotum atque fidelium, magis in dies ardens votum, ut Vincentius Pallotti Apostolica auctoritate imitandus proponeretur et Sanctorum gloria quam citius afficeretur. Unde factum est ut, duobus tantum transactis annis ab obitu Servi Dei, Constantinus Patrizi, Cardinalis in Urbe Vicarius, processum, quem informativum vocant, inchoaverit et Leo XIII, rec. mem., Decessor Noster, anno MDCCCLXXXVII Causae introductionem sua manu signaverit. Anno vero MCMXXXI Pius Pp. XI sollemni Decreto Sacri Consilii legitimis ritibus cognoscendis Ven. Servi Dei Vincentii Pallotti virtutes tam théologales quam cardinales heroicum attigisse fastigium sanxit. De duobus dein miraculis, quae, Dei Famulo deprecante, divinitus patrata ferebantur, primum in Congregatione antepraeparatoria deinceps in praeparatoria, denique in generali conventu coram Nobis habito, quaestione agitata, rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, die xxvn mensis Novembris superiore anno MCMXLIX proposita miracula constare, ulteriusque propterea in casu procedi posse declaravimus. Cum proinde nihil, secundum sacri fori instituta, iam superesset, nisi ut Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, ceterique de more consulendi rogarentur, num *tuto* procedi posse censerent ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli beatificationem, in generalibus Comitiis, quae die vi Decembris praeteriti anni coram Nobis habita sunt,

tum iidem S. R. E. Patres Cardinales, tum qui aderant Praelati et Consultores, sententiam affirmativam, consensu unanimi, dixerunt. Nos vero in re tanti momenti aperire Nostram mentem cunctati sumus, donec enixis precibus supernum antea lumen posceremus. Quod quidem cum iecissemus, die xi eiusdem mensis et anni MCMXLIX, religiosissime litato Eucharistico Sacrificio, adstantibus Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto et Causae relatore, necnon Ven. Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria, eiusdem Congregationis a secretis et dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, sollemniter ediximus *tuto* procedi posse ad sollemnem Venerabilis Servi Dei Vincentii Pallotti beatificationem. Quae cum ita sint, precibus permoti plurimorum S. R. E. Purpuratorum Patrum et Episcoporum, necnon, in primis, Moderatorum eorumque omnium qui salutiferae Societati Apostolatus Catholici addicti sunt, ut huic Almae Urbi Nostrae, quae tot cives suos inter coelites adnumerat et veneratur, novum proponamus christianarum et sacerdotalium virtutum praeclarissimum exemplar, novumque tribuamus caelestem, amantissimum tutorem, auctoritate Nostra apostolica, concedimus ut idem Venerabilis Vincentius Pallotti, presbyter, Fundator Societatis Apostolatus Catholici, *Beati* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lipsana, :seu reliquiae, publicae venerationi proponantur, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda ; itemque permittimus ut eiusdem Dei Famuli imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de eo quotannis recitetur Officium de Communi Confessoris non Pontificis cum Lectionibus propriis per Nos adprobatis; et Missa pariter de eodem Communi cum Orationibus propriis, item per Nos adprobatis, celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in hac Alma Urbe, ubi Beatus ipse natus et mortuus est •eiusque corpus adservatur; itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis, quibus Societas Apostolatus Catholici utitur, ab omnibus fidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, ab omnibus presbyteris ad templa seu sacella memorata, in quibus eiusdem Beati festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis eiusdem Famuli Dei peragantur, extra Urbem, in templis et sacellis, quae nominavimus, die designando per Ordinarios singularum dioecesium in quibus tempia et sacella ipsa inveniuntur, intra annum, postquam eadem sollemnia in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et

ordinationibus Apostolicis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrorum Rituum Congregationis subscripta et Praefecti sigillo munita sint, in disceptationibus, etiam iudicialibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significatione his ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxii mensis Ianuarii, anno sacro MCML, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

IV

VENERABILIS DEI FAMULA MARIA DESOLATA, IN SAECULO EMMANUELA TORRES ACOSTA, VIRGO, INSTITUTI SORORUM SERVARUM MARIAE INFIRMIS MINISTRANTIUM FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP, XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quandoquidem aeterno Patri aequaeva Progenies, Christus Servator, per saecula speratus, humanam assumpsit naturam ut iacens ac saucium mortalium genus sanaret et erigeret, Idem Ipse, ut olim perlustrabat oppida, «curans omnem languorem et omnem infirmitatem » (Matth. IX, 35), ita et postquam aethera conscendit, aegritudinibus et animi et corporis non desinit mederi. Hoc enim nomine Ecclesia, utpote Corpus Eius mysticum, daret summaque floret gloria, quod numquam defuit iniqua pressis fortuna, dolori obnoxiis morboque couflictatis. Quod verum exstat luculenter praesertim recentiore hac aetate, qua, licet conviciatores plurimi, vesana mente eam petentes, dictiteut ab humilium rerumque angustia laborantium parte ad opulentorum divitiisque affluentium eandem quasi defecisse, provida haec Mater duplicavit subsidia aerumnosorum ac pauperum annonam. Quo in genere officiorum praeclara Ecclesiae alumna, cui Beatorum Caelitum honores statuimus decernendos, nomen consecuta est amplissimum. Non generosa vel locuplete orta stirpe, sed obscuro loco die secundo mensis Decembris, anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto, eo in urbis Matriti vico nata, quem, vernacula lingua « Flor Baja » nuncupatum, inferior incolebat plebs, Bibiana Antonia Emmanuela, secunda e quin-

que filiis, sacrati coniugii Francisci Emmanuelis Torres et Antoniae Acosta dulce pignus fuit insuetumque ornamentum. Quae quidem familia, in minore versans mercatura et a tumultuosis eius urbis regionis civibus secreta, e Nazarethana illa sanctissima similitudinem ducebat, siquidem, quae de mercede sua vitae consulebat rationibus, summum bonum in domesticis virtutibus eadem ponebat. Biduo post lustralibus abluta aquis, neque multo tempore transacto, Confirmationis chrismate obsignata, puellula, corpore quidem imbecillior, animum tenellum ad pietatem atque singularem Beatissimae Virginis Mariae observantiam composuit, maxime postquam vesci coepit Deo, panis sub specie velato. Insidebat iam tum in mente eius ratio sanctitudinis eximia quaedam, adeo ut a ludicris abhorruerit ac nugis, eoque sit progressa ut cibis sibimet subductis inopes viciniae parvulos exsatiaret atque christianae veritatis pabulo insimul reficeret. Vita autem eius, etiam postquam ex infantibus excessit et ab iis artibus quibus aetas puellaris ad humanitatem solet informari, quasi tenebris obducta est et per silentium sat diu acta, quod praecipuum consuevit esse virtutis nutrimentum. Itaque non saeculo indulsit, cuius pect u s Caelestis Sponsus divino sauciaverat amore, unde mox perducta est ut ad sanctimoniales regii monasterii Sancti Dominici sese applicaret; cui lectissimo coetui nomen dare cupiens, voti tamen non est facta compos virgo, quam Deus noluit in sacro delitescere secessu, sed in solem constituit procedere tamquam actuosae caritatis administrara. Cum ergo Emmanuela, vicesimum quintum aetatis annum attingens, audivisset pium sacerdotem Michaelem Martínez, qui in vico eiusdem urbis, quem « Chamberí » vocitant, curam animabus impendebat, id moliri ut religiosarum mulierum institueret sodalitatem, quae aegrotis in eorum domibus assi deren t, divino quodam tacta spiritu, ad eum convolavit. Curio enim ille animadverterat plures morbo fameque fractos suis in tectis vel tugnriis languere, quippe cum propter egestatem, in qua versarentur, pecunia eis deficeret ut in nosocomia se reciperent, vel ob morositatem procurationum ingressum in valetudinaria praestolarentur diutius; huc accedere ut nemo esset qui ope medica eos foveret atque christiani solacii levaret adiumento. Hoc igitur sacerdote auctore, die decimo quinto mensis Augusti, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo primo, septem virgines, ad quas Emmanuela accesserat novissima, Christo Eiusque fratribus morbo decumbentibus sese devoverunt, qua ergo in Sollemnitate Beatissimae Deiparae Mariae in Caelum assumptae Institutum Sororum Servar um Mariae Infirmis Ministrantium — id enim ceperat nominis — exordium sumpsit rerumque suarum initia. Quod plantarium novellum ut firmaret augeretque, Maria Deso-

lata, uti Famula Dei appellata est pro sua in Virginem Perdolentem pietate, contendebat et enitebatur, qua in re omnium opinione maiores perpessa est molestias et anxietates. Namque Michael Martínez, paulo post conditam sodalitatem, ad infideles divina veritate excolendos pro-[4] fectus, eam, vix enatam atque in summo positam discrimine, eiusdem Mariae Desolatae ingenio ac prudentiae tradidit regendam servandam - que. Sorores, quae Instituti fuerant primum quasi robur, sensim a sancta voluntate ceciderunt ac reliquae perpaucae, eaeque ad inopiam redactae, vitam trahebant in tenebris ac luctu. Tristitia etiam augebatur, cum, urbe Matrito cholera morbo vexata, tot malis non suppeterent vires tam exiguae. Id quoque alienissimo hoc tempore evenit ut, qui sodalitati praefectus est, alius sacerdos, piissimam virginem, supremae moderatricis munere adempio, in parvum nosocomium, in oppido « Getafe » situm, relegarit. Non tamen abiecit animum intrepida Christi Ancilla, quae omnium quidem hominum auxilio destituta solumque in Deum firma confisione obtutum defigens, societatem negavit interituram sed maxima asseveravit capturam incrementa. Omnibus ergo rebus ad extremum ver sis, de dissolvendo Instituto actum est iamque conscriptum eius modi decretum; sed Matritensis Episcopus, antequam mandatum tam grave confici iuberet, volens vel ultima experiri, alium advocavit rectorem, Patrem Gabinum Sánchez Cor tez, qui Dei Famulam, cum copiam eius et virtutem probe exploratam haberet atque cognitam, ex umbra et ignobilitate, quam summa tulerat constantia et moderatione, in pristinum restituit locum. Quae muneri suo, quod deinceps ad mortem usque gessit, omnibus numeris et partibus satisfaciens, refovit quod emarcuerat, quodque perierat, instauravit, ita ut sodalitas, eius industria ac navitate ab interitu vindicata, iure meritoque ab ea etiam repetatur. Cum autem statuta, adumbrata dumtaxat minimeque absoluta, quibus Michael Martinez hanc quasi incertis informaverat lineamentis, obsolevissent, iam vera perscribenda erat Regula, qua Servae Mariae tamquam certa uterentur norma in semitis Dei caritatisque officiis. Deo in tantum negotium enixis precibus inclamato, Pater Gabinus una cum Maria Desolata hasce leges concepit, quas Matritensis Praesul et postea Sedes Apostolica ratas habuit et comprobavit. Societate igitur institutis stabilita rebusque in ordinem adductis, Sorores, haud secus ac mellificae apes, quae aestate nova per amoena volitant vireta variisque insident floribus, post asperam brumam, maerores dicimus plurimosque casus adversos, in Hispaniae regiones aliasque orbis partes, Famula Dei annitente, feliciter sunt provectae atque in quadraginta sex domibus, ab ea conditis, collocatae. Isabellae reginae, eius nominis secundae, voluntati

obsecuta est eadem indefessa summa moderatrix, ut Matritense nosocomium, a Sancto Ioanne de Deo nuncupatum, susciperet administrandum, in quo, praesertim cum cholera iterum grassaretur, maxime perspectum fuit omnibus, quo animo alacri Famula Dei eiusque asseclae commodis infirmorum inservirent. Iis ipsis, quarum numerus in dies succrescebat, illa princeps erat et magistra ad religiosae vitae rationem persequendam atque in relevandis morbo cruciatis spectabile exemplum. Cum anno supra millesimum octingentesimo sexagesimo septimo popularis ferverei tumultus, in quo et Sororibus a christiani nominis inimicis haud temperatum est, Maria Desolata Valentiae inter concrepantia arma suavi fomento iuvabat vulneribus affectos, occumbentes salutifero solacio. Barcinonenses cum variolarum peste cognovisset exerceri, statim eo accurrit domumque constituit ut praesens ferret auxilium. Saepius Romam se contulit ut eis qui sacra vice universae tum praeerant Ecclesiae, Pio IX ac Leoni XIII, fel. rec, Decessoribus Nostris, devotissimum panderet animum, ab eisque bene precatis corroborata, ad exanclandos labores evaderet validior. Huius igitur Ancillae Dei, si animum demissum, ex quo ceterae virtutes solent progigni, illaesae virginitatis decus atque voluntariam castigationem laudibus efferimus, incensam caritatem, cuius aestum nulla potuit restinguere calamitas, nullum fastidium comprimere, nulla extenuare iniuria, demiramur. Non admodum grandis natu, anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo, Matriti letali affecta est aegritudine, qua, Ecclesiae Sacramentis obfirmata, decessit, triste sui desiderium relinquens, idque sodalibus quasi suprema voluntate iniungens, ut caritatem, quae summa fuerat comprehensioque totius vitae ipsius, colerent impensius. « Sanctam » obiisse conclamabat populus ; emortuum corpus in publico Sancti Iusti sepulcreto depositum, post quinque annos inde est effossum atque in sacello domus Matritensis a Sororibus collocatum. Memoriam vero nominis sui Famula Dei immortalitati commendavit sive virtutibus ac bene factis, quibus ipsa excelluit, sive per Institutum quod, eius conformatum praeceptis, christianae caritatis lenimenta infirmis haud cessat adhibere. Iamvero ob tot tantasque laudes vivens et post mortem in lucem famamque provecta, prodigiorum quoque gloria refulsit. Unde factum est ut Processibus ordinariis rite peractis, Causa de Famula Dei in Beatorum Caelitum album referenda penes Sacram Rituum Congregationem coepta sit institui ; cuius introductionis Commissionem fel. mem. Pius Pp. XI, Decessor Noster, lato decreto die vicesimo quinto mensis Novembris, anno millesimo nongentesimo vicesimo quarto, sua signavit manu. Apostolicis deinde Inquisitionibus pro more perfectis, de Mariae Desolatae Torres Acosta

virtùtibus inita est disceptatio. Porro, die duodetrigesimo mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto, Congregatio Antepraeparar toria coram rec. mem. Cardinali Salotti, Causae tum temporis Ponente seu Relatore, coacta est. Praeparatoria vero, Patribus Cardinalibus adstantibus, die sexto mensis Iulii anno proximo est subsecuta. Generalis demum Coetus coram eodem Decessore Nostro die undecimo mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo duodequadragesimo, actus est, in quo memoratus Cardinalis Ponens dubium de heroico gradu virtutum sive theologalium sive cardinalium Venerabilis Dei Famulae Mariae Desolatae Torres Acosta proposuit. Cumque Patres Cardinales, Praelati Officiales atque Consultores Sacrae Rituum Congregationis editis suffragiis rem affirmassent, idem ipse Summus Pontifex die vicesimo tertio mensis Ianuarii eodem anno edixit Famulae Dei virtutes heroicum attigisse fastigium. Cum deinde quaereretur de duobus miraculis — non enim opus erat pluribus — quae, hac virgine intercedente, a Deo ferebantur patrata, tria habita sunt Comitia : Antepraeparatoria die trigesimo mensis Novembris, anno supra millesimum nongentesimo quadragesimo tertio, coram memorato Cardinali Relatore atque Sacrae Rituum Congregationis tum temporis Praefecto, Praeparatoria autem die trigesimo primo mensis Maii, anno millesimo nongentesimo undequinquagesimo, congregatis Cardinalibus Supremi Consilii sacris ritibus praepositi. Postquam autem Plenaria coram Nobis die vicesimo secundo mensis Novembris eiusdem anni celebrata sunt, dubium de miraculis proponente Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto atque, inde ab obitu Cardinalis Caroli Salotti, fel. mem., Causae Relatore, Nos, edito decreto die vicesimo septimo mensis Novembris eodem anno, de duobus miraculis pronuntiavimus constare. Quod demum unum reliquum erat excipiendum dubium, an Dei Famula inter Beatos Caelites *tuto* foret recensenda, hoc propositum est ab eodem Cardinali Causae Relatore in Comitiis Generalibus, die sexto mensis Decembris eiusdem anni millesimi nongentesimi undequinquagesimi, coram Nobis habitis ; omnes, qui adfuerunt, tam Cardinales quam Praelati Officiales Patresque Consultores cunctis sententiis id ipsum affirmarunt. Nos autem in tanti momenti negotio mentem aperire distulimus, ut ad rationem cogitationemque superna accederet illustratio, magnis utique precibus exposcenda. Itaque die undecimo tandem mensis Decembris, Dominica tertia Sacri Adventus, eiusdem anni, Eucharistico Sacrificio rite peracto, accitis Cardinali Ponente atque Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo ac Sacrae Rituum Congre-

gationis Viro a secretis, et dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Servae Dei Mariae Desolatae Torres Acosta Beatificationem *tuto* procèdi posse ediximus. Quae cum ita sint, Nos, totius Familiae Servarum Mariae Infirmis Ministrantium, ab eadem conditae, vota implentes, harum Litterarum vi atque Apostolica auctoritate, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Maria Desolata Torres Acosta *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beatae Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illa quotannis recitetur Officium de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in Matritensi dioecesi, ubi nata est Famula Dei et migravit ad Dominum ; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Institutum Sororum Servarum Mariae Infirmis Ministrantium utitur, ab omnibus Christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a Sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus Beatae eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Mariae Desolatae Torres Acosta, servatis servandis, supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, eiam in iudicialibus disceptationibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significatione hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Februarii, Dominica in Septuagésima, anno MCML, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRTJGNOLA

Officium Regens

Pontificiis Diplomatibus expediendis.

EPISTULAE

I

AD REVMUM P. ADALBERTUM TUROWSKI, SOCIETATIS AB APOSTOLATU CATHOLICO RECTOREM GENERALEM : SAECULO EXEUNTE AB OBITU VEN. VINCENTII PALLOTTI, EIUSDEM SOCIETATIS FUNDATORIS.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quod centum abhinc annis Venerabilis Dei servus Vincentius Pallotti, Romani cleri decus et ornamentum, pientissimo obitu e mortali hac vita cessit, vobis, qui eum Legiferum Patrem ac virtutis magistrum colitis, iure meritoque in animo est hoc memorabile eventum digne commemorare. Nos autem, qui spiritualia ab eo parta beneficia in Ecclesiae sanctae utilitatem optime novimus, neque ignoramus vos eius salutifera instituta atque incepta laudabili nisu multis in Nationibus prosequi, paterno cupimus animo vobis hac fausta opportunitate gratulabundi adesse, vestrosque addere animos ad eius praeceptis studiosiore cotidie voluntate obtemperandum ad eiusque praeclaris exemplis acquosissime insistendum. Cum eius vitam eiusque gesta mente repetimus, eum veluti ante oculos cernimus tam incensa erga Deum ac Deiparam Virginem pietate flagrare, ut quasi eius ex oculis eiusque ex vultu radiari videatur. Ex qua quidem pietate illam hauriebat confirmabatque caritatem, qua permotus nullis diu noctuque parcebat laboribus, ut miseros omne genus pro viribus relevaret, ut infirmorum corporibus animisque mederetur, ut ad sacrum paenitentiae tribunal peccatores paene innumeros Divino Redemptori reconciliant, ut denique aberrantes e recto itinere concionibus suasionibusque eflicacissimis ad veritatem virtutemque revocaret, ac neglegentes et segnes ad christianae perfectionis fervorem excitaret. Cum vero in Pontificio Seminario Romano in aliisque sacricolarum collegiis magistrum pietatis ageret, sacerdotii candidatos apostolico spiritu ita informavit, ut ex iisdem non pauci evaderent catholicae religionis administri virtute praestantissimi. Studiosa igitur atque indefessa eius operositas uberes edidit saluberrimosque fructus, ex quibus quidem christianorum quaedam renovatio morum hac praesertim in alma Urbe feliciter orta est. Cum autem vehementer percuperet ut quae ipse inchoaverat opera, ea post obitum suum, nedum intermitterentur, ampliore potius modo propagaretur, non sine quodam superno instinctu, Societatem condidit, quam ab Apostolatu Catholico nuncupavit, et cui non modo quae

ipse salubriter inceperat, sed quae etiam in optatis habebat, quasi sacram hereditatem concredidit. Hoc est : ad rectam cleri institutionem conformationemque, data opportunitate, sapienter diligenterque allaborare ; per sacras expeditiones, quas missiones vocant, non modo christianum populum, nimio saepius divinorum praeceptorum ignarum vel immemorem, accurate erudire, et ad frugem bonam ad virtutemque revocare, sed ethnicorum etiam gentes vel longinquas evangelicae veritatis luce collustrare et ad catholicae Ecclesiae sinum salutariter reducere; ac denique — quod nostris praesertim temporibus omnino necessarium est — quam plurimos ex laicorum ordine ad adiutricem Ecclesiasticae Hierarchiae praestandam operam advocare **Tectisque** normis componere ; qua in re, ut probe nostis, Vincentius Pallotti quasi miles antesignanus habendus est. Amplissimum igitur Legifer Pater vester hac saeculari faustitate vobis pandit laboris campum, in quo alacrius usque elaborare pergatis ; attamen in id imprimis, Conditoris vestri vestigiis insistentes, actuosiore cotidie voluntate incumbite, ut eam nempe virtutem sanctitatemque, ad quam ceteros pro officio cuiusque vestro excitaturi estis, tam studiose, tam impense in vosmet ipsos referatis, ut magis quam verbo, praelucenti exemplo vestro ac superna impetrata gratia hoc efficere feliciter possitis.

Horum interea uberum fructuum auspex esto Nostraeque benevolentiae pignus Apostolica Benedictio, quam tibi, dilecte fili, universaeque suboli, quae Vincentium Pallotti vel Conditorem, vel magistrum prosequitur, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Decembris, in festo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. CELSUM COSTANTINI, ARCHIEPISCOPUM TIT. THEODOSIOPOLITANUM IN ARCADIA, A SECRETIS SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, PONTIFICIO SOLIO ADSTANTEM, DENA LUSTRA AB INITO SACERDOTIO EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Prater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Triennio ante, te quinque ab inito episcopatu lustra feliciter agente, iucundis profecto secundisque votis faustitatem ipsam prosequi Nobis placuit,

praeclara tua in Ecclesiam merita laudesque suavi proferentibus recordatione. Hodie autem, quinquagesimo sacerdotii tui natali die iamiam labente, redintegratur sane Nobis facultas laetitiam tuam tuorumque Nostra auctoritate gratiaque adaugendi. Ex quo quidem « Deus absconditus » (Isai. XIV, 15), abs te pia voce arcessitus, primum in manus tuas benigne descendit, tu ex altaris sacrificio et convivio normam vitae ac robur constanter sumpsisti, teque ipsum totum, veluti hostiam viventem, in animarum bonum profectumque Deo obtulisti. Sive enim in patriae finibus, sive in remotis Sinensium arvis, sive apud istud Sacrum de Propaganda Fide Consilium, cui sollertem adhuc operam industriamque navas, semper e tabernaculis Domini afflatum virtutemque hausisti, ut plures studiose Christo lucrifaceres et salutaris artis sacrae eximiaeque pietatis scripta affabre elucubrata pervulgares. Tibi igitur, Venerabilis Frater, de sacro ministerio tam diu impenseque peracto etiam atque etiam gratulamur simulque Deum fervida prece exoramus, ut supernis donis ac solaciis te augeat in dies Ecclesiaeque utilitati quam diutissime incolumem vegetumque servet ac tueatur. In auspicium denique caelestis praesidii inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuisque studiorum laborumque sociis, itemque Urbano de Propaganda Fide Athenaeo, cui praees, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xx mensis Decembris, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

AD EXCMUM P. D. CAIETANUM CICOGNANI, ARCHIEPISCOPUM TIT. ANCYRANUM AC NUNTIUM IN HISPANIA APOSTOLICUM, VICESIMO QUINTO ANNO AB EPISCOPATU SUSCEPTO.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Singularem profecto animi delectationem tibi afferei faustus dies, qui proximo ineunte Februario mense illucescet, quum quintum supra vicesimum annum feliciter explebis, ex quo archiepiscopali dignitate auctus ornatusque es. Cuius quidem iucundi eventus celebratio Nobis praebet opportunitatem eius, qua affecti erga te sumus, benignitatis declarandae. Ipse enim, egregia virtute variaque doctrina praeditus, in ipso ae-

tatis flore, postquam tribunali Sacrae Romanae Rotae adiutricem operam dedisti, tradens interea in Athenaeo Urbis Seminarii iuris canonici elementa, officia tibi commissa apud Apostolicas Legationes in pluribus Europae regionibus sedulo perfecisti. Deinde, ad honorem archiepiscopalem evectus, Nuntii Apostolici partes actuose egisti apud nationes Bolivianam, Peruvianam, Austriacam atque Hispaniensem, ubi adhuc versaris. Pluribus quoque extraordinariis Legationibus, tibi ab Apostolica hac Sede concreditis, sollicite perfunctus es. Nos itaque eiusmodi tua erga Ecclesiam merita plane cognita habentes, de proxima faustitate magnopere gratulamur, eiusque celebrationem laetis secundisque votis prosequimur. Quo vero auspicati diei sollemnia adaugeamus, tibi ultro facultatem tribuimus, ut, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Copiosi interea superni praesidii opisque in auspicium, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuisque studiorum laborumque sociis, cunctaeque dilectae Hispaniae amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xix mensis Ianuarii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Ad christifideles Haitianae Reipublicae, alterum impletum saeculum a Metropolitana urbe Portus Principis condita celebrantes. *

Vous avez voulu, chers fils et chères filles d'Haïti, faire du deuxième centenaire de la fondation de votre capitale, la fête de votre patrie tout entière, de cette terre que Dieu a magnifiquement couronnée des flots majestueux de l'océan et parée des plus riches dons de la nature. En cette occasion solennelle, vous avez désiré que Notre voix vienne apporter le sceau de la bénédiction paternelle sur votre nation. De bien bon cœur, Nous répondons à ce vœu, car Nous y voyons une manifestation sincère de votre fidélité à vos primitives et saintes traditions.

Elles remontent, ces traditions, au jour même du 6 décembre 1492, alors que, débarquant sur les rives de votre île, Christophe Colomb la marquait du signe de la Croix qu'il plantait dans votre sol.

De nouveau, lorsque, il y a tout juste deux cents ans, se fondait votre

*** Datus die 8 Decembris mensis a. 1949.**

capitale, c'est encore Dieu qui, le premier, en prit possession dans la modeste chapelle provisoire, autour de laquelle, par ordre royal du 26 novembre 1749, allait surgir et se développer, comme autour de son centre normal, ce qui devait être un jour Port-au-Prince.

Oui, c'est bien Dieu qui bâtissait alors la maison, le Dieu qui garde la cité.[1] Oui, la Croix, la foi chrétienne, la profession ouverte de la religion du Christ, la reconnaissance de sa souveraineté, la soumission filiale au Chef de l'Eglise catholique : voilà quels furent dans le passé, quels seront toujours dans l'avenir, les fondements solides de votre félicité temporelle et éternelle, l'âme de votre civilisation, les seules sûres garanties de votre prospérité comme peuple et comme nation.

Sans doute, les efforts de l'Eglise visent l'ordre surnaturel pour faire participer, autant que possible, tous les hommes au bienfait de la vraie foi et de la grâce divine, pour leur faire rendre à Dieu, par l'observation des commandements, l'hommage qui lui est du, pour les faire vivre, croître et mourir dans son amitié, afin d'aller jouir près de lui de la vie et de la béatitude éternelles.

Mais, en s'appliquant, sans relâche et sans réserve, de tout son pouvoir et de toutes ses forces, à la poursuite de ce but, l'Eglise apporte une contribution inappréciable, même au bien-être commun, à l'intérêt de la chose publique.

Car, en réalité, le vrai secret de la puissance morale de l'Eglise est caché dans les sources de la grâce dont elle dispose, surtout dans sa source principale que sont les sacrements. Par là, elle concourt, indirectement il est vrai, mais à un très haut degré d'efficacité, au bien de la société civile. Comment cela? Tout particulièrement en formant des familles réellement chrétiennes où la fidélité, la paix pleine d'affection régnent entre les époux, où les enfants sont élevés dans la crainte filiale de Dieu, dans le respect envers toute autorité légitime, dans la loyauté, l'honnêteté, la pureté. La chasteté conjugale, les joies de la vie de famille, la vigueur d'une jeunesse moralement saine, telle est l'armature et, pour ainsi dire, comme l'épine dorsale de la communauté nationale.

En formant l'homme aux vertus chrétiennes, l'Eglise, par le fait même, lui apprend à s'élever au-dessus des petitesses de l'égoïsme et, pour l'amour de Dieu, à rendre à l'Etat ce qui est dû à l'Etat; elle Pachemine et l'initie aux saintes œuvres de la charité fraternelle; elle ouvre son esprit et son cœur au sens de la justice sociale.

Du jour où, de l'Europe, les explorateurs se sont élancés à la décou-

[1] Cfr. Ps. 126, 1-2.

verte du Nouveau Monde, l'Eglise s'est toujours trouvée au premier rang pour défendre et soutenir les droits de l'homme en faveur des peuples indigènes. Depuis, elle ne s'est jamais départie de cette attitude et lorsque, aux xixème et xxème siècles, s'est posée non seulement la question ouvrière, mais la question sociale dans toute son ampleur et son acuité, les Papes avec une infatigable persévérance ont dessiné, dans ses lignes maîtresses, le programme de l'Eglise pour la solution de si graves problèmes, et ce programme social, magnifique en lui-même, loin d'être comme tant d'autres le rêve d'une généreuse utopie, a fait ses preuves partout et dans la mesure même où il a été suivi.

Nous faisons appel à vos prêtres et à vos dirigeants laïques pour révéler à tout le peuple d'Haïti l'éclatante vérité, la richesse et la profondeur de la doctrine catholique avec toutes les conséquences qui en dérivent au bénéfice de la vie sociale de l'humanité. Que cette vérité catholique brille dans toute sa clarté, qu'elle soit accueillie de bon cœur, et il n'y aura plus à craindre pour la foi, ni la contamination de pratiques superstitieuses, ni les tristes désertions de l'apostasie.

Nous faisons appel aux prêtres et aux fidèles d'Haïti pour faire passer dans la réalité et la pratique le programme social de l'Eglise. C'est le devoir de l'heure et, en le remplissant sans défaillance, vous rendrez le plus grand service à la communauté nationale.

Au cœur même de votre exposition jubilaire, chers fils et chères filles, s'élève le sanctuaire, par lequel Nous avons voulu donner à cette manifestation internationale de la vitalité économique et culturelle un témoignage de l'amour et des sentiments d'affection paternelle dont à la suite de Nos Prédécesseurs Nous sommes profondément pénétré envers votre pays et votre peuple. Nous n'attendons en retour que la joie de vous voir constamment attachés à la foi de vos pères. Gardez religieusement inviolable l'alliance qui, depuis toujours, vous lie au successeur de Pierre et qu'a scellée sollennellement le Concordat de 1860.

Soyez fiers de votre foi catholique et fièrement ambitieux aussi de fournir à l'Eglise, du sein de vos familles, de dignes et utiles ministres des autels.

((Que la grâce de Notre Seigneur Jésus-Christ, l'amour de Dieu, et la communication de l'Esprit-Saint soient avec vous tous ».[2]

Du haut du ciel, la Vierge, Reine et Mère dont vous célébrez aujourd'hui même la Conception immaculée, est témoin et protectrice de vos bons propos, comme elle en fut témoin et inspiratrice lorsque son humble

[3] 2 Cor. 13, 13.

sanctuaire a été, sous le vocable de sa glorieuse Assomption, le premier berceau de Port-au-Prince. Nous l'invoquons instamment pour vous et, en appelant ses faveurs maternelles sur tous les membres de l'Episcópat présents parmi vous, sur Notre cher Fils le Cardinal Archevêque de la Havane, sur vos propres Pasteurs, sur tous les Evêques vos hôtes de ces jours mémorables, sur Son Excellence Monsieur le Président de la République et sur les autres représentants de l'autorité de l'Etat, sur les prêtres, religieux, religieuses, dont Nous souhaitons voir croître le nombre pour répondre aux grands devoirs de l'heure actuelle, sur vous tous, enfin, cher peuple d'Haïti, Nous vous donnons, du plus profond de Notre cœur, Notre Bénédiction Apostolique.

ACTI SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

i

DECRETUM

Cum Sacerdos Ioannes Pechet officium « Administratoris » vacantis Ecclesiae Neosoliensis e manibus laicorum acceptare acceptatumque inire praesumpserit, Sacra Congregatio Consistorialis praedicto Sacerdoti poenam excommunicationis speciali modo Apostolicae Sedi reservatae infligit atque expresse iubet ipsum vitari debere.

Monet igitur clericos ac fideles ut cum praedicto Sacerdote se gerant ad normam canonis 2261 § 3 Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 18 Februarii 1950.

£ß Fr. A. I. Card. **PIAZZA**, Ep. Sabinen, et Mandelen.,
a Secretis.

I. Ferretto, *Substitutus.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

Die 17 Decembris 1949. — Metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu, seu Caebuanae, praefecit Exc. P. D. Iulium Rosales, hactenus episcopum Tagbilaranum.

die 19 decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Podaliensi R. D. Iosephum Domitrovitchs, e Societate S. Francisci Salesii, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Petri Massa, Episcopi titularis Hebronensis atque Praelati *'Nullius* Fluminis Nigri.

die 22 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Pinarensi Exc. P. D. Candidum Rada Senosiain, hactenus Episcopum Sancti Caroli Ancudiae.

die tlf. Ianuarii I960. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Thessalonicensi Exc. P. D. Alphonsum Castaldo, hactenus Episcopum Puteolanum, quem constituit Coadiutorem Emi P. D. Alexii S. R. E. Card. Ascalesi, Archiepiscopi Neapolitani.

die 20 Ianuarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Maroneae R. D. Franciscum Jachym, professorem Theologiae moralis in Facultate Theologica Vindobonensi, quem constituit Coadiutorem Emi P. D. Theodori S. R. E. Cardinalis Innitzer, Archiepiscopi Vindobonensis.

die 2ff Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Zenobiensi R. P. Patricium Skinner, C. I. M., Rectorem Seminarii Regionalis Halifaxiensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Eduardi Patricii Roche, Archiepiscopi S. Ioannis Terrae Novae.

die 28 Ianuwii. — Cathedrali Ecclesiae Trentonensi R. D. Georgium Gulielmum Ahr, Antistitem Urbanum et Rectorem Seminarii Maioris Archidioecesis Novarcensis.

— Cathedrali Ecclesiae Carolopolitanae R. D. Ioannem Russell, parochum ecclesiae Nativitatis Domini in urbe Vashingtonensi.

— Cathedrali Ecclesiae Campiiontis R. D. Christophorum Weldon, moderatorem Charitatis Operum archidioecesis Neo-Eboracensis.

die 80 Ianuarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Ternobenae R. D. Antonium Samoré, Nuntium Apostolicum in Republica Columbiana.

die SI Ianuarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Phullitanae Exc. P. D. Paschalem Mores, hactenus Episcopum Nuscanum.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Barbastrensi Exc. P. D. Arthurum Tabera Araoz, hactenus Episcopum titularem Lyrbitanum.

— Cathedrali Ecclesiae Civitatensi Exc. P. D. Jesum Enciso Viana, hactenus Episcopum titularem Elusanum.

— Cathedrali Ecclesiae Ibusensi Exc. P. D. Antonium Cardona Riera, hactenus Episcopum titularem Chersonensem in Creta,

— Cathedrali Ecclesiae Cauriensi R. D. Emmanuelem Llopis Iborra, parochum ecclesiae S. Angeli Custodis in archidioecesi Valentina.

die 9 Februarii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Bosporanaé Exc. P. D. Iosephum Charbonneau, hactenus Archiepiscopum Marianopolitanum.

die 20 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Burdigalensi Exc. **P.** D. Paulum Mariam A. Richaud, hactenus Episcopum Valleguidonensem.

die 13 Februarii. — Titulari, pro hac vice, archiepiscopali Ecclesiae Caesariensi Philippi, R. D. Armandum Lombardi, Antistitem Urbanum, deputatum Nuntium Apostolicum in Republica Venetiola.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA SEU CORDÜBEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI RAPHAELAS MARIAE A SACRO CORDE IESU, FUNDATRICIS ANCILLARUM SACRATISSIMI CORDIS IESU.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine eai~umque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Misericordissimus Redemptor noster, sacratissimo Cordis sui divitias in homines ultimis hisce temporibus effundere volens, plura quoque religiosa Instituta suscitavit, quibus quasi mandatum committere visus est, fidelium corda divini amoris igne inflammandi, praesertim erga mirabile Eucharisticum mysterium. Ardentissimo huic optatui, Venerabilis Raphaela Maria a S. Corde Iesu apprime respondit.

Ipsa enim divini Sacramenti amantissima, inscrutabili divinae Providentiae consilio, contra omnem humanam praesensionem, mater facta est novae religiosae familiae, cuius peculiaris finis est adoratio Ssmi Sacramenti, quod est princeps donum e Sacratissimo Corde Iesu in animorum salutem procedens, finis autem secundarius femineae iuventae educatio, mulierumque religiosa eruditio, praesertim per sacros secessus aeternis commentandis rebus institutos.

Quomodo Serva Dei hoc divinum consilium sit exsecuta ex dicendis apparet.

Die 1 Martii a. D. 1850, feria VI, quae Sacri Iesu Cordis cultui specialiter dicatur, in pago Pedro-Abad in Corduben. Dioecesi in Hispania, decima inter tredecim filios, quos pii honestique coniuges Ildefonsus Porras et Raphaela Ayllon genuerant, nata est Serva Dei cui in baptismo, sequenti die suscepto, Raphaëlae, Franciscae a Ssmo Rosario, Rudesindae nomina fuere imposita. Mature patre orbata, sub sapienti viduae matris disciplina sancte fuit educata, adeo ut septennis, raro tunc temporis exemplo, ad sacram mensam fuerit primitus admissa, sequenti autem anno ad sacramentum Confirmationis. Sine mora miras in perfe-

ctionis via progressiones fecit. Castitatis voto quindecim annos nata se obstrinxit, quod integerrime per totam vitam servavit.

Anno 1869 matrem quoque amisit, Deumque ad perfectiorem vitam allicientem persequi exoptans, in Societatem Sororum a Maria Reparatrice fuit admissa, quarum domus Cordubae sua sororisque impensa construebatur.

Verum non multo post, his religiosis abscedentibus, factum est ut ipsa, quae nomen Mariae a Sacro Corde Iesu assumpserat, novi Instituti regimen, ecclesiastica auctoritate iubente, coacta fuerit assumere, atque, Matritensi domo fundata, Toletani Archiepiscopi consilio novae huic familiae nomen *Sororum Reparatricum Sacri Cordis* indidit, quod postea ab Apostolica Sede, in decreto « Laudis » in *Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu* fuit immutatum. Plena huius approbatio anno 1887 fuit decreta. Anno 1877 temporaria vota, perpetua vero anno 1888 nuncupavit. Quum de generali Instituti Moderatrice eligenda ageretur, ut pronum erat, Serva Dei unanimi electa fuit suffragio. Perfectissimum religiosae vitae exemplar se praebuit, suasque filias fortiter quidem simul vero suaviter ad religiosam perfectionem impellebat, quod efficaciter obtinuit.

Sorores enim fere omnes, matris vestigia prementes, regulari observantia et virtutum exercitio adeo praestabant, ut plures Episcopi, ut in suis dioecesibus Instituti domus constituerentur enixe rogarent.

Res prospere quidem procedebant ; verum quoniam opera Dei animosque servorum eius Crucis sigillo oportet obsignari, a nonnullis ei persuasio fuit instillata imparem suo ufficio esse. Cui consilio humillima libenter morem gerens, munere se abdicavit, atque per duos supra triginta solidos annos a cunctis officiis exonerata et quasi neglecta, orationi, carnisque mortificationi intenta, absconditam in Christo vitam duxit, angoribus doloribusque confertam, quos generose pro Dei amore fortiter ad mortem usque sustulit. Atrocissimo morbo patientissime tolerata, Ecclesiae sacramentis roborata, die Epiphaniae Domini Romae anno 1925 lectissimam animam in osculo Domini exhalavit.

Erumpente sanctitatis fama, canonicae inquisitiones cum Romae annis 1936-1938, tum per Rogatoriales litteras in Curiis Corduben. a. 1936. Mediolanen., Westmonasterien, et Bonaëren, a. 1937 perfectae sunt. Sequenti anno decretum pro scriptis prodiit : a. 1939 causa fuit introducta.

Obedientia Urbanianis decretis super cultu non praestito recognita,. Apostolici processus annis 1940-1941 fuerunt constructi, quorum iuridica vis sicut et Ordinariorum a. 1943 fuit pariter recognita. Servatis itaque servandis coram Rmo Cardinali Friderico Tedeschini, causae Ponente seu Relatore, antepraeparatoria Congregatio die 25 Iunii a. 1946 habita

est, quam duae Praeparatoriae diebus 13 Ianuarii 1948 et 4 Ianuarii 1949 subsecutae sunt. Demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII Generalis die 22 Martii est coacta, in qua idem Rmus Cardinalis Relator dubium proposuit disceptandum : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum protulere suffragium ; Beatissimus vero Pater sententiam suam ad hunc usque diem, 13 Maii, edere distulit, ea ratione, ut Suis adstantiumque precibus Sua mens a Deo illustraretur.

Quapropter Rmos Cardinales Fridericum Tedeschini et infrascriptum S. R. C. Praefectum, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei generalem Promotorem, meque Secretarium ad Se accivit, sacraque Hostia sancte litata, edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Raphaëlae Mariae a Sacro Corde Iesu in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Hoc autem docretum rite promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Maii a. D. 1949.

£ß C .Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius*

II

ROMANA **SEU** ALBANEN.

CANONIZATIONIS BEATI GASPARIS DEL BUFALO, CANONICI BASILICAE S. MARCI DE URBE, FUNDATORIS CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM A PRETIOSISSIMO SANGUINE.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Summa Romanorum laetitia, die 18 Decembris mensis a. 1904, Pii Papae X, sa. me. auctoritate, in Vaticana Basilica Venerabilis Servi Dei Gasparis Del Bufalo sollemnia Beatificationis celebrata fuere. Iure merito Romani cives exsuitarunt ; Gaspar enim in hac alma Urbe a. 1786

die 6 Ianuarii natus est in eaque Canonicus Marcianus; Sacerdotio auctus, in animorum salutem strenue laboravit. Mirabili fortitudine sacrilegum iuramentum, ab iinpio pontificiae ditionis invasore impositum, delectavit; ideoque exsilium carceremque est passus. In qua, tot spirituales ruinas perpendens, non sine divino instinctu, sacerdotum Congregationem, qui christianam fidem populo evangelizaret, atque novam Sororum familiam, quae puellarum institutioni et educationi incumberet, instituere animo revolvit. Quod salubre consilium, reddita Ecclesiae pace, in actum, Pio Papa VII favente, deduxit.

Utramque familiam sub Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. titulo dicatam voluit, per quem humani generis redemptio effecta est.

Innumeras sacras expeditiones cum suis sociis per fere vigintiquatuor annos iugiter perfecit, uberrimosque animorum fructus tulit.

Laboribus potius quam aetate fractus, a. 1837, Romae in osculo Domini, lectissimam animam exhalavit.

Sanctitatis fama post obitum magis magisque erumpente, canonicis inquisitionibus, seu ordinaria seu Apostolica auctoritate peractis, Servus Dei inter Beatos a Pio Papa X a. 1904, ut diximus, fuit annumeratus.

Cum rumor nonnullarum sanationum, quae miraculo tribuendae videntur, modo exortus sit, Ssmo D. N. Pio Papae XII postulatoriae litterae pro canonizatione obtinenda oblatae sunt, atque Revmus D. Aniilcar Rey, Congregationis a Pretiosissimo Sanguine generalis Postulator, a Sacra hac Congregatione obtinuit ut de Causae resumptione ageretur.

Quare die 12 Iulii, anni huius, Emus ac Revmus D. Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, in Congregatione Ordinaria dubium proposuit discutiendum : *An signanda sit commissio reassumptionis causae praedicti Beati, in casu et ad effectum de quo agitur,* de •eaque retulit. Emi ac Revmi Cardinales unanimi suffragio rescripserunt : *Signandam esse commissionem si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem ab infrascripto Cardinali Praefecto relatione Beatissimo Patri, Sanctitas Sua subsignata die, Eminentissimorum Patrum rescriptum ratum habens, Sua manu *commissionem reassumptionis causae canonizationis Beati Gaspar is Del Bufalo* dignata est signare.

Datum Romae, die 22 Iulii a. D. 1949.

£9 C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. *B* S.

f A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

III
TARVISINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE BERTILLAE BOSCARDIN, EX INSTITUTO SORORUM MAGISTRARUM A S. DOROTHEA FILIARUM SACRORUM CORDIUM.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Benignissimus Deus hominem, quem in Sui similitudinem creavit, *praedestinavit* quoque, ut scribit Apostolus, *in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum* (Eph. 1, 5) ; ita ut nos simus non solum invicem, sed Christi ipsius fratres, adeo cum eo coniuncti, ut idem Paulus nos doceat : *Unum corpus sumus in Christo* (Rom. 12, 5), *qui est caput corporis Ecclesiae* (Col. 1, IS), *ex quo totum corpus compactum et conexum* (Eph. 4, 16). Quam doctrinam ipse Dominus, a quo Apostolus evangelium didicit, dignatus est nos docere, praemii aut damnationis sententiae rationem aperiens, quam in extremo iudicio erit laturus : *Venite benedicti Patris mei,* dicet, *possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim et dedisti mihi manducare... nudus eram €t cooperuistis me, infirmus eram et visitastis me... Amen dico vobis quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis.*

Ille itaque qui misericordiae opera proximis impertitur, ea ipsi Christo impertitur.

Hoc fidei et caritatis spiritu impulsa, Venerabilis Soror Maria Bertilla Boscardin totam vitam suam in proximorum bonum impendit ac superimpendit, praemiumque harum virtutum, ut conicere licet, in caelesti regno est assecuta. Pauca de eius mirabili vita gratum est delibare.

Die 6 Octobris mensis anno 1888 in oppido Brendola, intra Vicentinae Dioecesis fines, e coniugibus Angelo Boscardin et Maria Teresia Benetti, Anna Francisca nata est et a Parocho Ioanne Fossa, postea Episcopo Faesulano, baptizata. Piissima genetrix pietate ac religionis rudimentis eius animum ita informavit, ut, iam inde a pueritia, ad quantam vitae sanctitatem filiolam perventuram esse visum fuerit.

Die Annuntiationi B. M. V. sacra, anno 1897 divinam Eucharistiam

primitus suscepit. Duos post annos sacro Chrismate fuit delibuta. Municipalem ludum celebrantem, condiscipularum exemplum magistra atque cives admirabantur eamque passim angelum vocabant.

Ad Religiosam vitam capessendam se allectam persentiens, omnibus superatis impedimentis, Aprili mense anni 1905 inter Magistras a S. Dorothea, Filias Sacrorum Cordium, uti probanda excepta fuit, sequentique Octobri mense, religionis vestes induit, tirociniumque iniit, assumpto Mariae Bertillae nomine.

In hac religiosae vitae periodo, magis magisque in virtutibus exercendis progressiones fecit, in humilitate praesertim et caritate : nemo enim ea humilior, nemo caritate insignior. Anno 1907 religiosa vota nuncupavit. Omnia quidem summique momenti officia, quasi ab ipso Deo concredita, sancte perfecteque adimplevit, verum in infirmorum cura, difficillimis quoque in adiunctis, maxime eminuit.

In Tarvisino enim nosocomio stupenda caritatis, patientiae, animi demissionis specimina exhibuit. Sollicita, benigna, comis infirmis assidebat; vigilias, ut sorores levaret, veluti sui iuris, agere sibi vindicabat; aegrorum morositatem invicta patientia tolerabat; medicis et chirurgi» fatentibus, pretiosam eis conferebat operam. Europaeo bello saeviente huc illuc cum aegrotis et sauciatis militibus migrare coacta strenue se gessit, nil sibi prospiciens, sed de eorum tantum salute cum temporali tum spirituali sollicita. Nullus enim ex aegrotis eius curae commissis sine Ecclesiae Sacramentis e vita cessit.

Non sine lacrimis legi potest primarii chirurgi ellogium, cui ceteri nosocomio addicti medici et infirmarii concinunt, quique marmoreum voluere in eius memoriam erigere monumentum, tantae virtutis testimonium. Multa, sine ulla querimonia, est passa, licet omnino culpa expers ; immo saepe et reprehensionem et non admissorum paenitentiam silenter acceptavit et luit.

Per quatuor circiter annos maligno sarcomate fuit excruciata, quod silentio sustulit, nec a consuetis officiis se abstinuit, donec a Superiorissa, gravibus signis commota, Bertilla medicam inspectionem perpeti coacta fuit. Veluti ultimo experimento, chirurgico ferro subiecta fuit, ast incassum, die enim 22 Octobris anno 1922 sacramentis morientium roborata, divinae voluntati perfectissime conformata, laeta ter *Iesum solum* ingeminans, lectissimam animam exhalavit.

Sanctitatis fama erumpente, ordinaria auctoritate in Tarvisina Curia canonicae inquisitiones annis 1925-1930 fuerunt peractae.

Die 20 Aprilis anno 1932 favorabile super scriptis decretum editum est. Die 22 Maii anni 1935 Pius Papa XI, fel. rec, commissionem Intro-

duetionis causae manu Sua signavit. Die 31 Iulii eiusdem anni super obedientia urbanianis decretis de cultu Servis Dei non praestando prodiit decretum. Apostolico processu constructa, eiusque, atque prioris, iuridica vi per decretum die 24 Aprilis a. 1942 recognita, dispensatione a Ssmo D. N. Pio Papa XII obtenta super nondum quinquaginta annorum decursu expleto, coram Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, Antepraeparatoria Congregatio die 29 Aprilis a. 1947 habita est, quam die 29 Martii anni huius Praeparatoria est subsecuta, die vero 21 Iunii mensis coram Sanctitate Sua Generalis, in qua idem Cardinalis Ponens seu Relator dubium posuit disceptandum : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortia tudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.* Beatissimus Pater Rmorum Cardinalium, officialium Praelatorum Patrumque Consultorum suffragia attento animo auscultavit ; verum sententiam edere ad hunc usque diem 31 Iulii, Dominicam octavam post Pentecosten, distulit, ferventes interim preces ad Deum luminum Patrem ingeminans, ut Sua mens illustraretur.

Eapropter Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente, atque infrascripto S. R. C. Praefecto nec non R. P. Salvatore Natucci dei generali Promotore meque Secretario ad se advocatis, sacrosancta liturgia devotissime celebrata, edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Mariae Bertillae Boscardin in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 31 Iulii 1949.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

IV

EOMANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI VINCENTII PALLOTTI, SACERDOTIS, FUNDATORIS SOCIETATIS APOSTOLATUS CATHOLICI.

SUPER DUBIO

An stante approbatione virtutum et miraculorum, Tuto *procedi possit ad eiusdem Venerabilis sollemnem Beatificationem.*

Pius Pp. XI in sermone quem habuit die 24 Ian. 1932, quo decretum super heroicis Ven. Vincentii Pallotti virtutibus promulgatum fuit, eum exhibuit ut mirabile exemplum sacerdotalis vitae, quae animorum zelo succensa omnes homines ad Petri ovile seu revocare seu primo adducere moliebatur. Hinc eius insatiabilis ardor pro missionalibus operibus fovendis, christiano populo stimulos addendo ad Dei regnum dilatandum qua exemplo, qua praedicatione, qua subsidia quaerendo, qua ecclesiasticae hierarchiae operam conferendo.

Quare merito a Pontifice <x providus et pretiosus Actionis Catholicae antesignanus » fuit commonstratus. Hac mente ipse « Apostolatus Catholici Societatem » instituit, quam e Sacerdotibus, e fratribus laicis atque Sororibus, immo fidelibus utriusque sexus, Regularibus non exclusis, qui, saltem precibus suam operam ad communem finem conferrent, constare voluit. Haec late per orbem dilatata uberrimos laetosque fructus in Dei gloriam fert.

Societatem hanc non modo indefessa actione sed et praecipue exemplo, oratione, aspero vitae genere firmavit. Quinquagesimo quinto anno nondum expleto die 22 Ianuarii mensis a. 1850 ad Superos evolavit. Leo XIII fel. rec. Introductionis causae commissionem Sua manu signavit ; die 24 Ianuarii anno 1932 Pius Papa XI s. m. heroicas eum exercuisse virtutes edixit: Ssíñus D. N. Pius Pp. XII die 27 Novembris proxime elapsi duo miracula approbavit, quae ad Beatificationis honores ei comparandos Actores exhibuerant.

Verum ut ad haec sollemnia possit procedi a iure praescribitur dubii disceptatio : *An stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* Tuto *procedi possit ad eiusdem S. D. sollemnem Beatificationem.* Dubium hoc infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus atque Causae Monens seu Relator in Generali Congregatione, coram SS. D. N. Pio Papa XII die 6 Decembris anni huius discutiendum proposuit, cui Río i •Cardinales, Officiales Praelati et PP. Consultores unanimi affirmativo

suffragio responderunt : Beatissimus vero Pater suam edere sententiam procrastinavit ut rem coram Deo enixis precibus perpenderet. Diem vero hanc selegit, Dominicam III Sacri Adventus ut suam aperiret mentem.

Quare infrascriptum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Generalem Promotorem, meque Secretarium advocavit atque divina hostia sancte in Vaticana Basilica litata edixit : *Tuto* procedi posse ad sollemnem Ven. Vincentii Pallotti Beatificationem.

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri Apostolicasque litteras sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemniis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expedire mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris, Dominica III Sacri Adventus, a. D. 1919.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. *%f* S.

f A. Carinci, Archiep. Selene., *Secretarius.*

V

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI DOMINICI SAVIO, ADULESCENTIS LAICI, SALESIANI ORATORII ALUMNI.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum dei quo agitur

« Volo fieri sanctus », vix duodecim annos natus, confidenter S. Ioannem Bosco alloquens, Venerabilis Dominicus Savio dixit ; propositumque ad amussim servavit, adeo ut, post triennium, anno 1857 vita excedens, sanctitatis famam reliquit. Quod autem fama haec solido fundamento fuerit innixa, Sacra haec Congregatio per decretum heroicas virtutes, Pii Papa XI auctoritate approbans, die 9 Iulii a. 1933 editum, sollemniter testata est. Quam sententiam munificus Deus dignatus est miraculorum splendore confirmare. Duas enim miras sanationes patravit, quae uti vera miracula sunt habenda, quae a Salesiana Societate ad Beatificationem huius adulescentis obtinendam afferuntur.

I. Puer Sabatinus Albano ex oppido « Siano)) in Archidioecesi Salernitana a gravissima septicohaemia cum bronchio-pneumonite bilaterali basilari, néphrite acuta haemorrhagica et séptica meningite, Mar-

tio mense ineunte, anno 1927, attactus fuit; qui multiplex morbus adeo saeviit, ut, medentis iudicio, puer in eo esset ut moreretur. Verum Venerabilis Dominici Savio imago a pueri matre sub cervicali fuit inserta, ingeminatis simul ferventibus precibus ut sanatio, eius interventione, obtineretur. Hora postmeridiana 11 medens dixit puerum eadem nocte esse moritur um.

Verum sequenti mane puer ab eodem sanus inventus est. Miraculum intervenisse ipse medens fassus est. Periti ex ofiicio ipsumque medicum Sacrae huius Congregationis Collegium diagnosim quod ad substantiam, infaustam prognosim, sanationem praeter naturae vires contigisse unanimi consensu edicunt.

II. Maria a Consolatione Adelantado, Barcinonensis puella, die 1 Martii mensis, anno 1936, dum pila ludit, in terram decidens, comminutam fracturam intra-articularem cum articulari luxatione in sinistro cubito passa est, cui postea, ob inconsultam duorum empiricorum operam, ulceratio accessit. Die 23 eiusdem mensis novendiales preces pro sanatione, per Venerabilis Dominici Savio intercessionem, obtinenda inceptae fuere : interim de Venerabilis reliquiis particula brachio fuit apposita. Hora antemeridiana tertia diei 27 in eadem condicione Maria versabatur adhuc, hora vero quarta, de repente a fractura omnibusque adiunctis se sensit sanatam, liberosque brachii motus recuperavit.

Wiedens tresque officiales periti in diagnosi et prognosi edicenda concordant, insimulque praeter naturae leges sanationem evenisse fatentur.

Super his sanationibus Apostolicae inquisitiones fuerunt in Salernitana et Barcinonensi Episcopalibus Curiis peractae, atque favorabile pro iuridica earum vi decretum die 30 Iulii anno 1944 fuit editum. Antepraeparatoria Congregatio coram Revmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, die 10 Decembris a. 1946 celebrata fuit ; Praeparatoria vero die 12 Iulii anni huius, Generalis demum die 6 Decembris coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, in qua idem Cardinalis dubium posuit disceptandum : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum edidere suffragium. Beatissimus vero Pater sententiam pandere distulit, maius lumen a Deo imploraturus. Hunc vero diem ad hoc selegit.

Eapropter Revmos Cardinales Ponentem seu Relatorem atque infrascriptum S. R. C. Praefectum nec non R. P. Salvatorem Natucci meque Secretarium ad Se accivit, atque sacrosancto eucharistico Sacrificio pieiitissime litato, edixit : *Constare de duobus propositis miraculis,* videlicet *de instantánea perfectaque sanatione cum pueri Sabatini Albano*

<t gravissima septicohaemia cum bronchio-pneumonite bilaterali basilari, néphrite acuta haemorrhagica et séptica meningite, tum Mariae a Consolatione Adelantado a gravi fractura comminuta intra-articulari cum luxatione articulari et ulceratione in sinistro cubito.

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris 1949, Dominica III Sacri Adventus.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © **S.** '

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

VI

MATRITEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI VINCENTIAB MARIAE LOPEZ VICUÑA, FUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM MARIAE IMMACULATAE PRO PUELLIS FAMULATUI ADDICTIS.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Venerabilis Vincentiae Mariae Lopez Vicuña vitam attente considerantes evidenter eius virtutum heroicitatem recognoscere debemus. Opus enim, propter quod Institutum Filiarum Mariae Immaculatae condidit pro puellis famulatui addictis, utpote novum in mundo tantas ei calumnias, difficultates omne genus concitavit, ut nisi heroica fortitudine cum caritate fuisset ornata, nullimode potuisset ea superare. Ipsa vero, Deo confidens, immota permansit, quare optime ei Augustini verba aptantur : « Inter opprobria secura, inter odia benefica, inter iras placida, «inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans » (PL 39/1535). Deus autem has virtutes generose rependit et Instituti propagatione et miraculorum gloria, quibus via ad Beatificationis honores ei comparandos panditur.

Etenim duae mirae sanationes, ab actoribus propositae, vera miracula a Deo per Famulae Suae intercessionem sunt agnitae. Et sane.

I. Agnes Dean Guelbenzu, in loco vulgo dicto Cascantes, Tarraconensis Archidioecesis, meningite, probabilissime tuberculari, fuerat graviter attacta et in eo erat ut fere morti subiacere^. Hoc medentium iudi-

cium plene a nostris peritis ex officio, immo et ab ipso sacrae huius Congregationis medico Collegio approbatur.

Venerabili Vincentia Maria ferventer invocata, Agnes in instanti, perfecte primis matutinis horis diei 27 Iulii a. 1928 sanata est et quidem perseveranter, uti periti physici anno post sanationem duodecimo comprobar unt.

Sanationem hanc ultra naturales leges contigisse duo medentes, ex officio periti Collegiumque medicum sine haesitatione affirmant.

II. Iosephus Maria Gómez Tíllate, praefatae Agnetis consobrinus, anno 1929, Martio mense angina agranulocytica acuta, omni recuperandae salutis amissa spe, affectus fuit tam graviter, ut sacro viatico extremaque Unctione fuisset munitus atque ad agonem pervenisset. Venerabilis Vincentia Maria per novendiales preces invocata fuit eiusque imago sub infirmi caput posita. Die 28 Aprilis, hora quarta postmeridiana venae concidunt, respiramen cessat, mortuus existimatur. Ast repente omnibus mirantibus, Ioseph ad vitam veluti revocatur, placido salubrique somno corripitur, sibi conscius factus, convalescere coepit, gravia symptomata cordis illico evanescunt, atque intra paucos dies perfectae sanitati restituitur. Unanimis est seu medentium seu trium peritorum ex officio sententia in sanatione divinam actionem agnoscens.

Super utraque sanatione in Pampilonensi Curia Apostolicae peractae sunt inquisitiones, de quarum valore iuridico favorabile decretum die 3 Iulii a. 1944 editum est.

Servatis itaque de iure servandis, coram Revmo D. Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, die 11 Novembris mensis a. 1947 Antepraeparatoria Congregatio habita fuit, Praeparatoria vero die 25 Octobris proxime elapsi, Generalis demum coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 6 mensis huius, in qua Revñius Cardinalis Ponens seu Relator dubium posuit disceptandum : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.*

Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam de re aperuerunt mentem. Beatissimus vero Pater Suam edere sententiam ad hunc usque diem distulit, ferventes interim effundere preces volens, ut divinum beneplacitum evidentius agnoscere implorar et.

Quocirca arcessitis ad Se Revmis Cardinalibus Ponente et infrascripto S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, meque Secretario, religiose sacro litato, edixit : *Constare de duobus propositis miraculis, Venerabili Vincentia Maria Lopes Vicuña intercedente, a Deo patratis,* nimirum *de instantánea perfectaque sanatione Agnetis Dean Guelbenzu a lethali meningite deque perfecta*

sanatione Iosephi Mariae Gómez Tíllate a lethali angina agranulocytiea acuta.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris 19á9, Dominica **III** Sacri Adventus.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

SOUTHWARCEN.

NULLITATIS MATRIMONII (P. J. MONTGOMERY-WALTON)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Laurentii Walton, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Romae, Palazzo della Cancelleria) die 25 Maii 1950, bora duodecima ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

1) *An constet de nullitate sententiae Sauthwarcen. diei 28 decembris 191$ et quatenus negative,*

2) *An constet de nullitate matrimonii in casu.*

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi Laurentii Walton curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

G. Heard, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 21 Februarii 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Laurent Walton défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Piazza e Palazzo della Cancelleria) le 25 mai 1950, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

1) *Conste-t-il de la nullité de la sentence du Tribunal de Southwark du 28 décembre 1942? et, dans le cas contraire;*

2) *Conste-t-il de la nullité du mariage dans cette cause?*

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Laurent Walton devront, dans la mesure du possibile, l'avertir de la presente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEL CONCILIO

AVVISO DI CONCORSO

Presso la Sacra Congregazione dei Concilio è aperto un concorso per quattro posti di Aiutante di Studio, di cui due per l'Ufficio Disciplinare e due per l'Ufficio Catechistico.

Vi potranno prendere parte i Sacerdoti che non abbiano superato il 35° anno di età, che siano forniti almeno di licenza in teologia ed in diritto canonico, e che non più tardi del 25 prossimo Marzo abbiano presentato alla Segreteria della stessa Sacra Congregazione la domanda, corredata della commendatizia del proprio Vescovo e del *nulla osta* del Vicariato di Roma, insieme ai documenti comprovanti gli studi compiuti, i gradi accademici conseguiti e gli altri titoli.

Il concorso sarà per titoli e per esame di scienza. Si terrà anche conto della conoscenza di lingue moderne.

L'esame scritto avrà luogo nella Segreteria della Sacra Congregazione il giorno primo del prossimo Aprile, alle ore 9, e consisterà nello svolgimento di due temi, dei quali uno in latino e uno in italiano, su materia disciplinare e rispettivamente su materia catechistica di competenza del medesimo Sacro Dicastero.

Roma, 20 Febbraio 1950.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 3 gennaio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione del Beato Francesco Saverio Maria Bianchi, Confessore, della Congregazione dei Barnabiti, e che vengono proposti per la sua solenne canonizzazione.

Martedì, 10 gennaio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la Sacra Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali e i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione •del Beato Antonio Maria Oiannelli, Vescovo di Bobbio, fondatore delle Suore della Beata Vergine dell'Orto, e che vengono proposti per la sua canonizzazione.

Martedì, *2á* gennaio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi, hanno-discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione della Ven. Serva di Dio Margherita Bourgeoys, fondatrice della Congregazione delle Suore di Nostra Signora.

Martedì, 7 febbraio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione del Ven. Servo di Dio Francesco Antonio Fasani, sacerdote professo dell'Ordine dei Frati Minori Conventuali.

In seduta *ordinaria* poi la stessa S. Congregazione ha discusso sulla introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione del Servo di Dio Francesco Garate, religioso coadiutore della Compagnia di Gesù.

Martedì, 21 febbraio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata* la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sul martirio dei Servi di Dio Giuseppe Diaz Sanjurjo, dell'Ordine dei Frati Predicatori, Vescovo tit. di Platea, Vicario Apostolico del Tonchino centrale, Melchiorre Garcia Sampedro dello stesso Ordine, Vescovo tit. di Tricornia, successore del predetto nello stesso Vicariato Apostolico, ed altri 23 dell'Ordine dei Frati Predicatori e secolari, uccisi in odio alla fede negli anni 1856-1862.

In seduta *ordinaria* inoltre gli stessi Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla riassunzione della causa di canonizzazione della Beata Beatrice de Silva, fondatrice delle Monache della Ssma Concezione.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

6 febbraio 1950. S. E. Revma Monsig. Urbani Giovanni, Arcivescovo tit. di Sardi, *Consultore della Saera Congregazione Concistoriale.*

8 » » Il Revmo Padre Roschini Gabriele Maria, dell'Ordine dei Servi di Maria, *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti, per le Cause di beatificazione e canonizzazione.*

„ Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

10 aprile 1946. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Lavitrano Luigi, *Protettore delle « Sisters of Our Lady o fGharity »* (Erie).

4 settembre 1947. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore delle Suore di Loretto ai piedi della Croce* (Louisville).

10 » 1949. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato Giovanni, *Protettore delle « Hermanas Terciarias Carmelitas Teresas de San José »* (Barcellona).

2 ottobre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato Giovanni, *Protettore delle « Carmelitas Terciarias Descalzas »* (Tarragona).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore delle Suore della Presentazione della B.M.Y.* (Sioux Falls).

«14 novembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore della Congregazione degli Operai Cristiani di S. Giuseppe Calasanzio* (Vienna).

15 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Canali Nicola, *Protettore delle Suore Francescane della Carità Cristiana* (Green Bay).

16 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Bruno Giuseppe, *Pre-* * *f etto della S. Congregazione del Concilio.*

28 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedescumi Federico, *Protettore della Piccola Missione per i Sordomuti* (Bologna).

8 dicembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore della Pontificia Accademia dell'Immacolata Concezione* (Roma).

16 » » S. E. Revma Monsig. Sigismundi Pietro, Arcivescovo tit. di Neapoli di Pisidia, *Delegato Apostolico del Congo Belga e del Ruanda Urundi.*

30 gennaio 1950. S. E. Revma Monsig. Samorè Antonio, Arcivescovo tit. di Tirnovo, *Nunzio Apostolico in Colombia.*

13 febbraio » S. E. Revma Monsig. Lombardi Armando, Arcivescovo tit. di Cesarea di Filippo, *Nunzio Apostolico in Venezuela.*

Assistenti al Soglio Pontificio :

14 gennaio 1947. S. E. Revma Monsig. Shvoy Luigi, Vescovo di Alba Reale.
25 maggio 1949. S. E. Revma Monsig. Heerey Carlo, Vescovo tit. di Balanea, Vicario Apostolico di Onitsha.
2 agosto » S. E. Revma Monsig. Langlois Giuseppe Alfredo, Vescovo di VaUeyfield.
3 ottobre » S. E. Revma Monsig. Gerow Riccardo O., Vescovo di Natchez.
» » » S. E. Revma Monsig. Toolen Tommaso Giuseppe, Vescovo di Mobile.
9 novembre » S. E. Revma Monsig. Mazzotti Arcangelo, Arcivescovo di Sassari.
17 dicembre » S. E. Revma Monsig. De Carlo Nicola, Vescovo di Resistencia.
7 gennaio 1950. S. E. Revma Monsig. Bini Francesco Saverio, Vescovo tit. di Vallis, Vicario Apostolico di Khartum.

Protonotari Apostolici ad instar participantium :

15 maggio 1946. Monsig. Hart Pietro J., della diocesi di Trenton.
26 aprile 1947. Monsig. Molloy Giovanni M., dell'arcidiocesi di Dubuque.
5 agosto » Monsig. Monaghan Tommaso F., dell'arcidiocesi di Newark.
8 aprile 1948. Monsig. Häver Luigi (Roma).
20 maggio 1949. Monsig. Huegel Pietro Stefano, della diocesi di Harrisburg.
5 luglio » Monsig. Szabo Martino, del Banato in Jugoslavia.
25 » » Monsig. Strenski Arturo B., della diocesi di Camden.
» » » Monsig. Hillenmeyer Erberto Francesco, della diocesi di Covington.
12 agosto » Monsig. Issenmann Clarence G., dell'arcidiocesi di Cincinnati.
14 » » Monsig. Connor Giovanni M., della diocesi di Oklahoma e Tulsa.
» » » Monsig. Fletcher Daniele C, della medesima diocesi.
31 » » Monsig. Janssen Antonio, dell'arcidiocesi di Regina.
26 settembre » Monsig. Fanni Antonio, della diocesi di Ales e Terralba.
15 ottobre » Monsig. Lanza Cosimo, dell'arcidiocesi di Siracusa.
20 » » Monsig. Lawlor Guglielmo, dell'arcidiocesi di Newark.
24 » » Monsig. Mclntyre Arcibaldo Kenneth, della diocesi di Nelson.

I dicembre 1949. Monsig. Garkovic Matteo, dell'arcidiocesi di Zara.
II gennaio 1950. Monsig. Ciarappa Adelfo, della diocesi di Todi.
» » » Monsig. Majic Andrea, della diocesi di Mostar.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

L'Ordine della Milizia Aurata-.

15 dicembre 1948. A S. E. il sig. Einaudi Luigi, Presidente della Repubblica Italiana.

La Gran (jroee dell'Ordine Piano :

15 dicembre 1948. A S. E. l'on, senatore Sforza Carlo (Italia).
» » » A S. E. il sig. Meli-Lupi di Soragna Tarasconi Antonio (Italia).
16 novembre 1949. A S. A. S. zu Löwenstein-Wertheim Rosenberg principe Luigi (Germania).

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

15 dicembre 1948. Al sig. Mosca Bernardo (Italia).
» » » Al sig. Varino Alessandro (Italia).
23 settembre 1949. Al sig. Giambelli Agostino, dell'arcidiocesi di Milano.
10 gennaio 1950. Al sig. Gagnola Guido, della medesima arcidiocesi.

La Placca dell'Ordine Piano :

28 settembre 1949. Al sig. Pagliucchi comm. Pio (Roma).

La Commenda dell'Ordine Piano :

24 settembre 1949. Al sig. Vuoli prof. Romeo, della diocesi di Recanati-Loreto.
7 dicembre » Al sig. Veronese avv. Vittorino (Roma).

La Oran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

15 dicembre 1948. Al sig. Taliani De Marchio Francesco Maria (Italia).
» » » Al sig. Carbone Ferdinando (Italia).
14 settembre 1949. A S. E. il sig. Guzman don Lisimaco (Equatore).

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe militare :

15 dicembre 1948. Al sig. Marazzani generale Mario (Italia).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, elasse civile :

15 dicembre 1948. Al sig. Silj Francesco (Italia).
20 gennaio 1949. A S. E. il sig. Kasteel Pietro (Haiti).

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

14 luglio 1947. Al sig. Parisi Oostantino (Roma).
» » » Al sig. de Jonghe comm. Edoardo (Belgio).
30 dicembre 1949. Al sig. Moorhead comm. Ludovico, delParcid. di Chicago.

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

22 gennaio 1946. Al sig. Gaviria Ernesto (Colombia).

NECROLOGIO

3 giugno 1949. Monsig. Moriarty Ambrogio, Vescovo di Shrewsburg.
4 dicembre » Monsig. Kevenhoerster Giovanni Bernardo, Vescovo tit. di Camuliana, Vicario Apostolico delle Isole Bahamas.
10 » Monsig. Vanderhoven Giuseppe, Vescovo tit. di Sinna, Vicario Apostolico di Boma.
19 Monsig. Leen Giacomo, Vescovo di Porto Luigi.
31 Monsiff. Rossino Giuseppe, Arcivescovo tit. di Tessalonica, Segretario della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.
1 gennaio 1950. Monsig. Griffin Guglielmo Luigi, Vescovo di Trenton.
5 » » Monsig. O'Dowd Giacomo Tommaso, Vescovo tit. dì Cea.
8 » » Monsig. Corona Nicola, Vescovo di Papantla.
» » » Monsig. Skrábik Andrea, Vescovo di Neosolio.
18 » » Monsig. de Romanis Alfonso Camillo, Vescovo tit. di Porfìreone, Sacrista e Vicario di Sua Santità per la Città del Vaticano.
» » » Monsig. Scedid Elia, Arcivescovo tit. di Cirro.
31 » » Monsig. Gardini Francesco, Vescovo di Bertinoro.
7 febbraio » Monsig. Murphy Guglielmo, Vescovo di Saginaw.
9 » » Monsig. Rarkowski Francesco Giusto, Vescovo tit. di Gerocesarea.
10 Monsig. Szelazek Adolfo, Vescovo di Luceoria.
14 Monsig. Costes Giovanni Camillo, Vescovo di Angers.
» Monsig. Pecci Anselmo Filippo, Arcivescovo tit. di Soteropoli.
16 Monsig. Naughton Giacomo, Vescovo di Killala.
19 Monsig. Poskitt Enrico Giovanni, Vescovo di Leeds.
24 Monsig. Cammarata Luigi, Vescovo tit. di Cesarea di Mauritania, Prelato *nullius* di Santa Lucia del Mela.

An. et rol. XXXXII 15 Martii 1950 (Ser. Ii, y. XVII) - N. 4r

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PUBLICAE INDICUNTUR SUPPLICATIONES PRO CHRISTIANA MORUM RENOVATIONE POPÜLORUMQUE CONCORDIA, DIE DOMINICA PASSIONIS HABENDAE.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Anni Sacri, qui iam volvitur, cursus non unam Nobis attulit laetitiae consolationisque causam; vidimus nempe pluribus ex terrarum orbis partibus christianorum multitudines Romani confluere, ex qua evangelicae doctrinae lux inde ab Ecclesiae originibus intaminata radiato; vidimus easdem ad divi Petri limina non modo suas paenitendo proluere labes, sed totius etiam mundi efïusis supplicationibus expiare peccata, atque universae hominum consortioni ad Deum impetrare reditum; ex quo quidem solummodo vera pax animis, concordia civibus, prosperitas Nationibus oriri potest. Ac novimus has primas peregrinantium turmas earum quasi primitias esse, quas subinde, clarioribus praesertim mensibus, frequentiores etiam fore prospicimus. Quomobrem sperare licet uberes inde profecturos esse salutaresque fructus.

Nihilo secius, si haec, quae attigimus, suavissime Nobis praebuere soiacia, non desunt tamen anxitudinis angustiarumque causae, ob quas paternus animus Noster gravibus obducatur maestitiae nubibus. Ac primum, quamquam iam diu bellica fere ubique tacuere arma, pax nondum optatissima convenit, quae firma, quae solida sit, quae varias atque increscentes discordiarum rationes feliciter componat. Multi hinc inde populi sibi invicem adversantur; et cum mutua non intersit fiducia, apparatum militarem ita certatim congerunt, ut omnium animi suspensi ac trepidi permaneant.

Quod autem non modo gravius videtur Nobis, sed omnium etiam maiorum fons hoc est: non raro in veritatis locum mendacium suffectüm esse ac veluti contentionis instrumentum adhiberi; religionem sanctam a non paucis vel neglectam ac posthabitam esse, quasi nullius momenti negotium, vel etiam alicubi a domestico convictu a civilique societate utpote veterum temporum superstitionem prohibitam; impietatem privatim, publice efferri; atque adeo mores, sublato Numine Eiusque lege, nullo fundamento constare. Scripta, quae typis eduntur, vel nimio saepius res sacras flagitiose ac turpiter vituperare, vel omne genus obscenitates patefacere, ac cercam pueritiam praesertim atque inescatam iuventutem ad vitiorum illecebras trahere summoque cum detrimento excitare. Populares civium ordines commenticiis promissionibus decipi; eorumque animos — si eo potissimum devenitur ut avita fides, quae maximum in terrestris huius exilii miseriis solacium est, radicitus ex iisdem evellatur — ad odium, ad simultatem, ad discordias compelli; unde cernere est vim, tumultus, turbas meditato consilio ac continuata serie oriri, quae rebus oeconomicis ruinam parant, immo undique bono communi damnum irreparabile inferunt.

Haec praeterea acerrima cum animi maestitia lamentamur: in Nationibus nempe non paucis Dei, Ecclesiae, ipsiusque hu manae naturae iura graviter offendi ac proculcari; sacrorum administros, excelsa etiam dignitate insigniter, vel e sui esse muneris sede deturbatos, et in exsilium, in carcerem detrusos,

vel ita esse praepeditos, ut libere nequeant sibi creditum exercere ministerium; in litterarum ludis, in altiorum disciplinarum scholis, in scriptis prelo editis vel nullam esse facultatem christianam proponendi tuendique doctrinam atque Ecclesiae impertiendi praecepta, vel ita esse coarctatam ac publica censura inspectam, ut videatur inibi illud ex arbitrio vigere propositum, ut veritas, ut libertas, ut ipsa sancta religio civili auctoritati unice demisseque servire debeant.

Quae cum tanta sint mala, cumque, ut diximus, ex uno fonte proficiscantur, hoc est ex repudiato Numine ex Eiusque neglecta lege, prorsus necessarium est, Venerabiles Fratres j supplices ad Deum preces attollere, et ad illa praecepta revocare omnes, ex quibus solummodo lux mentibus, pax et concordia animis, iustitia populis civiumque classibus, debito servato ordine, oriri possunt.

Ut probe nostis, bene morata civitas recteque composita, sublata religione, esse non potest. Quamobrem facile cernitis quantopere oporteat sacrorum administros imprimis ad hoc. urgendum opus alacriter, vobis ducibus, allaborare; nullis ii pareant laboribus ut per hunc praesertim Annum Sacrum greges sibi cuique crediti, praeiudicatis ac falsis depositis opinionibus, restinctis odiis, sedatis discordiis, ita evangelica nutriantur doctrina, ita christianam participent vitam, ut felix reapse habeatur redintegratio morum. Cum autem non ad omnes, non ad omnia sacerdotibus pateat aditus, neque eorum opera semper possit necessitatibus omnibus consentaneo modo occurrere, ii, qui in Actionis Catholicae agminibus militant,, adiutricem suam, sollertem impensamque praestent navitatem. Nemini liceat esse desidem, nemini inertem, nemini otiosum esse, dum tanta mala incumbunt, dum tot discrimina impendent, dum ii, qui ex adversa sunt parte, ipsa catholicae religionis christianique cultus fundamenta subruere enituntur; Esto numquam in posterum ut « filii huius saeculi prudentiores filiis lucis » [1] sint; esto numquam ut hi minus alacres evadant.

[1] LTJO., 16, 8.

Verumtamen, quandoquidem humanae opes impares sunt, nisi divina innitantur gratia, vos etiam atque etiam adhortamur, Venerabiles Fratres, ut nova habeatur in gregibus cuiusque vestris sacra quasi precum contentio, qua a Patre misericordiarum Deoque totius consolationis[2] praesentibus maiis opportuna remedia impetrentur. Cupimus autem ut hae publicae supplicationes una Nobiscum die XXVI huius mensis Martii potissimum ad Caelum admoveantur, hoc est die Dominica Passionis, cum sacri Ecclesiae ritus acérrimos incipiunt commemorare cruciatus, quibus Divinus Redemptor nos a captivitate daemonis liberavit et in libertatem adduxit filiorum Dei. Nobis igitur in animo est hac eadem die Petrianam adire Basilicam, ibique non modo adstantium, sed — ut fore confidimus — totius etiam catholici orbis precibus supplices Nostras coniungere. Qui vero infirmitate, qui senio aliave causa adire templa praepediuntur, ii dolores angoresque suos demisso fidentique animo Deo offerant; ita quidem et una sit omnium supplicatio, unus anhelitus, unumque votum.

Omnes, una Nobiscum ubique terrarum comprecantes, a propitiatio Numine contendant, ut ex christiana morum redintogratione optata illa tandem habeatur renovatio rerum, quae veritate, iustitia caritateque conformetur. Lumen a Caelo eorum mentibus illucescat, quorum in manibus populorum sunt sortes; iidemque animadvertant pacem esse sapientiae ac iustitiae opus; cruentum vero bellum caecitatis et odii; itemque secum animo perpendant non modo se aliquando historiae fore, sed sempiterni etiam Numinis iudicio responsuros.

Qui invidiae, discordiae simultatisque semina apertis manibus serünt, qui turbas seditionesque vel tecte, vel palam conflant, qui facile commovendam plebem inanibus decipiunt pollici tationibus, intellegant tandem non vi, non tumultibus, sed rectis legibus oportere omnino ad illam devenire iustitiam, quam christiana praecepta postulent, et quae ad sanam conferat civium ordinum aequilibritatem et ad mutuam frater -

[2] Cfr. ***2 Gor.,*** 1, 3.

namque concordiam. Omnes denique, superna colhistrati luce communibus precibus impetrata, addiscant unum tantummodo posse, Divinum nempe Redemptorem, multiplices ac formidolosas hominum contentiones feliciter componere; Iesum Christum dicimus, qui via est, veritas et vita;[s] qui caeleste lumen infuscatis mentibus, qui vim supernam incertis &c iacentibus voluntatibus praebere potest. Etenim « sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur ».* Ipse unus potest res terrenas iustitia temperare, caritate componere; ac mortalium animos, fraternae necessitudinis vinculis coniunctos, ad sempiternam dirigere beatitatem.

Ad Eum igitur fidentes, amantes sperantesque nostras admoveamus preces. Respiciat Ille benignus, per Sacrum praesertim qui volvitur Annum, hominum genus tot calamitatibus pressum, tot timoribus anxium ac tot discordiarum fluctibus aestuans; respiciat benignus, et quemadmodum olim cominotas Galileae lacus undas divino suo tranquillavit nutu, ita humanis tempestatibus modum ordinemque imponat.

Iniquorum mendacia sua luce detegantur; tumescens saperborum arrogantia comprimatur; ii, qui divitiis afíluunt, ad iustitiam, ad largitatem, ad caritatem moveantur; qui autem, tenuiore, vel misera fortuna anguntur, Nazarethanam familiam respiciant, quae et ipsa sibi debuit cotidiano suo labore comparare panem; qui denique publicae rei gubernacula tractant, sibi omnes persuasum habeant nulla esse Civitatum fundamenta solidiora, quam christiana praecepta ac tutelam eccle siasticae libertatis.

Haec, Venerabiles Fratres, optamus ut christifidelibus, curis vestris demandatis, Nostro nomine proponatis, eosdem adhortantes ut una Nobiscum supplices ad Deum atqiie impensas adhibeant preces.

Ac fore confisi ut Nostris hisce adhortationibus libentes omnes volentesque respondeant, caelestium gratiarum auspi-

[8] Cfr. Io., 14, 6.

[4] ***De Iniit. Ch.,*** 1. III, e. 56, v. 5.

eem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis universis, tum gregibus unicuique vestrum concreditis Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xn mensis Martii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BHATAE MARIAE IOSBPHAE ROSSELLO, INSTITUTI FILIARUM DOMINAE NOSTRAE A MISERICORDIA FUNDATRICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Miserator Dominus, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui. solem suum oriri facit super bonos et malos, qui dat escam esurientibus, qui sua providentia cuncta creata gubernat, omni aetate viros ac mulieres suscitare suevit fide constantes, spe confidentes, caritate ferventes, quos misericordiarum suarum administros facit ad humanae consortionis omne genus aerumnas sublevandas, ad beatam aeternitatem eorum potissimum exemplo et opera animas ducendas. Quos inter profecto recensenda est Maria Iosepha Rossello, Virgo, e Tertio Ordine S. Francisci, Instituti Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia Fundatrix, quam quidem Nobis hodie licuit sanctitatis fulgore decorare. *Ea enim non modo iuventutis suae florem ad Dei aram caelesti Sponso laetabunda devovit atque dicavit, sed etiam, condita sacrarum virginum societate, cum per se, tum per sodales suas, precando, meditando, elaborandoque multitudinem paene innumeram ad salutifera Iesu Christi amplectenda praecepta advocavit, sive puellarum, quas recte institutas ad solidam virtutem eduwit, sive cuiusvis generis hominum, quorum dum corporis curabantur morbi, animi quoque infirmitates vel gravissimae tam suaviter leniebantur, ut saepenumero ad morum integritatem pedetentim allicerentur.*

In oppido vulgo *Albis sola Marina* Savonensis dioecesis ortum illa habuit e parentibus, christianis imbutis moribus, Bartholomaeo Rossello et Maria Dedone die vicesima septima Maii mensis, anno millesimo octin-

gentesimo undecimo : eodemque die lustralibus aquis abluta, eique Hieronymae Benedictae nomen inditum est. Vix septennis, miseris subvenire, aequales congregare puellas easque ad sacratissimi Marialis Bogar ii recitationem invitare devotasque docere cantiunculas, a malo retrahere, ad bonum allicere, ad sacramenta recipienda hortari, ad templum secum trahere omni ope studebat. Interim ut prima litterarum et artium muliebrium rudimenta addisceret scholam frequentavit et domum reversa quae didicerat fratres et sorores minores natu edocebat; simulque rei familiari suam dabat operam, matrem egregie adiuvans. Primum SS. Eucharistiae piissime suscepto sacramento, novum in ea exarsit in sanctorum scientia proiiciendi studium atque mundo valedicendi totamque se Deo dicandi ardens desiderium, sibique peccatum abhorrere, animarum saluti incumbere, sanctam fieri generose proposuit : in quo suscepto consilio per totam vitae suae semitam, numquam deflexo itinere, firmiter constanterque permansit. Dei potissimum amore iam a teneris annis accensa, in proximum quoque ferebatur caritate atque notatu dignum quod illa sociam claudieantem ad templum adducebat, suo brachio, toto fere corporis pondere innixam ; Iubenti autem animo pauperibus subveniebat. Orationi et meditationi, novissimorum praesertim, instabat; calvariam, a coemeterii custode obtentam, ut vivam mortis imaginem ante oculos habebat. Cupiens pro Christo pati et hominum flagitia expiare, cilicium ferebat, usque dum a suo animi moderatore vetitum sibi fuerat, et ieiuniis atque mortificationibus corpus in spiritus servitutem redigebat. Mira elucebat modestia ab omni vanitate aliena ; familiaribus indefessa laboribus et oratione iugiter quae Dei sunt cogitans, illud suum in praxim adducebat : *Mens ad Deum; manus ad laborem;* ac demum ut intimius Deo se coniungeret, Tertii Ordinis Franciscalis regulam professa est.

Hanc vivendi normam servavit etiam cum e paterna domo in quorumdam divitum coniugum savonensium familiam transiisset, qui, prole carentes, eam veluti filiam elegerunt et apud quos officiis pietatis et caritatis optime iuncta est, domesticis incumbens curis atque hero suo, chronico laboranti morbo, validam studiosamque adsistentiam praebens. Sed gravissima ibidem eam manebat tentatio in egregiam conversa victoriam. Quum enim ipsa claustrum ingredi optaret ac peteret, a suis dominis audivit sese omnium ipsorum bonorum haeredem fore, si ipsa proposito illi valedixisset ; quae tentatio gravior evasit, eo quod ob dotis defectum repulsam illa tulerat in quoddam savonense asceterium acceptionis.

Attamen Benedicta, hac repulsa minime perterrita, quae sum in discri-

mine ponebat vocationem, firma et invicta in proposito permansit et divinae Providentiae se totam commendavit et tradidit ; quae illam, quasi per ignem probatam, novae lectissimae religiosae familiae in Ecclesiae viridario parentem eligere voluit. Quum etenim ipsa reservasset Episcopum Savonensem, Augustinum De Mari, lugere in sua dioecesi neglectus et multis expositas periculis plurimas esse puellas, sese ultro obtulit Episcopo una cum aliis tribus sociis, nempe Paulina Baria et sororibus Angela et Dominica Pescio, ut puellis illis congregandis pieque instituendi» suam darent operam. Libenter Episcopus, qui postulantis bonam agnoverat voluntatem, eius proposito benedixit ; sicque Benedicta Instituti fundamenta iecit, primamque sodalitii sedem in domuncula fixit, benefaetorum ope conducta, in qua summa relucebat paupertas, maximaque vero in providentissimi Dei fiducia. Statim ac simul coiverunt primae sodales, duplices apertae sunt scholae, una pro puellis egenis, altera pro iis quae aliquam possent retributionem solvere.

Novi huius Instituti exordium, cui nomen datum est *Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia,* in diem incidit, martyrio Levitae Laurentii sacrum, anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo. Parvae familiae Angela Pescio praeficitur; Benedicta autem electa fuit Vicaria, oeconoma et tyronum magistra; attamen totum fere fundationis onus sustinere debuit, etsi in humili subditae condicione esset, qua plurimum laetabatur.

Incepto operi in paupertate summa gravibusque angustiis, quod vere Dei opus videbatur, paterno amore et benevolentia favebat Episcopum qui die vicesima secunda octobris eiusdem anni religiosa veste pias illas virgines induit eisque nomina imposuit; Benedicta vero, ob fervidam, qua erga S. Ioseph, Deiparae Virginis Sponsum, tenebatur, pietatem, suum in Mariae Iosephae nomen commutari impetravit. Biennio postj, die secunda Augusti mensis, vota simplicia obedientiae, paupertatis et castitatis singulae illae nuncupaverunt ; et sequenti anno, scilicet millesimo octingentesimo quadragesimo, aucto sodalium numero ad undecim, novae electiones peractae sunt, in quibus soror Maria Iosepha Antistitae Generalis officium suscipere coacta est; quod, unanimi sempei suffragio, pluries renovato, illa licet ob humilitatem animo reluctans., per quadraginta annos usque nempe ad obitum rite ac recte sustinuit tanto cum sui Instituti emolumento. Interim pluribus aliis novae huic familiae puellis adiunctis, parva illa religiosa familia a Dei Famula constituta, velut evangelicum granum sinapis, mirabili modo succrevit : Divina Providentia, cui unice firmissime confidebat, Maria Iosepha, novam et ampliorem domum, antiquae contiguam, crescenti Instituto com-

paravit : fundus namque a b. m. Episcopo De Mari testamento legatus fuit pro enascenti tam benefica religiosa familia, ad quem adipiscendum necesse erat iuridicam personam habere; quae a Carolo Alberto Rege per decretum, editum duodecima die Iunii mensis, anno millesimo octingentesimo quadragesimo primo, Instituto illi concessa fuit. Novus Savonensis Antistes, Alexander Riccardi e Comitibus de Netro, ob maiorum hominum contradictiones et calumnias primum de Instituto subdifiidens erat, deinde vero, cognita veritate et fundatricis praesertim vitae integritate, et ipse, sicuti suus antecessor, Institutum prediligere eiusque curam habere et illi omni ope favere studuit. Hinc novam aptiorem vestium formam constituit sodalibus, regulasque dedit, quarum haec praestituta proposita : *sororum sanctificatio, puellarum praesertim derelictarum, institutio, infirmis opitulari.*

Interim pusillus grex, favente Patre caelesti, in dies florescefoat, minime gravissimis obstantibus simultatibus et contradictionibus, quas, modo ex hominum perversiate, daemonis instigante rabie, qui tot animas sibi ereptas cernebat, modo ex subsidiorum defectu, saepe saepius per peti oportebat.

Heroicae vero Dei Famulae potissimum in benignissimi Dei providentia fiduciae, suffragante Deipara Virgine, misericordiae matre, cum huius castissimo Sponso Ioseph, tribuendum est quod opus ab illa inceptum latius in dies in religiosam et in civilem humanae consortioni® utilitatem provehere posset.

Lethifero morbo Savonae et Liguriae grassante, Sorores, Matris excitatae exemplo, a nullo ministerii genere ad infirmos diu noctuque Iuvandos, refugiebant, omnibus tantam animi fortitudinem suique contemptum mirantibus. Dein plura, tum in dioecesi tum extra, nosocomii Filiabus illis Nostrae Dominae a Misericordia administranda concredita sunt, maxima cum animarum utilitate atque temporali quoque infirmorum valetudine.

Ut autem christianae plebi, pauperibus praecipue, iuvamen porrigere posset, multa mulierum et puellarum hospitia, conlegia scholasque Dei Famula constituit; ut porro adolescentibus egenis in sortem Domini vocatis viam sterneret, mediaque necessaria ad vocationem assequendam suppeditaret, Episcopis adprobantibus, domum seu parvum semi narium aperuit, quo in opere Servae Dei apostolicus zelus quam maxime eluxit ita ut non pauci delecti iuvenes, quos ipsa alebat, in sui Instituti et Dioecesium utilitatem, in episcopale seminarium transierint.

Nec minus praebuit auxilium alteri operi, redemptionis nempe puellarum nigritarum, quas piissimi sacerdotes Ioannes Baptista Olivieri et

Blasius Verri in africanis oris venales prostantes pretio redimebant, earum plurimas Maria Iosepha in domo religiosa, licet inopia laborare^ colligere, nutrire et christianae et civilis institutionis rudimentis imbuere satagebat.

Quorum omnium operum bonum assequi Dei Famula profecto nequis* set, nisi simul contendisset ut interna sodalium disciplina et sedula regularum observantia integra et constans vigeret, et causae omnes averterentur, quibus disciplina illa et observantia relaxari et elanguescere quivisset, ipsa semper prudentia, caritate et exemplo praeeunte, matris potius quam antistitae personam induens.

Virtutes autem omnes, théologales in primis et cardinales, in ea nitere videbantur : in eadem virginalis puritas, profunda humilitas, consummata prudentia, in rebus adversis fortitudo, evangelicus paupertatis amor, ac maxime actuosa Christo lucrandi animas cura, atque praegrandis Divinae Providentiae ac Misericordiae fiducia; in ea enituisse traditur erga Iesum Christum sub velis Eucharisticis delitescentem et in Dominicam Passionem immensus ardor et erga Beatissimam Virginem Mariam eiusque castissimum Sponsum peculiaris affectus, quorum tutelae se suaque omnia concredidit.

Mirum proinde non est si sub tantae Matris moderamine, cuius virtutes omnes extollebant et virilem animi vigorem mentisque celsitudinem summae auctoritatis viri demirati sunt, Institutum ab ea conditum valde propagatum fuit : quadraginta namque intra annorum spatium, fere septuaginta suae Sodalitatis domos, sive in Italia sive in America Australi condere ipsa potuit, omnique necessaria re instruere, et Instituti finem, quem filiabus suis instantissime tradidit et inculcavit, fideliter filiae sint prosequutae, ita ut Institutum Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia ad hunc usque diem et opera praeclara ac varia et amplissimos ediderit atque attulerit fructus tum religiosae cum civili societati.

Nil ergo mirum quod in praesenti Institutum circiter tria millia Sororum, domos ducentas sexaginta tres, quarum in Italia centum sexaginta septem, in America Latina octoginta sex, in Australi America decem, enumerare potest. Quibus in domibus sodales spiritualis et corporalis misericordiae opera atque apostolicum zelum impendunt in asylis infantiae, in scholis inferioribus et superioribus, in valetudinariis, in orphanotrophiis et in paenitentiae recessibus, omnesque vires suas hauserunt et hauriunt, suffragante Deipara Virgine, Misericordiae Matre, cum castissimo eius Sponso Ioseph, a patente et perenni Divini Cordis Iesu fonte, spe tantummodo innixae divinae retributionis, uberrimum aeternae beatitatis praemium assecuturae.

Innocentissimam vitam, unice divinae gloriae et animarum saluti dicatam, Ancilla Domini Maria Iosepha, tertiaria fidelis et discipula Sancti Patriarchae Francisci Assisiensis ac mater et exemplar Filiarum Misericordiae, iam septuagenaria, pretiosa iustorum morte conclusit.

Labores gravissimi, quos constanter hilarique semper animo per totum suae vitae decursum exantlaverat, phisicae et morales aegritudines, quas saepe saepius passa erat, cardiacum in illa morbum genuerant, quo decem iam annos sese laborare per senserat. Imminentem sui dissolutionem superno illustrata lumine praescivisse traditur; quare, postremis Ecclesiae sacramentis piissime susceptis, sodalibus aliisque adstantibus supremum vale dicens, assidue iterans extrema Christi morientis verba : *In manus tuas. Domine, commendo spiritum meum,* spiritum placidissime Deo reddidit Savonae, in principe Filiarum Nostrae Dominae a Misericordia domo, in pervigilio sollemnitatis Immaculatae Conceptionis B. M. V., anno millesimo octingentesimo octogesimo.

Vixdum de Famulae Dei obitu rumor civitatem pervasit, magnus populi ad asceterium concursus factus est, ubi quatuor dies corpus mansit expositum ut fidelium pietati et desiderio satisfieret. Iusta funebria, primum in Instituti templo acta, postridie in paroeciali ecclesia S. Ioannis Baptistae, frequentissimis ex omni genere civibus adstantibus; sacrum vero cadaver in publicum coemeterium delatum fuit ibique aliquandiu mansit. Verum, percrebrescente Famulae Dei sanctitatis et miraculorum fama, eius filiae non amplius passae sunt amatissimae Matris exuvias longe a domo abesse, in qua Congregationis ipsa iecerat fundamenta, ac tot suarum virtutum specimina ediderat ; Savonam Itaque, ubi primum opportunitas adfuit, in praefatam domum Instituti principem corpus translatum est; ibique in viridario sub idonea aedicula in sarcophago marmoreo antea sepositum ; postea vero penes altare maius memoratae domui adiecti templi, post rite expletam anno millesimo nongentesimo decimo septimo recognitionem, pie est repositum.

Sanctitatis fama, qua vitam adhuc mortalem agens Dei Famula inclaruerat, ea demortua, adeo increvit ut, quam primum licuit, in Savonensis dioecesis curia auctoritate ordinaria sive super illa sanctitatis fama, sive super scriptis eiusdem Dei Servae, nec non super obedientia Urbani Octavi, Praedecessoris Nostri, decretis de cultu Servis Dei non praestando; item rogatorialis in archidioecesis Platensis curia constructi sint processus. Quibus expletis, die vicesima tertia Iulii mensis, anno millesimo nongentesimo undevicesimo a S. Rituum Congregatione decretum super scriptorum approbatione editum est; die vero vicesima tertia Iulii, anno millesimo nongentesimo vicesimo quarto, fel. rec. An-

tecessor Noster Pius Undecimus Introductionis Causae commissionem sua manu signavit et sequenti anno, die Iunii mensis tertia et vicesima praefata Rituum Congregatio Urbinianis decretis obedientiam recognovit. Mox apostolica auctoritate in praef atar um dioecesium Savonensis et Platensis curiis adornati sunt processus, de quorum iuridica vi anno Domini millesimo nongentesimo undetrigesimo favorabile votum promulgatum fuit. Suetis deinde S. Congregationis comitiis, Causae ponente cl. mem. Raphaële Carolo Cardinale Rossi, praehabitis, et generali eoram memorato Praedecessore Nostro congregatione habita, tandem die sanctissimo Patriarchae Ioseph sacra, anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto, idem Summus Pontifex sollemniter edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Servae Dei Mariae Iosephae Rossello, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Agitata dein fuit quaestio de duobus miraculis, quae, Deo auctore, per Venerabilis Servae Dei intercessionem, patrata ferebantur; eisque, district© examine praemisso, rite probatis, die decima Aprilis mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo octavo, praefatus Decessor Noster edixit : *Constare de instantánea perfectaque sanatione Sororis Mariae* a *Spiritu Sancto ab insanabili lethalique tuberculosi renali; et Sororis Paulinae Dameri a gravissimis ustionibus in abdomine et artibus inferioribus.*

Quo Decreto edito, hoc unum supererai dubium discutiendum, ad Ven. Dei Famulae Mariae Iosephae Rossello Beatificationis honores decernendos, an *tuto* ad id procedi posset. Generalibus itaque praemissis coram Pontifice Praedecessore Nostro comitiis, vicesima sexta die Maii mensis, eodem anno, idem Summus Pontifex decrevit : *Tuto procedí posse ad sollemnem Venerabilis Mariae Iosephae Rossello Beatificationem.* Cuius sollemnia in Petriana Basilica Vaticana magnifico apparata frequentique populo die sexta Novembris mensis eiusdem anni celebrata- sunt.

Paulo post, cum nova prodigia per novensilis Beatae intercessionem patrata dicerentur, quorum unum eodem evenisse ferebatur sollemnis- Beatificationis die, Causae reassumptionis commissionem Nos ipsi, die quinta Februarii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo, propria manu obsignavimus.

Super binis itaque assertis miris sanationibus, novensili suffragante Beata, obtentis, ad eius canonizationem obtinendam a dilecto Filio Fortunato Scipioni, Ordinis Fratrum Minorum, huius Causae Postulatore

gollertissimo, Apostolicae Sedis iudicio propositis, in dioecesana curia Savonensi adornati sunt Processus Apostolici.

Miraculum primum ita evenisse traditur : Rachaela Teresia Rocchi De Negri, Lucae filia, ex oppido *Montecchio,* diabetico iamdiu morbo laborans, hoc exaugescente, gravi gangrena in pede dextero adeo fuit attacta ut digitorum amputatio medicorum iudicio necessaria edicta sit. Infirma omnino renuit; e contra no vendíales preces ter effudit, ut Beata Maria Iosepha pro sanatione miraculum sibi a Deo obtineret. Beatae preces exaudivit Dominus : Rachel enim die vicesima septima februarii anno millesimo nongentesimo trigesimo nono, a gangrena diabetica pedis dexteri extemplo et perfecte sanata est. Quatuor medentes a cura, et quatuor periti ex officio in diagnosi et prognosi statuenda conveniunt ; conveniunt quoque in miraculo conclamando, praeter unum, qui semel tantum infirmam inviserat.

Miraculum alterum hoc est : Petrus Molinari, Laurentii filius, ex oppido vulgo $. *Biagio della* Cima Ventimiliensis dioecesis, mense octobri anni millesimi nongentesimi trigesimi octavi in pachymeningitis acutae haemorrhagicae morbum incidit, qui eum ad extremum vitae limen adduxit, sine ulla valetudinis recuperandae spe. Quare die quarta Novembris infirmorum oleo linitus est; interim B. Mariae Iosephae Rosselio interventionem familiares imploravere. Die sexta eiusdem mensis, dum in Vaticana Basilica Beatificationis sollemnia Mariae Iosephae celebrabantur, Petrus in eo erat ut animam exhalaret; paulo post meridiem morbus omnino disparuit, viresque paullatim in pristinum redierunt. Quam miram sanationem tum duo medentes a cura, cum tres ex afficio periti praeternaturalem esse asseverant.

Bina miracula ista in S. Rituum Congregationis comitiis ter de more soflertissimo examine expensa sunt : nempe in antepraeparatorio coetu coram cl. mem. Raphaële Carolo Cardinale Rossi, Causae Relatore, die vicesima octava Maii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto ; in praeparatorio, die secunda mensis Martii, biennio post, coram venerabilibus Fratribus Nostris sacris tuendis Ritibus praepositis ; in generali demum coram Nobis, die duodevicesima Ianuarii huius anni, venerabilis Frater Noster Clemens Cardinalis Micara, Episcopus Veliternns,, S. Rituum Congregationis Praefectus et, desideratissimo praefato Cardinale Rossi demortuo, novus Causae Relator, dubium proposuit : *An -et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.*

Ab omnibus adstantibus favorabilem prolatam sententiam laeto animo audivimus; sed, ut in tam gravi negotio effusis precibus Dei beneplacitum Nobis agnoscere daretur, supremam sententiam Nostram ad diem

tertiamdecimam proximi Februarii mensis edere statuimus ; qua die, ad Nos arcessitis praefato Patre Cardinale, Causae Ponente, venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulari Seleuciensi in Isauria et S. Rituum Congregationis a Secretis, et dilecto Filio Salvatore Natucei, Promotore Generali Fidei, Eucharistico sacrificio litato, ediximus : *Constare de duobus miraculis, Beata Maria Iosepha Rossello intercedente, a Deo patratis, nempe : de instantánea perfectaque sanatione cum Rachelis Teresiae Rocchi De Negri a gravi gangraena deuteri pedis, tum Petri Molinari a pachymeningite acuta haemorrhagica.*

Qua pronunciata sententia, nihil aliud supererai quam dubium discutere tur, quod de *Tuto* dicitur : quo quidem, sueta servata forma, discusso in generali coetu coram Nobis habito die vicesima secunda elapsi Februarii mensis, Nos paucos post dies, die nempe sexta Martii, edixi mus : *Tuto procedi posse ad sollemnem Beatae Mariae Iosephae Rossello Canonizationem.*

Ut vero in tanti momenti re sapientissimus a Praedecessoribus Nostris constitutus ordo servaretur, primum venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales in Consistorium *secretum,* quod vocatur, quartadecima die mensis Martii proxime elapsi, apud Nos coëgimus, in quo quem supra memoravimus Pater Cardinalis Clemens Micara sermonem habuit de vita et miraculis Beatarum Bartholomaeae Capitanio, Virginis, Fundatricis Instituti Sororum a Caritate, Mariae Iosephae Rossello, Virginis, Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia Fundatricis et Ioannae de Valois, Galliarum Reginae, Fundatricis Ordinis Ssmae Annutiationis B. M. V. ; et acta recensuit, quae in earumdem Beatarum Beatificationis et Canonizationis causis S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admisit et adprobavit. Qua relatione expleta, Nos Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivimus ; qui singuli suam aperuerunt sententiam. Eadem die, Consistorio secreto absoluto, publicum Consistorium habitum est, in quo dilecti Filii Aulae Consistorialis Advocati breviter singillatim retulerunt de vita, virtutibus ac miraculis praefatarum Beatarum, nec non Beatarum Vincentiae Gerosa, Virginis, alterius Sororum a Caritate Fundatricis, et Ioannae de Lestonnac, Viduae, Ordinis Filiarum B. M. V. Fundatricis, pro earum canonizatione obtinenda. Pro Beata Maria Iosepha Rossello peroravit dilectus Filius Camillus Corsanego. Advocatis autem Consistorialis Aulae nomine Nostro diserte respondit dilectus Filius Antonius Bacci, a secretis Brevium ad Principes, qui dixit Nobis quoque in votis esse stellantibus Ecclesiae caelis nova lumina adicere, quae increscentem mundi caliginem sua luce collustrent ac mentes obscuratas hominum ad veri-

tatis dirigant iter; verumtamen, ut antiquus Apostolicae Sedis mos religiosissime servaretur, non ante Nos decretoriam sententiam Nostram laturos inquit, quam in Consistorio, quod semipublicum dicitur, praefatis super causis singulis, iterum Patres Cardinales atque venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos, quotquot adfuturi sint, consilium rogaverimus; interea vero ut, supplicibus admovendis ad Deum precibus, uberior menti Nostrae lux daretur, adstantes omnes adhortari.

Mandavimus itaque ad singulos Antistites illos de Beatarum illarum vita, virtutibus et miraculis, nec non de actis in earum Causis Beatificationis et Canonizationis legitimos transmitti commentarios, ut ipsi, re plene cognita, suam valerent sententiam proferre. Die autem secunda proxime elapsi Maii mensis, in Palatii Vaticani aula consistoriali habitum est Consistorium illud semipublicum, in quo primum Nos Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales et Sacrorum Antistites, qui in Urbe aderant, breviter allocuti sumus et ab eis exquisivimus quid de propositis Causis sentirent, Nobisque singillatim significare vellent. Quum autem idem omnes sentire laeto animo didicerimus, quinque nempe Beatas illas Caelites, de quibus agebatur, plane ab eis existimare dignas, quibus sanctitatis honores decernantur, id quoque Nobis certum ac deliberatum esse inquimus. Sacra igitur eiusmodi sollemnia in Petriano templo celebranda decrevimus, et B. Mariam Iosepham Rossello sanctitudinis Ínfula decorandam statuimus hac die duodecima Iunii mensis. Adstantes autem venerabiles Fratres rogavimus, ne gravarentur interea Nostris suas iungere preces, ut omnia in Ecclesiae bonum christianaeque pietatis incrementum optime verterent. De quibus omnibus ut publicum conficerent instrumentum Caerimoniarum Apostolicarum Praefactus, loco Procuratoris Fiscalis Rev. Camerae Apostolicae, adstantibus Protonotariis Apostolicis de more mandavit.

Quum autem auspicatissima haec dies illuxit, omnes tum saecularis tum regularis cleri Ordines, Romanae Curiae Praesules et Officiales nec non Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae, Patres Cardinales, in Urbe adstantes, in Vaticanam Basilicam magnifico exornatam apparatu innumerisque fulgentem lycnis, iam pluribus stipatam fidelium millibus, quos inter plurimi Savonensis dioecesis plurimaeque Instituti Filiarum Dominae Nostrae a Misericordia-sodales, e dissitis etiam Americae Congregationis domibus, convenerunt. Nos quoque, pia sueta supplicatione praeeunte, solemni pompa eamdem Basilicam ingressi sumus, atque brevi ante altare maximum effusa prece, ad Cathedram Nostram perreximus ibique sedimus. Mox, praestita prius Nobis, ut ritus postulat, ab adstantibus Cardinalibus obedientia, venerabilis Frater Noster

Clemens Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Camillo Corsanego, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius* et *instantissime* a Nobis expostulavit ut Beatam Mariam Iosepham Rossello in Sanctorum album referre dignaremur. Nos autem, Paracliti Spiritus lumine una cum adstantibus universis prius ferventissime implorato, in Cathedra sedentes, supremus catholicae Ecclesiae Magister, hanc Canonizationis formulam sollemniter pronuncia vim us : *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio, Beatam Mariam Iosepham Rossello, Virginem, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, nempe die septima Decembris, inter Sanctas Virgines pia devotione sevoli debere. In nomine Pa* £B *tris et Fi* 33 *Iii et Spiritus Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula a Nobis pronunciata, precibus annuentes memorati Cardinalis Micara, per eumdem praefatum Aulae Consistorialis Advocatum Nobis oblatis, hasce Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique iussimus, ac dilectis Filiis Protonotariis Apostolicis ut de hac ipsa Canonizatione publicum ad perpetuam rei memoriam instrumentum construerent mandavimus.


Gratias mox ob tantum beneficium Deo Optimo Maximo una cum confertissimo Clero et Populo, gaudio exsultantibus, hymnum *Te Deum* concinentes egimus; atque, novensilis Sanctae patrocinio apud Deum primum a Nobis implorato, breve de eius elogium homilia teximus, in -qoa peculiares ipsius Sanctae Virginis ac tantae filiarum Matris virtutes praedicavimus ac, quasi propriam eius sanctitatis notam, atque veluti singulare insigne agendique normam : *manus nempe indefatiga-Mles laborent, at mentes animique continenter ad Deum assurgant;* sermonemque coëgimus his verbis, quae iterare liceat : *Habent igitur imprimis sacrae virgines, quae Instituto a S. Iosepha Rossello condito adseitae sunt, praeclarissimum in ea sanctitatis exemplar, quod imitentur; idque potissimum ab ea discant, ut, dum multiplicibus cotidie curis laboribusque implicantur ac distinentur, mentem animumque suum .-ad Caelum convertant, utpote ad unicum suae vitae praemium suaeque mortalis peregrinationis metam attingendam. Habent christiani omnes,*

qui res ab ea gestas inspiciant ac meditentur, cur tam eximias variasque virtutes intueantur, ac pro peculiari cuiusque sua condicione sibi adipiscendas diligentes volentesque proponant. Hoc a Deo impetret, enixe precamur, haec Cáeles novensilis; ita quidem ut sua tutela suoque valido patrocinio quam plurimi queant vel errore obcaecati ad veritatem, vel aberrantes ac via decepti ad rectum iter, vel tepidi neglegentesque ad christianos renovandos spiritus et ad virtutis fervorem refovendum feliciter reduci. Amen. Qua homilia prolata, apostolicam benedictionem una cum plenaria admissorum indulgentia adstantibus peramanter impertivimus. Ad altare paulo post accessimus, pontificale sacrum solemni ritu acturi; quo peracto, huius Canonizationis celebratio felicem suum habuit exitum.

Novensilis itaque Sanctae huius Mariae Iosephae Rossello Nostris hisce Litteris consecrata memoria, omnibus quae inspicienda erant rite perpensis, certa scientia, universa quae supra memoravimus apostolicae Nostrae potestatis plenitudine confirmamus, roboramus atque iterum statuimus ac decernimus universaeque Ecclesiae denunciamus. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae hisce praesentibus ostensis tribueretur. Si quis vero has Litteras definitionis, decreti, mandati, statuti et voluntatis Nostrae temerario ausu infringere vel eis contraire seu attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die duodecima Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.



© Ego **FRANCISCUS** Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis **MARCHETTI SELVAGGIANI**, Sacri Collegii Decanus.

£g Ego **EUGENIUS** Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis **TISSERANT.**

£8 Ego **CLEMENS** Episcopus Veliternus Cardinalis **MICARA.**

© Ego **IOSEPH** Episcopus Albanensis Cardinalis **PIZZARDO.**

£B Ego **BENEDICTUS** Episcopus Praenestinus Cardinalis **ALOISI MASELLA.**

£8 Ego **ADEODATUS IOANNES** Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis **PIAZZA.**

Ego **ALEXANDER** tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis **VERDE,**

Ego **ALOISIUS** tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis **LAVITRANO.**

Ego **PETRUS** tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis **FUMASONI BIONDI.**

Ego **FRIDERICUS** tituli S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis **TBDESCHINI**, Datarius.

Ego **DOMINICUS** tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis **JORIO.**

Ego **MAXIMUS** tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis **MASSIMI.**

Ego **NICOLAUS** S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis **CANALI**, Paenitentiarius Maior.

Ego **IOANNES** S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis **MERCATI.**

Ego **IOSEPH** S. Eustachii Diaconus Cardinalis **BRUNO.**

Pro S. R. B. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Decanus S. Collegii

C. Card. MICARA
8. Rituum Congr. Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Cano. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die vicesima octava Februarii, anno undecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

A. Marini, *scriptor apostolicus.*

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXVII, n.* 95. - Aloisius Trussardi, *a tabulario.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

INTERNUNTIATTTRA APOSTOLICA IN INDIA INSTITUITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. - Mentem animumque Nostrum paternum, intentissimae ergo curae in universum Christi gregem Nobis divinitus commissae, quoquoversus vertentes, Nos etiam perlonginquarum regionum hominum commodo, utilitati, incremento spirituali valde consulimus, fideique propagationi sedulo prospicimus. Quare, quum, in praesentibus rerum adiunctis, opportunum videatur Nobis in amplissimis Indiae regionibus Legationem Apostolicam erigere, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum tenore, Apostolicam iii India Internuntiaturam erigimus et constituimus, cuius sedem Delhiensi in civitate collocamus, eidemque omnia et singula oncia, privilegia atque indulta deferimus quae huiusmodi Legationum propria sunt. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; ipsique Legationi per Nos erectae nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xii mensis Iunii, anno MCMXXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

IOANNES BAPTISTA MONTINI
Subst. Secr. Status.

II

BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO ((DEL GHISALLO » COMITATUS ITALICORUM BIROTA VIATORUM CAELESTIS PATRONA PRAECIPUA CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ignis, quem Nosmet Ipsi, superiore anno, hoc ipso in Apostolico Palatio Castri Gandulphi, haud sine vehemente adstantium animi commotione, accendere benigne voluimus, non modo ante Beatae Mariae Virginis « in Ghisallo » Effigiem, in Sanctuario Madrelii oppidi, intra Mediolanensis Archidioeceseos fines, positam, sed potius, prout Nobis innotuit, birota viatorum in cordibus adhuc durat ardetque constanter. Quod quidem, lampada illam Nos libenter accendendo, ipsi vero ad Sanctuarium usque alacriter « quasi cursores » tradendo, tunc intendimus, flagrantem scilicet marialis pietatis flammam in hominum excitare cordibus ac diffundere, cum ipsa Fidei sit et ad Deum precationis signum. Nec spes, Dei auxilio, Nos fefellit. Etenim Italicorum birota viatorum Coetus, dilecto filio Hermelindo Vigano, Madrelii Parocho, praeeunte, enixas humilesque Nobis adhibuit preces, ut Deipara Virgo, quae a Ghisallo nuncupatur, quamque ipsi, nullis parcentes incommodis, montanorumque asperitatem itinerum superantes, aestuanti amore parique fide colunt, eorundem praecipua Caelestis Patrona a Nobis renuntiaretur. Nos autem, ne tanta marialis pietas congruenti careat praemio neque ipsorum in cordibus illa exstinguatur flamma quae in Madreliano Sanctuario super lampada perenniter ardet, huiusmodi vota ac preces, amplissima Dilecti Filii Nostri Alaphridi Ildefonsi Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Schuster, Mediolanensium Archiepiscopi, commendatione suffulta, excipienda perlibenti censuimus animo. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam sub titulo « dei Ghisallo » Italicorum birota viatorum Comitatus caelestem apud Deum *Patronam praecipuam* eligimus ac constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis Coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efiicaces semper exstare ac permanere; suosque plenos

atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectat seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xiii mensis Octobris, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis,

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

VENERABILIS DEI SERVA VINCENTIA MARIA LOPEZ VICUÑA, VIRGO, INSTITUTI FILIARUM MARIAE IMMACULATAE PRO PUELLIS FAMULATUI ADDICTIS FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae a veridico Vate, cuius mens divino instinctu concitata, ut Sponsa « amictu variegato induta » *(Ps.* XLIV, 14) sacro celebratur carmine, miris haec pulchritudinibus affluens Mater Ecclesia omni aevo rutilo sanctitatis enituit ornamento coruscatque in praesens. Haec eius laus, hoc decus eximium, quod nullae sint res aftiictae nullique casus adversi quibus non consulat inexhaustae misericordiae caelestis eadem indefatigata sequestra : parentibus orbos sustentat, fame cruciatos alit, aegrotis praesto est, senio confectos recipit, bello concussos relevat, labantes confirmat, erudit indoctos. Ne earum quidem puellarum defuit commodo quae, tenuiore actae fortuna, ut famulae victum quaeritant atque, a patriis focis plerumque avulsae ac ministerii mutationibus obnoxiae, in angustiis et animi et corporis haud raro versantur ; scilicet excitavit « mulierem fortem », quae id persequeretur ut per sodalitatem, ad hoc ipsum institutam, iisdem Dominici gregis opitulantur ovibus ea quidem caritate, quae, ut ait Sanctus Augustinus, « ad alios se inclinat, ad alios se erigit, aliis blanda, aliis severa, nulli inimica, omnibus mater» *(De catech. rud.,* XV). Eam heroida, Vincentiam Mariam Lopez Vicuña, cui Beatorum Caelitum honores tribuere statuimus, Hi-

spanica tellus, sanctae sobolis genetrix fecunda, procreavit. Parentes, Iosephus Maria Lopez, causarum actor, et Nicolina Vicuña, ex familia vetere et illustri ortum ducentes atque fastum stirpis pietate virtutumque exercitatione condecorantes, eam, die vicesima secunda mensis Martii, anno millesimo octingentesimo quadragesimo septimo, in oppido *Gaseante* primas ingressam mundi oras et postridie de sacro fonte renatam, Deo potius quam sibi pepererunt. Puellula, quippe quae non solum specie pergrata esset sed et moribus suavissimis atque animo ad res divinas maxime proclivi, ab ineunte aetate magnum quidpiam de se portendit; imagines sacras candido infantium more colere, Ecclesias adire, Iesum in Eucharistiae Sacramento praesentem adorare Eiusque repetere Passionem, Virginem Deiparam rosario venerari, eius deliciae fuerunt a teneris unguiculis. Die vicesima mensis Maii anno supra millesimum octingentesimo quinquagesimo primo, ab Episcopo Tirasonensi sacro chrismate inuncta, maiores collegit vires ad subsequenda Christi fulgida vexilla. Quae esset quinque annos nata, in pauperes solebat iam stipem erogare eisque victum impertire, aequales quoque domum arcessere ut eis christianae institutionis traderet praecepta, lingua incerta quidem, sed ingenio alacri et fervido, adeo ut illud Domini Nostri caderet ad rem : « Confìteor tibi, Pater, Domine caeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis» *(Matth.* XI, 25). Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, Vincentia Maria una cum parentibus primum Matritum sese contulit, quae urbs futura erat quasi theatrum virtutum eius, et in qua matertera, nomine Eulalia, Emmanuelis De Riega, viri amplissimi, uxor, tota erat in pietatis caritatisque officiis. Haec operam socians cum fratre Emmanuele Vicuña, qui ipse tam probus erat quam qui maxime, ex institutis sodalitatis a doctrina christiana, cui uterque erat ascriptus, egenis in Nosocomio Maiore Matritensi decumbentibus levamen adhibebat et animae et corpori accommodum. Eos cum saepius inviseret, miseram cognovit sortem puellarum complurium, quae, in domibus privatis ancillatae, morbo ibi languebant; iamvero, propter aegritudinem ab heris dimissae, haud raro, recuperata etiam valetudine, in pristinum locum redire nequibant, ita ut, opere carentes atque ad pauperiem redactae, per compita vagarentur, in tot tantaque pericula sese inferentes. Pia mulier, ut hisce malis mederetur, die octava mensis Decembris anno millesimo octingentesimo quinquagesimo tertio, Deum vehementius precata, aedes conduxit ubi eius modi fámulas inopia laborantes hospitio excepit; quas postea, eadem hac sede propter loci angustias alio translata, fidei commisit Sororum Carmelitarum a Caritate. Haec

initia operis ancillis tuendis, quo, a Serva Dei aucto et amplificato, et honor Ecclesiae adiunctus est et nomen illius affatim ornatum. Vincentia puellas in ea domo degentes convenire eisque comiter adesse atque officiose iam tum gestiebat. Caelestis epuli anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo primum particeps effecta eoque exinde saepe enutrita, atque in virtutum palaestra artiumque disciplina usque profitens, adolevit. Condicionem uxor iam honestissimam et perinsignem, suisque optatam admodum, aspernata hac una sententia : « neque Regi nubam neque Sancto », statim, confessarii permissu voto castitatis nuncupato, virginale decus Christo Sponso consecravit, cuius amore se noverat praeventam. Nullam partem deserens munerum sacrorum — nomen enim iam antea dederat piis quibusdam consociationibus — divinum consilium de via vitae sibi deligenda enixis studet precibus pernoscere. Cuius rei ergo in solitudinem monasterii Matritensis a Visitatione secedit, ubi inter spirituales exercitationes meditationesque dubitatio utrum in occultum se abdat claustrum an, in propatulo Domino inserviens, religiosam instituat sodalitatem ad ancillas sublevandas, divino quodam lumine aufertur : « praevaluerunt adulescentulae », ait ad alteram materteram, eius coenobii sanctimonialem. Accessit igitur ad famularum domum, quam Sorores Carmelitae a Caritate non amplius administraverunt cuiusque moderationem praesens tempus desiderabat maxime. Artiorem quandam vivendi rationem secuta, Vincentia Maria materno cum amore atque indulgentia puellas eo admittebat, alias revocans ad bonam frugem, a vitiorum caeno alias defendens, aliis opem ferens et salutem neque detrectans quominus ipsa sordida earum corpora detergerei. Quemadmodum autem auro solet obrussa adhiberi, ut eius bonitas probetur, ita et Servae Dei virtus animi ac fortitudo sunt temptatae : namque, pater aegre ferens filiae inceptum, eam hoc desistere iussit, Matrito discedere domumque reverti et alumnas, quae in magnum numerum excreverant, derelinquere; cui mandato, qua erat mansuetudine, illico obtemperavit. Verum, cum gravi correpta esset morbo, parentes in sententiam medici tandem concesserunt suadentis ut alio ipsique salubriore uteretur caelo. Itaque, compedibus soluta et opus divinitus commissum denuo aggressa, Vincentia Maria regulam perseripsit, copia ac prudentia refertam, qua in re optimorum consiliorum habuit auctorem Patrem Hidalgo, e Societate Iesu Sacerdotem. Die undecima mensis Iunii, in festo Sanctissimae Trinitatis, anno millesimo octingentesimo septuagesimo sexto, Cyriacus Maria Sancha y Hervas, Auxiliaris Episcopus Praesulis Toletani atque operis fautor apprime studiosus, Ancillam Dei duasque virgines sacra amicuit veste. Ita con-

ditum Institutum Filiarum Mariae Immaculatae pro puellis famulatui addictis : qui surculus positus erat tener et exilis, iam ramis felicibus exivit in caelum ut arbor patula ac procera. Biennium tirocinii emensa, Vincentia Maria una cum sociis die decima sexta mensis Augusti, anno supra millesimum octingentesimo septuagesimo octavo, vota religiosa professa, sodalitatis leges tam diligenter omni tempore servabat ut filiabus esset vitae magistra et perfectrix ; quin immo eo est progressa ut voto se obstringeret id iugiter agendi quod sanctius esset arbitrata. Valetudo saepe incommoda, fortuna adversa, iactura rerum, mortes necessariorum et sodalium, con vicia oblocutorum non potuerunt infringere animum eius quae soli Deo fidebat neque retardare impetum caritatis, quae dedita opera aliorum se devoverat saluti. Colligens iam fructus gloriosi laboris, Institutum, cuius erat moderatrix suprema, in Hispaniae vidit provehi regiones atque, anno millesimo octingentesimo octogesimo octavo, a Sede Apostolica probari. Negotiorum obruta magnitudine atque morbo aspero absumpta, quadraginta quattuor annos nata, Domino Iesu ac Sanctis Maria et Ioseph blande eompellatis, Matriti die vicesima sexta mensis Decembris, anno millesimo octingentesimo nonagésimo, pia morte clausit lumina verecunda, quae Deum in aevum erat aspectura. Vita functae parentatum est, magna vi hominum adstante, atque exanime corpus in Sancti Iusti coemeterio conditum; unde post tres annos in principem Instituti domum Matritensem est translatum et excultiore sepulcro con tectum. Sodalitas autem quasi passis velis in plures Europae partes iter tetendit atque etiam ad transmarinas appulit oras. Igitur Famulae Dei summissi animi moderatio, numquam laesae virginitatis gloria, voluntarii cruciatus, officiorum omnium diligentia, tolerantia maiorum, praecipuus demum amor iuventutis minus fortunatae, eam ita commendant, ut aliena hac aetate, qua impietas, turpitudo, privatae utilitatis studium saeculum paene oppleverunt, homines novum habeant exemplum in cuius sese forment mores et virtutes. Percrebescentem autem eius famam sanctimoniae caelestibus signis Deus visus est confirmare. Quapropter Causa de Vincentia Maria Lopez Vicuña Beatorum agminibus palam annumeranda penes Sacram Rituum Congregationem acta est, atque, decreto die duodevicesimo mensis Iulii anni millesimi nongentesimi duodetrigesimi expedito, eiusdem introductionis Commissio a fel. mem. Pio Pp. XI, Decessore Nostro, obsignata. Apostolicis deinde Inquisitionibus iuxta memorati fori instituta perfectis, de heroico gradu virtutum theologalium atque cardinalium Famulae Dei coeptum est disceptari; quas, omnibus rebus expensis seduloque perspectis, heroicum ipsum attigisse fastigium Nos, edito

decreto die vicesima prima mensis Martii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, ediximus. Agitata postea quaestione de duobus miraculis, quae, Venerabili Serva Dei Vincentia Maria Lopez Vicuña intercedente, a Deo ferebantur patrata, atque diligenter iisdem exquisitis atque pertractatis, de utroque pronuntiavimus constare, lato decreto die undecima mensis Decembris, proximo anno millesimo nongentesimo undequinquagesimo. Illud tantum superfuit excutiendum, utrum Famula Dei inter Beatos Caelites *tuto* foret recensenda; quod quidem dubium a Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Ponente seu Relatore, in Generali Congregatione, die tertia decima mensis Decembris, eodem anno, coram Nobis habita, est propositum et omnes, cum Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum, qui aderant, Praelati Officiales Patresque Consultores, cunctis sententiis id ipsum affirmarunt. Nos autem in tanto negotio mentem distulimus aperire, ut, Deum vehementius adprecati, ad eam sententiam ferendam caeleste adiumentum Nobis pararemus. Quod cum impense fecissemus, tandem die duodecima mensis Ianuarii huiusce anni, postquam Divina Hostia litavimus, accitis Vene rabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Relatore, necnon Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo ac Supremi Consilii sacris Ritibus praepositi Viro a secretis, et dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Servae Dei Vincentiae Mariae Lopez Vicuña Beatificationem *tuto* procedi posse declaravimus. Quae cum ita sint, Nos, totius Familiae Sororum Mariae Immaculatae pro puellis famulatui addictis vota implentes, harum Litterarum vi atque Apostolica auctoritate Nostra, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Vincentia Maria Lopez Vicuña *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beatae Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illa quotannis recitetur Officium de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesibus Tirasonensi, cuius intra fines Beata ipsa orta est, et Matritensi, cuius in urbe episcopali

supremum diem obiit; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Institutum Sororum Mariae Immaculatae pro puellis famulatui addictis utitur, ab omnibus Christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a Sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus Beatae eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Vincentiae Mariae Lopez Vicuña, servatis servandis, supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xix mensis Februarii, Dominica in Quinquagesima, anno MCML, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

IV

VENERABILIS DEI SERVUS, DOMINICUS SAVIO, ADULESCENS LAICUS, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quoniam « Deus », ut ait Sanctus Augustinus, « ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in parvis » *(De Giv. Dei,* 1. IX, c. XXII), Ecclesia sanctitatis gloria omni aevo ita excellit, ut, quam aetas matura seu exacta invictae fortitudinis vel memorabilium rerum gestarum vel summi ingenii laude perornet, verecundae iuventutis floribus amoenis atque redolentibus eadem haud setius decoretur. Neque absque mirabili Divinae Providentiae consilio contigit, ut haec Itala tellus, virtutis rectique cultus inclyta altrix, intemeratae eiusmodi sobolis perenni

pulchritudine maxime f meretur; missis enim aliis, Sanctus Aloisius Gonzaga, eximius Societatis Iesu sodalis, imprimis eam illustravit, qui adulescentibus, praesertim in litteris versantibus, exemplum morum integritatis ac praecipuus apud Deum Patronus datus est, exstitit ibi Sanctus Gabriel a Virgine Perdolente, e Clericis Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi iuvenis ille et pietate et continentia summe commendatus ; nunc vero antiquae huic matri novus honor adiungitur a blando suavique e laicorum ordine puero, Dominico Savio, quem Beatorum fastis statuimus ascribere. Quod quidem facere praegestimus, ut iniquis hisce temporibus, quibus vix dici possit, quanta labes iuvenum honestati, quanta religionis eorum incolumitati cotidie ruina impendeat, radians eis quasi lumen proponamus, quod intuentes in quodque defixi, ad ipsius similitudinem vitam componant. « Stupeant viri, non desperent parvuli » *(Off. S. Agnetis) :* neque enim infrmgatur spes eorum neque languescat industria, qui ab innocentia Famuli Dei se longius videant abesse ; habent, quem sequantur, paenitentem. Ab eo etiam ducant sincerum illum modum Deo supplicandi Almanaque colendi Deiparam ac praesentem diligentiam salutis alienae. Igitur huius praeclari adulescentuli vita tam brevis, utpote quindecim annorum finibus circumscripta, et iam ad maturitatem perducta, quae esset vix inchoata, tribus his continetur : castimonia, pietate, studio animarum. In agri Taurinensis pago, qui *Riva di Ohieri* appellatur, die secunda mensis Aprilis, anno millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, Dominicus humili loco natus est eademque die lustrali perfusus aqua. Parentes, Carolus et Birgitta Gajato, qui, multis liberis aucti tenui que laborantes fortuna, domesticis tamen virtutibus magnopere eminebant, pueruli animum ab ineunte eius aetate ad religionem .informaban t atque pietatem. Quod non gravatim faciebant, cum esset Dominicus mitissima indole ingenioque perquam alacri atque vehementiore quodam impetu ferretur in Deum, cui statas cotidie preces adhibere matris didicerat in sinu. Vix septem annos natus, perraro quidem exemplo pro illa tempestate, optimus pusio caelesti convivio primum interfuit incredibili quodam animi ardore atque studio. Quin, Deo plane sese devovens, tum constituit se malle mori quam culpam admittere, ad cuius rationis normam reapse breviculam direxit vitam, ita sane ut non perperam illud in eum transferas : « Infantia quidem computabatur in annis, sed erat senectus mentis immensa » *(Off. S. Agnetis).* E pago *Murialdo,* in quo parentes sedem collocaverant, cotidie sex milia amplius passuum itabat Castrumnovum in ludum litterarium, ubi cognitione et scientia ac dulcedine morum atque suavitate, si puerilem species aeta-

tem, ita praestabat ut qui maxime. Cum Sanctus Ioannes Bosco, probatissimus ille iuventutis pater et praeceptor, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, prope eum locum rusticaretur, huius se fidei ac tutelae credidit Dominicus eo animo, ut ipsum haberet principem ac magistrum ad ineundam atque conficiendam viam sanctitatis. Itaque in Taurinense ephebeum seu *oratorium,* a Sancto Francisco Salesio nuncupatum, se recepit, cui praeerat idem ille sacerdos, virtute ac prudentia admodum spectatus; ad quem se applicans, in rebus divinis atque studiis mirum quantum profecerit, religioni habens praepositi mandata exsequi sollerter et ab eius consiliis ne transversum quidem digitum discedere. Qui corporis sensus a prima aetatula coërcuisset, is, cum adu lesceret, animi motus sedulius etiam comprimere consueverat, ac praesertim oculos, in mores sese formans nancti Aloisii, ita cohibere, ut numquam eos minus modeste eircumf erret. Castum decus usque retinens, eos solebat condiscipulos morari, quos audiret cum verba dicerent a verecundia absona vel tantillum. Huiusce autem angelicae virtutis candidum quasi atque fragrans lilium voluntariis castigationibus tutari numquam praetermittens, eorpuseulum tenellum ieiuniis aliisque cruciatibus, quantum quidem sineret moderator, macerabat studiose. Plurimum temporis insumebat, ut Domino Iesu, in Augusto Sacramento praesenti, inflammatum panderet animum, Eoque cotidie, praeter communem eis temporibus consuetudinem, ac si mira quadam eaque arcana exerceretur fame, vescebatur. Beatissimam Virginem Mariam toto pectore ita diligebat, ut multus esset in precibus fundendis ad eius altare nihilque omitteret inexpertum, quod in eius laudem cedere foret arbitratus. Ceterum lectissimus hic puer, quamvis caelo potius quam terrae natus esse videretur, non tamen is erat qui tempore lúdicro ab honestis oblectamentis abhorreret, cum, Sancto Ioanne Bosco magistro usus, perdidicisset Domino serviendum esse in laetitia. Impenso studio atque caritate sodales sibi devinciens, annitebatur, ut devios ad bonam frugem revocaret, desides adigeret ad Sacramenta suscipienda, inter altercantes pacem conciliaret, condocefaceret rudiores. Eorum prospiciens saluti atque cominodo, consociationem a Virgine Immaculata instituit, cuius esset segniores ac minus faciles ofiicio et diligentia ad virtutem concitare atque permovere. Piissimi adulescentuli animum, licet vitam agentis umbratilem, occupavit etiam gloriosum illud Ecclesiae molimen atque nisus, quo fines Regni Dei propagentur latius, adeo ut ipse, vehementius et sagacius quam pro tam viridi aetate, Angliae percuperet ad veram fidem conversionem. Supernis muneribus ac donis cumulatus, divino instinctu interdum est perculsus et in caelestium rerum contem-

plationem raptus, ut gravissimus auctor, Sanctus Ioannes Bosco, testatus est, qui et altiorem sapientiam in alumno impubi elucentem perspectam habuit atque exploratam. Dulcissimus hic puer et iucundus admodum, qui non intra septa monasterii, sed in perfrequenti.multitudine adulescentulorum, e quibus complures satis illiberales erant atque rustici, utpote prognati e vulgo ac turba, sanctitudinis attigit fastigium, ad sacerdotium contendit, haud dubie praemonstrans, qualis futurus fuerit sacrorum administer ; tamen, antequam curreret, quasi praemium est consecutus, antequam dimicaret, rettulit palmam. Anno enim millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, gravi implicitus morbo, e medicorum consilio Mondonium, quo parentes demigrarant, inter sodales collacrimantes est profectus, instantis diei supremi nequaquam inscius. Hilari vultu laetoque animo Domini adventum praestolatus, novissima sumpsit Ecclesiae Sacramenta. Die nona mensis Martii, anno quem diximus, nocte appetente, iussit, e vivis iam iam excessurus, sup' plicationes pro morientibus fieri ; deinde, postquam oculos in dulcem somnum paululum declinavit, subito evigilans, clamavit : « Vale, mi pater! — Oh! quam mira video»! — et evolavit angelus ad angelos. Casta membra eodem in pago tumulo sunt condita, cui populus solebat venerabundus oscula infigere, atque quinquaginta fere annis post cultiore contecta sepulcro. Denique, anno supra millesimum nongentesimo quarto decimo, Augustam Taurinorum in Templum Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis sunt translata, ut, qui vivens Salesianorum Familiae haesisset, is et mortuus, foret ei coniunctus. Cum esset hic inviolatae venustatis flosculus intra paradisi semper amoena virentia transpositus, gratissimum tamen eins odorem servavit mundus; quin¿ Famuli Dei nomen, praesertim apud Catholicam iuventutem, tantopere inclaruit eiusque fama virtutum, quam etiam Deus prodigiis visus est comprobare, ita vulgabatur per orbem, ut, post inquisitiones potestate ordinaria peractas, Causa de Beatorum Caelitum honoribus Dominico Savio tribuendis penes Sacram Rituum Congregationem coepta sit agitari; cuius introductionis Commissionem Pius Pp. X, fel. rec, Decessor Noster, die undecima mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo quarto decimo, sua signavit manu. Omnibus ergo eis absolutis, quae in huiuscemodi iudicio fuerant pertractanda, inita est disceptatio de virtutibus sive theologalibus sive cardinalibus Servi Dei, quas, post subtiles investigationes probationesque iterataque Comitia, ad gradum heroicum pervenisse fel. mem. Pius Pp. XI, item Decessor Noster, edito decreto die nona mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo trigesimo lertio, edixit. Cum deinde quaereretur de miraculis, quae, Venerabili

Famulo Dei Dominico Savio intercedente, a Deo ferebantur patrata ac de quibus, magna sane cognitione dignis, in Congregationibus Antepraeparatoria, Praeparatoria et denique Generali, die sexta mensis Decembris, proximo anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono, coram Nobis habita, actum est, Nos, omnibus rebus perpensis, de duobus, lato decreto die undecima mensis Decembris, eodem anno, pronuntiavimus constare. Una superfuit disquisitio, an Servus Dei inter Beatos Caelites *tuto* foret recensendus; quod quidem dubium propositum est a Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Ponente seu Relatore, in Generali Conventu, die tertia decima mensis Decembris, eodem quem memoravimus, anno, coram Nobis celebrato. Omnes autem, qui aderant, cum Purpurati Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi tum Praelati Officiales Patresque Consultores cunctis suffragiis id ipsum affirmaverunt. Nos tamen pro rei magnitudine mentem distulimus aperire, quo ad tam gravem ferendam sententiam supernum adiumentum, enixis precibus ad Deum admotis, satius Nobis obveniret. Itaque, die tandem duodecima mensis Ianuarii, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, postquam sacris pie sumus operati, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Relatore, necnon Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo et Supremi Consilii Sacris Ritibus praepositi Viro a secretis, atque dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generalidad Venerabilis Dei Servi Dominici Savio Beatificationem *tuto* procedi posse declaravimus. Quae cum ita sint, vota Societatis Sancti Fran eisei Salesii ac Christifidelium, praesertim Italiae, implentes, harum Litterarum vi atque auctoritate Nostra Apostolica, facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Servus Dominicus Savio, adulescens laicus, *Beati* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beati Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illo quotannis recitetur Officium de Communi Confessoris non Pontificis cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in Taurinensi dioecesi, intra cuius fines Beatus ipse ortus est, et Astensi, in qua diem

obiit supremum; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Societas Sancti Francisci Salesii utitur, ab omnibus Christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet, a Sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus Beati eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dominici Savio, servatis servandis, supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in iudicialibus etiam disceptationibus eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die v mensis Martii, Dominica secunda in Quadragesima, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRTJGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

ADHORTATIO APOSTOLICA

AD BXCMOS ORDINARIOS ITALIAE : DE ACTIONE CATHOLICA

PIUS PP. XII

Venerabili Fratelli, salute e Apostolica Benedizione. — I felici sviluppi che l'Azione Cattolica ha avuto in Italia, per ciò stesso che sono a Noi di soddisfazione e di conforto, sempre più mantengono desta la Nostra attenzione su di essa e vivo il desiderio che il suo rendimento sia pieno e ben risponda in tutto alle Nostre e alle comuni speranze.

Scrivendone a voi, Venerabili Fratelli, che per il vostro ufficio ne vigilate con amore le vicende, Ci piace ancora una volta rilevare come la bene ordinata collaborazione dei laici all'apostolato gerarchico, che,

fino dall'età apostolica, è sempre stata tra le tradizioni più costanti c feconde della Chiesa, si è rivelata di una particolare ed urgente necessità in questi ultimi tempi, ed è quindi da promuovere in tutti i modi.

L'esperienza, pertanto, ha messo in evidenza la necessità che la vita ecclesiastica debba giovarsi di tutte le energie e le risorse di cui può disporre; e del resto ha dato già ripetuta e buona testimonianza al contributo prezioso recato dai laici al Clero, nelle sue attività dirette a conservare nel nostro tempo il patrimonio spirituale ereditato dalle generazioni passate, e a diffondere, con metodi atti alle presenti contingenze, fra i singoli individui e fra i popoli, la luce del Vangelo.

Questo concetto della funzione subordinata e complementare d'una schiera eletta di fedeli provati e generosi all'azione del Clero, a cui spetta, oggi più che in passato, ormai sproporzionato al bisogno per il suo numero e le sue forze, la missione di ricondurre a Cristo il mondo moderno, Ci pare tuttora, anzi principalmente, meritevole di nuova e feconda riflessione.

L'attuazione di tale principio trae con sè lo studio d'un altro della massima importanza pratica, quello cioè dell'organizzazione. L'innesto infatti della collaborazione dei laici nell'apostolato gerarchico non può essere effettuato e benefico se non con grande sollecitudine di evitare ogni turbamento nella disciplina ecclesiastica, e di accrescerne invece l'ordine, la forza, l'estensione; il che comporta da un lato un senso vivo e rispettoso dell'autorità della Chiesa, dall'altro un ordinamento razionale delle file dei laici che accorrono sotto i pacifici vessilli della spirituale milizia dell'apostolato cristiano.

Mentre così l'Azione Cattolica ha bene lavorato a formare nella coscienza dei fedeli la persuasione e l'impulso a collaborare coi loro sacerdoti, non ha mancato di organizzarli in associazioni nazionali e internazionali, e ha tracciato loro programmi adattati alle circostanze, creando in tal modo, nell'unità degli intenti e nella impostazione metodica del lavoro, una programmatica e sempre vigile collaborazione del laicato alle linee direttive che la Gerarchia, assistita dallo Spirito Santo, imparte secondo le necessità dei tempi ai fedeli commessi alle sue cure.

Tale specie di associazione che forma, si potrebbe dire, il tessuto stesso dell'Azione Cattolica, viene felicemente ad incontrarsi con le esigenze del tempo presente, nel quale la solidarietà e la cooperazione degli intenti e dell'azione hanno così larga applicazione e sembrano offrire uno degli aspetti più caratteristici e costituire una delle forze più considerevoli della vita moderna. Se bene si osserva, si vedrà che

gli stessi avversari della Chiesa si valgono assai della organizzazione con metodi nuovi e arditi, facendo sovente di essa l'arma più abile per stringere a sè e per sovvertire le masse popolari. I cattolici devono comprendere questo complesso e profondo fenomeno della storia presente, e devono imparare a sempre meglio servirsi dei vantaggi della vita associata. Certamente tale sforzo dei cattolici è ben diverso dà quello burocratico o puramente utilitario ed esteriore di chi aspira unicamente a fortunato successo nel campo degli interessi terreni. Esso poi è assolutamente diverso nello spirito e nelle forme da quel coordinamento di forze quasi meccanico imposto con la prepotenza o il timore, il quale, spegnendo ogni fiamma di libertà e di impulso personale, rende gli uomini incapaci di vera umana grandezza e di spirituale progresso.

L'Azione Cattolica trova invece la fonte e la ragione della sua virtù organizzatrice in Gesù Cristo e nel Suo amore : nel nome del Redentore ognuno, anche il socio più umile, sente la dignità di essere membro del Suo Corpo Mistico e lavora con silenziosa fiducia al suo sviluppo e alle sue spirituali conquiste.

Perciò, se l'Azione Cattolica, quasi interprete e seguace del peculiare genio di organizzazione del nostro tempo, si presenta e si afferma come un'associazione saldamente e tecnicamente compaginata, altro spirito, altra forma e altra forza distinguono le sue file da quelle delle associazioni profane, animata com'è da un profondo rispetto per la persona umana, e sollecita sempre come dev'essere di fare amici e fratelli i suoi soci, lieti dell'obbedienza loro richiesta e della libertà loro concessa nel posto a ciascuno assegnato dall'organizzazione.

In vista di questo nuovo e sperato accrescimento delle forze operanti nella Chiesa Noi crediamo dovere del Nostro apostolico ministero d'invitare ancora una volta con paterna insistenza il Clero in cura d'anime, affinchè in tutte le parrocchie, da quelle sperdute nelle campagne o sui monti, a quelle dei grandi centri urbani, si stabiliscano le quattro Associazioni fondamentali dell'Azione Cattolica Italiana : la Gioventù Maschile e la Gioventù Femminile, l'Unione degli Uomini e l'Unione delle Donne.

A questo Nostro desiderio aggiungiamo l'altro che non manchino, in alcuna Diocesi, le Associazioni Universitarie e i due Movimenti dei Laureati e dei Maestri.

Nè pensiamo che si possa trovare motivo sufficiente a scusare la mancanza di tali organizzazioni nel fatto della modesta proporzione di territorio o di popolazione che caratterizza alcune Diocesi e non poche

parrocchie d'Italia. Nelle sante conquiste della Chiesa il numero non è l'elemento determinante : esso invece va cercato nell'ardore della carità e nella sicurezza con cui si crede all'efficacia della fedele obbedienza e della grazia divina. Nell'armonia mirabile delle forze cattoliche anche i pochissimi soci d'una piccola parrocchia recheranno senza dubbio un contributo benefico, quando le loro attività, pure modeste e limitate, siano frutto di preparazione illuminata e fervorosa, di filiale disciplina verso la Gerarchia, di generosa e interiore pietà, di autentico spirito di sacrificio.

E mentre essi arricchiranno di meriti il tesoro della Chiesa Universale, l'esempio della loro vita otterrà sui fedeli più tiepidi ed anche sui più lontani frutti di inattesa efficacia; oggi, infatti, più che mai gli uomini si lasciano persuadere, invece che dalle parole, dagli esempi concreti ed evidenti di coloro che vivono vicino a Gesù Cristo.

Questa Esortazione, Venerabili Fratelli, è rivolta, come vedete, principalmente al Nostro diletto Clero, che vogliamo così confortare nell'ardua sua missione pastorale, quale è reclamata dalle presenti necessità; ma non meno urgente e paterna essa è diretta ai laici stessi, che desideriamo di vedere raccolti in numero sempre crescente intorno ai loro Pastori : la fiducia che la Chiesa loro accorda, chiamandoli a fianco della Gerarchia per sostenerne e dilatarne l'opera apostolica, li renda pronti alla docilità, alla sincerità, alla devozione verso i loro Pastori, accresca nei loro animi il rispetto e l'amore per essi, e li sostenga nei disagi dell'azione in umile e perseverante energia spirituale,, ravvivata dalla sicurezza che le promesse fatte da Cristo alla sua Chiesa avranno ragione delle difficoltà e delle avversità contrastanti.

Con questi sensi Noi esprimiamo il voto che l'Azione Cattolica Italiana, dopo le gravi preoccupazioni della guerra mondiale, abbia da questa Nostra parola un nuovo vigoroso impulso ; e mentre confidiamo che voi, Venerabili Fratelli, non mancherete di fare vostre e di secondare con ogni mezzo che è in vostro potere le Nostre speranze, impartiamo con effusione di cuore a voi stessi, al diletto Clero, ai Dirigenti e ai singoli membri dell'Azione Cattolica, nonché ai fedeli tutti commessi alle vostre sollecite cure pastorali, auspice della larga divina assistenza, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, 25 Gennaio 1950, nella festa della conversione di San Paolo Apostolo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

Participantibus Conventui internationali scriptorum ephemeridum catholicarum, Romae habito. *

L'importance de la Presse catholique, que vous représentez, très chers fils, en ce congrès international, et la gravité des problèmes qui se proposent à votre étude, Nous ont amené à déroger, pour vous recevoir, à la règle que Nous avons dû, à Notre vif regret, Nous imposer, de limiter, de suspendre même le plus souvent, Nos discours et Nos allocutions au cours de l'Année Sainte. Mais, cette fois, Nous ne pouvions manquer d'apporter l'appoint de Notre parole au grand objet de votre réunion. Il est vaste autant que suggestif : la Presse catholique au service de la vérité, de la justice et de la paix.

C'est en considération d'un des aspects capitaux de ce service que Nous jugeons opportun de livrer à vos méditations quelques principes fondamentaux concernant le rôle de la Presse catholique vis-à-vis de l'opinion publique. Le fait est qu'elle se trouve au premier plan de ceux qui contribuent à sa formation et à sa diffusion.

L'opinion publique est, en effet, l'apanage de toute société normale composée d'hommes qui, conscients de leur conduite personnelle et sociale, sont intimement engagés dans la communauté dont ils sont les membres. Elle est partout, en fin de compte, l'écho naturel, la résonance commune, plus ou moins spontanée, des événements et de la situation actuelle dans leurs esprits et dans leurs jugements.

Là où n'apparaîtrait aucune manifestation de l'opinion publique, là surtout où il en faudrait constater la réelle inexistence : par quelque raison que s'explique son mutisme ou son absence, on devrait voir un vice, une infirmité, une maladie de la vie sociale.

Laissons à part, évidemment, le cas où l'opinion publique se tait dans un monde d'où même la juste liberté est bannie et où, seule, l'opinion des partis au pouvoir, l'opinion des chefs ou des dictateurs est admise à faire entendre sa voix. Etouffer celle des citoyens, la réduire au silence forcé, est, aux yeux de tout chrétien, un attentat au droit naturel de l'homme, une violation de l'ordre du monde tel que Dieu l'a établi.

Qui ne devine les angoisses, le désarroi moral où un tel état de choses jette la conscience des hommes de la Presse? En vérité Nous avions

* Die 17 Februarii mensis a. 1950.

espéré que de trop dures expériences du passé auraient du moins servi de leçon pour libérer définitivement la société d'une si scandaleuse tyrannie et mettre fin à un outrage si humiliant pour les journalistes et pour leurs lecteurs. Oui, non moins vivement que vous, Nous l'avions espéré et Notre déception n'est pas moins amère que la vôtre.

Situation lamentable! Tout aussi déplorable et, peut-être, plus funeste encore par ses conséquences, est celle des peuples où l'opinion publique reste muette, non parce qu'elle est bâillonnée par une force extérieure, mais parce que font défaut ses présupposés intérieurs, qui doivent se trouver dans les hommes vivant en communauté.

Nous reconnaissions, dans l'opinion publique, un écho naturel, une résonance commune, plus ou moins spontanée, des faits et des circonstances dans l'esprit et les jugements des personnes qui se sentent responsables et étroitement liées au sort de leur communauté. Nos paroles indiquent presque autant de raisons, pour lesquelles l'opinion publique se forme et s'exprime si difficilement. Ce que l'on appelle aujourd'hui opinion publique n'en a souvent que le nom, un nom vide de sens, quelque chose comme une vague rumeur, une impression factice et superficielle ; rien d'un écho spontanément éveillé dans la conscience de la société et émanant d'elle.

Mais ces hommes, profondément pénétrés du sens de leur responsabilité et de leur étroite solidarité avec le milieu dans lequel ils vivent, où les chercher? Plus de traditions, plus de foyer stable, plus de sécurité de l'existence, plus rien de ce qui eût pu enrayer l'œuvre de désagrégation et, trop souvent, de destruction. Ajoutez l'abus de la force des organisations gigantesques de masses qui, saisissant l'homme moderne dans leur engrenage compliqué, étouffent sans peine toute spontanéité de l'opinion publique et la réduisent à un conformisme aveugle et docile des pensées et des jugements.

N'y aurait-il donc plus, dans ces nations infortunées, des hommes dignes de ce nom? des hommes marqués du sceau d'une vraie personnalité, capables de rendre possible la vie intérieure de la société? des hommes qui, à la lumière des principes centraux de la vie, à la lumière de leurs fortes convictions, sachent contempler Dieu, le monde et tous les événements, grands ou petits, qui s'y succèdent? De tels hommes, semble-t-il, grâce à la rectitude de leur jugement et de leurs sentiments, devraient pouvoir édifier, pierre par pierre, la paroi solide sur laquelle la voix de ces événements, venant frapper, se réfléchirait en un écho spontané. Sans doute, il y en a encore de ces hommes, trop peu nombreux hélas! et, chaque jour, de plus en plus rares, au fur et à mesure

que viennent se substituer à eux des sujets sceptiques, blasés, insouciants, sans consistance ni caractère, aisément manœuvres par quelques maîtres du jeu!

L'homme moderne affecte volontiers des attitudes indépendantes et désinvoltes. Elles ne sont, le plus souvent, qu'une façade derrière laquelle s'abritent de pauvres êtres, vides,- flasques, sans force d'esprit pour démasquer le mensonge, sans force d'âme pour résister à la violence de ceux qui sont habiles à mettre en mouvement tous les ressorts de la technique moderne, tout l'art raffiné de la persuasion pour les dépouiller de leur liberté de pensée et les rendre pareils aux frêles « roseaux agités par le vent *y).*[1]

Oserait-on dire avec assurance que la majorité des hommes est apte à juger, à apprécier les faits et les courants à leur vrai poids, en sorte que l'opinion soit guidée par la raison? C'est pourtant là une condition <{ sine qua non » de sa valeur et de sa santé. Ne voit-on pas, au neu de cela, cette manière — la seule légitime — de juger hommes et choses selon des règles claires et de justes principes, répudiée comme une entrave à la spontanéité et, en revanche, l'impulsion et la réaction sensitives de l'instinct et de la passion mises en honneur, comme les seules « valeurs de vie »? Sous l'action de ce préjugé, ce qui subsiste de la raison humaine et de sa force de pénétration dans le profond dédale de la réalité, est peu de chose. Les hommes de sens ne comptent plus ; restent ceux dont le champ visuel ne s'étend pas au-delà de leur étroite spécialité, ni au-dessus de la puissance purement technique. Ce n'est guère de ces hommes-là qu'on peut, ordinairement, attendre l'éducation de l'opinion publique ni la fermeté vis-à-vis de la propagande astucieuse qui s'arroge le privilège de la façonner à son gré. Sur ce terrain, les hommes d'esprit chrétien, simple, droit, mais clair, quoique la plupart du temps sans beaucoup d'études, leur sont, de loin, supérieurs.

Les hommes, à qui devrait échoir le rôle d'éclairer et de guider l'opinion publique, se voient donc souvent, les uns par leur mauvaise volonté ou par leur insuffisance, les autres par impossibilité ou par contrainte, en mauvaise posture pour s'en acquitter librement et heureusement. Cette situation défavorable affecte particulièrement la Presse catholique dans son action au service de l'opinion publique. Car toutes les défaillances, les incapacités, dont Nous venons de parler, tiennent à la violation de l'organisation naturelle de la société humaine telle que Dieu l'a voulue, à la mutilation de l'homme qui, formé à l'image de son Créa-

[1] MATTH, 11, 7.

tëur et doué par lui d'intelligence, était mis au monde pour en être le seigneur, tout imbu de la vérité, docile aux préceptes de la loi morale, du droit naturel et de la doctrine surnaturelle contenue dans la révélation du Christ.

Dans une telle situation, le mal le plus redo-utable pour le publiciste catholique serait la pusillanimité et l'abattement. Voyez l'Eglise : depuis bientôt deux millénaires, à travers toutes les difficultés, les contradictions, les incompréhensions, les persécutions ouvertes ou sournoises, jamais elle ne s'est découragée, jamais elle ne s'est laissé déprimer. Prenez modèle sur elle. Voyez, dans les lamentables déficits que Nous venons de signaler, le double tableau de ce que ne doit pas être et de ce que doit être la Presse catholique.

Dans toute sa manière d'être et d'agir, elle doit opposer un obstacle infranchissable au recul progressif, à la disparition des conditions fondamentales d'une saine opinion publique, et consolider, renforcer encore ce qu'il en reste. Qu'elle renonce de bon cœur aux vains avantages d'un intérêt vulgaire ou d'une popularité de mauvais aloi ; qu'elle sache se maintenir avec une énergique et fière dignité, inaccessible à toutes les tentatives directes ou indirectes de corruption. Qu'elle ait le courage —- fût-ce au prix de sacrifices pécuniaires — de proscrire impitoyablement de ses colonnes toute annonce, toute publicité outrageante à la foi ou à l'honnêteté. Ce faisant, elle gagnera en valeur intrinsèque, elle finira par conquérir l'estime, puis la confiance ; elle justifiera la consigne souvent répétée : ((A chaque foyer catholique, le journal catholique ».

Mais en mettant tout au mieux quant aux conditions extérieures et intérieures dans lesquelles elle se développe et se propage, l'opinion publique n'est pourtant pas infaillible, ni toujours absolument spontanée. La complexité ou la nouveauté des événements et des situations peuvent exercer une influence marquée sur sa formation, sans compter qu'elle ne se libère pas facilement soit des jugements préconçus, soit du courant dominant des idées, alors même que la réaction serait objectivement justifiée, alors même qu'elle s'imposerait. Et c'est ici que la Presse a un rôle eminent à jouer dans l'éducation de l'opinion, non pour la dicter ou la régenter, mais pour la servir utilement.

Cette tâche délicate suppose, chez les membres de la Presse catholique, la compétence, une culture générale surtout philosophique et théologique, les dons du style, le tact psychologique. Mais ce qui leur est indispensable au premier chef, c'est le caractère. Le caractère, c'est-à-dire tout simplement l'amour profond et l'inaltérable respect de l'ordre divin, qui embrasse et anime tous les domaines de la vie; amour

et respect que le journaliste catholique ne doit pas se contenter de sentir et de nourrir dans le secret de son propre cœur, mais qu'il doit cultiver dans ceux de ses lecteurs. En certains cas, la flamme ainsi jaillissante suffira à rallumer ou à raviver en eux l'étincelle presque morte de convictions et de sentiments endormis au fond de leur conscience. En d'autres cas, sa largeur de vue et de jugement pourra ouvrir leurs yeux trop timidement fixés sur des préjugés traditionnels. Dans les uns comme dans les autres, il se gardera toujours de « faire » l'opinion ; mieux que cela : il ambitionnera de la servir.

Nous croyons que cette conception catholique de l'opinion publique, de son fonctionnement et des services que lui rend la Presse, est tout à fait juste, qu'elle est nécessaire à frayer aux hommes, suivant votre idéal, le chemin de la vérité, de la justice, de la paix.

Ainsi, par son attitude vis-à-vis de l'opinion publique, l'Eglise se pose comme un barrage en face du totalitarisme lequel, par sa nature même, est nécessairement ennemi de la vraie et libre opinion des citoyens. De fait, c'est par sa nature même qu'il renie cet ordre divin et la relative autonomie que celui-ci reconnaît à tous les domaines de la vie, en tant qu'ils tiennent tous de Dieu leur origine.

Cette opposition s'est de nouveau manifestement affirmée à l'occasion de deux discours où Nous Nous sommes récemment appliqué à mettre en lumière la position du juge en face de la loi. Nous parlions alors des normes objectives du droit, du droit divin naturel qui garantit à la vie juridique des hommes l'autonomie requise par une vivante et sûre adaptation aux conditions de chaque temps. Que les totalitaires ne Nous aient pas compris, eux pour qui la loi et le droit ne sont que des instruments aux mains des cercles dominants, Nous Nous y attendions bien. Mais constater les mêmes malentendus de la part -de certains milieux qui, longtemps, s'étaient posés en champions de la conception libérale de la vie, qui avaient condamné des hommes pour le seul grief de leurs attaches avec des lois et des préceptes contraires à la morale, voilà qui est bien de nature à Nous surprendre! Car enfin, que le juge dans le prononcé de sa sentence se sente lié par la loi positive et tenu à l'interpréter fidèlement, il n'y a rien là d'incompatible avec la reconnaissance du droit naturel ; bien plus, c'est une de ses exigences. Mais ce qu'on ne saurait légitimement accorder c'est que ce lien soit noué exclusivement par l'acte du législateur humain de qui émane la loi. Ce serait reconnaître à la législation positive une pseudo-majesté qui ne différerait en rien de celle que le racisme ou le nationalisme attribuait à la production juridique totalitaire, mettant sous ses pieds les droits

naturels des personnes physiques et morales. Ici encore, la Presse catholique a sa place marquée pour exprimer en formules claires la pensée du peuple, confus, hésitant, embarassé devant le mécanisme moderne de la législation positive, mécanisme dangereux dès lors qu'on cesse de voir en cette dernière une dérivation du droit divin naturel.

Cette conception catholique de l'opinion publique et du service que lui rend la Presse est aussi une solide garantie de la paix. Elle prend fait et cause pour la juste liberté de penser et pour le droit des hommes à leur jugement propre, mais elle les regarde à la lumière de la loi divine. Ce qui revient à dire que quiconque veut se mettre loyalement au service de l'opinion publique, que ce soit l'autorité sociale ou la presse elle-même, doit s'interdire absolument tout mensonge ou toute excitation. N'est il pas évident qu'une telle disposition d'esprit et de volonté réagit efficacement contre le climat de guerre? Dès lors, au contraire, que la prétendue opinion publique est dictée, imposée, de gré ou de force, que les mensonges, les préjugés partiaux, les artifices de style, les effets de voix et de gestes, l'exploitation du sentiment, viennent rendre illusoire le juste droit des hommes à leur propre jugement, à leurs propres convictions, alors se crée une atmosphère lourde, malsaine, factice qui, au cours des événements, à l'improviste, aussi fatalement que les odieux procédés chimiques aujourd'hui trop connus, suffoque ou stupéfie ces mêmes hommes et les contraint à livrer leurs biens et leur sang pour la défense et le triomphe d'une cause fausse et injuste. En vérité, là où l'opinion publique cesse de fonctionner librement, c'est là que la paix est en péril.

Finalement, Nous voudrions encore ajouter un mot relatif à l'opinion publique au sein même de l'Eglise (naturellement, dans les matières laissées à la libre discussion). Il ne peut y avoir à s'en étonner que ceux qui ne connaissent pas l'Eglise ou qui la connaissent mal. Car, enfin, elle est un corps vivant et il manquerait quelque chose à sa vie si l'opinion publique lui faisait défaut, défaut dont le blâme retomberait sur les Pasteurs et sur les fidèles. Mais ici encore, la Presse catholique peut fort utilement servir. A ce service toutefois, plus qu'à tout autre, le journaliste doit apporter ce caractère dont Nous avons parlé et qui est fait d'inaltérable respect et d'amour profond envers l'ordre divin, c'est-à-dire, dans le cas présent, envers l'Eglise telle qu'elle existe, non seulement dans les desseins éternels, mais telle qu'elle vit concrètement ici-bas dans l'espace et dans le temps, divine oui, mais formée de membres et d'organes humains.

S'il possède ce caractère, le publiciste catholique saura se garder

tont autant d'un servilisme muet que d'une critique sans contrôle. Il aidera, avec une ferme clarté, à la formation d'une opinion catholique dans l'Eglise, précisément lorsque, comme aujourd'hui, cette opinion oscille entre les deux pôles également dangereux, d'un spiritualisme illusoire et irréel, d'un réalisme défaitiste et matérialisant. A distance de ces deux extrêmes, la Presse catholique devra exercer, parmi les fidèles, son influence sur l'opinion publique dans l'Eglise. C'est seulement ainsi que l'on pourra éluder toutes les idées fausses, par excès ou par défaut, sur le rôle et sur les possibilités de l'Eglise dans le domaine temporel et, de nos jours, surtout dans la question sociale et le problème de la paix.

Nous ne terminerons pas sans tourner Notre pensée vers tant d'hommes véritablement grands, honneur et gloire du journalisme et de la presse catholique des temps modernes. Depuis plus d'un siècle, ils se dressent devant nous comme des modèles d'activité spirituelle; mieux encore : de leurs rangs se sont levés aujourd'hui de vrais martyrs de la bonne cause, les confesseurs vaillants parmi les difficultés spirituelles et temporelles de l'existence. Bénie soit leur mémoire! Que leur souvenir vous soit un reconfort et un encouragement dans l'accomplissement de votre rudâ mais important devoir.

Confiant que, à leur exemple, vous remplirez fidèlement et fructuen sèment le vôtre, Nous vous donnons de tout cœur, très chers fils, Notre Bénédiction Apostolique.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

ALUMNIS SCHOLARUM CATHOLICARUM STATUUM FOEDERATORUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS DATUS AD SOLLICITATAM CARITATEM ERGA PUEROS INDIGENTES ALIARUM NATIONUM.*

Our dearest children of America, We come to speak to you for a brief moment; and Our heart filis with joy and consolation. How could the Holy Father not rejoice, be thankful to God, hopeful for Mother Church, to see almost tvvo million and a half of the little lambs of Christ's flock so safe within the protecting walls of Catholic schools, which your priests and your parents at great sacrifice have built for you? We seem to see your smiling eyes and happy faces upturned, eager to greet Us and tell Us—oh so many things : how much you love Jesus,

* Datus die 22 Februarii mensis a. 1950.

once a chilo* like you, and how firmly resolved you are never to offend Him, never to be disloyal to His Church. With what special pride and fatherly affection We would listen to you speak of those at home you love so much and of the devoted, holy Sisters and Brothers who teach you and guide you. Through you the Holy Father sends them all His special Apostolic Blessing.

But now We want to teli you of some other children, who are not so safe, not so happy and hopeful as you are. They have no father or mother—they were killed in the recent wars; they have no home any more—it was lef t in ruins by the bombs. Where can they study and pray and play in peace, safe from the dangers that prowl the heartless streets? Where will they learn to know and love Our Lord, who loves them all so dearly?

We have been trying to provide some places for them and you have been helping XJs succeed. Each year you have made your little offerings, and they have meant food and clothing and a home to your less fortunate brothers and sisters in other lands. What is more ; your offerings have helped to keep thèse boys and girls safe from so many temptations to sin, which they certainly would have, if they had to spend their days, and perhaps nights with bad companions in the streets. How God loves you ail for that ! Now this is the Holy Year, the year when the Church asks all, even the little ones, to do some extra penance and make some special sacrifices ; and thèse sacrifices are going to make it possible for you this year even to surpass your splendid record of the past in contributing to the Relief Fund of your zealous Bishops.

May the Immaculate Heart of Mary, Virgin Mother of God and your Mother, keep your smiling eyes and happy faces ever fixed on your divine Model, who comes to you as a welcome guest in Holy Communion. Now is the time when you must begin being saints. And may the Apostolic Blessing, which We give you now with all Our heart, win from heaven for you and all your dear ones the victory and the reward that only God can give.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 8 Martii 1950

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur :

a Ab scondita f Diàrio da Irma Ines », compilado por M. da S. Mourâo de Freitas, Porto, 1949.

Et Feria III, die 14 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 Martii 1950.

P. Vigorita, *Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

LUNENSIS, SEU SPEDIENSIS SARZANENSIS ET BRüGNATENSIS

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM SPEDIENSIS ET SARZANENSIS

Oppida « Pianazze e Termo di La Spezia » et finitima territorii pars quae mari adiacet, ecclesiastice ad paroeciam Ss. Stephani et Margaritae, dioecesis Sarzanensis, pertinent, civiliter autem ad Spediensem civitatem.

Ad consulendum bono spirituali fidelium, memorata oppida, die 16 Iulii proxime elapsi, in Curatia autonoma vulgo dicta « di S. Giuseppe del Termo » constituta sunt.

Nuperrime vero Exemus P. D. Iosephus Stella, Episcopus Lunensis seu Spediensis, Sarzanensis et Brugnatensis, ad circumscriptionem territorialem praef atorum locorum aptius definiendam, satiusque animarum saluti providendum, ab Apostolica Sede expostulavit ut oppida « Pianazze e Termo di La Spezia » in Curatiam autonomam iam evecta, necnon prope exstans pars territorii mari adiacens, e dioecesi Sarzanensi separarentur et dioecesi Spediensi aggregarentur.

Porro Ssfilus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, rei opportunitate perspecta, de consilio Erái ac Revmi Cardinalis Secretarii huius Sacrae Congregationis Consistorialis, attento favorabili voto Capitulorum Cathedralium Spediensis et Sarzanensis, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, vi praesentis Consistorialis Decreti, perinde valituri ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, statuit ut praefata oppida «Pianazze e Termo di La Spezia» necnon propior territorii pars mare attingens, a dioecesi Sarzanensi dismembrentur et dioecesi Spediensi uniantur, mutatis, hac ratione, finibus utriusque dioecesis.

Ad haec autem exsecutioni mandanda, Sanctitas Sua deputare dignata est eumdem Excmum P. D. Iosephum Stella, Episcopum Lunensem, seu Spediensem, Sarzanensem et Brugnatensem, eidem tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi quamprimum ad hanc S. C. Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 26 Novembris anni 1949.

Fr. A. I. Card. **PIAZZA**, *a Secretis.*

L. *B* S-

B. Renzoni, *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

MATRITEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI M. DESOLATAE TORRES ACOSTA, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM SERVARUM MARIAE INFIRMIS MINISTRANTIUM.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Yen. Servae Dei Beatificationem.*

Perbelle S. Laurentius a Brundusio illud Evangelii commentans : *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito* (Mt., 13, 14), « Deus «ipse, dicit, thesaurus est, munitus quidem sed absconditus... Christus « thesaurus est munitus, sed absconditus : *Vere tu es Deus absconditus* « (Is., 45, 15), hinc multi in Christum non credunt... Ita fides Christi, « gratia et virtus Spiritus Sancti magnus est thesaurus, sed absconditus... Sed qui hunc thesaurum gratiae caelestis invenit, Christum « utique et Deum ipsum, bonorum omnium infinitum thesaurum inve- «nit» (Op. Omn., IX, pp. 286-87). Felix itaque est ille qui, divinae gratiae impulsui animum praebens, thesaurum hunc invenit, adipisci toto nisu conatur, possesso fruitur *nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem (I Cor.,* 13, 12) in aeternum fruiturus.

Venerabilis Maria Desolata Torres Acosta Christum in infirmis Eius membris agnoscens, inventum thesaurum hunc adepta, felix facta, toto animo totoque corde Ei, infirmis ministrando, adhaesit, heroicasque virtutes in hoc praecipue opere exercuit, uti authentice, per S. huius C. decretum die 23 Ianuarii anno 1938 latum, firmatum est. Quam autem potens Venerabilis Maria Desolata apud Deum facta sit, evidenter probant gratiae innumerae per eius intercessionem a Deo concessae atque miracula ab Eo patrata, uti constat ex decreto die 27 Novembris proxime elapsi edito, quo duo miracula approbata fuere. Quae duo decreta, approbantia virtutes et miracula, viam ad beatificationem proxime straverunt. Ut autem ad hanc procedi possit, iure firmatum est ut in generali S. R. C. Coetu coram Summo Pontifice dubium sit proponendum : *An, stante approbatione virtutum et miraculorum,* Tuto *procedi possit ad solemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatifica-*

tionem. Quod die 6 mensis huius ab infrascripto Cardinali, S. R. C. Praefecto Causaeque Ponente, propositum fuit; cui Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque consultores unanimi consensu affirmative responderunt.

Verum Beatissimus Pater cunctandum aliquantisper dixit, ut ingeminatis precibus lumen a Deo evidentius obtineret. Dominicam itaque hanc, tertiam Sacri Adventus, elegit ut Suam ferret sententiam. Advocatis itaque infrascripto Cardinali, R. P. Salvatore Natucci meque Secretario, divino Sacro religiose litato, edixit : *Tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Mariae Desolata® Torres Acosta Beatificationem.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri, in acta S. Rituum Congregationis referri et Apostolicas litteras sub anulo Piscatoris, de Beatificationis sollemniis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris, Dominica III Sacri Adventus, a. D. 1949.

£B C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

II

BEBGOMEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI PAULAE ELISABETH CERIGLI, VIDUAE BUZECCHI-TASSIS, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A SACRA FAMILIA.

SUPER DUBIO

An stante approbatione virtutum et miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Ven. Servae Dei Beatificationem.*

Venerabilis Paula Elisabeth (in saeculo Constantia Honorata) Cerioli, nobili genere nata, a Monialibus Visitationis apud quas educanda fuerat tradita, ob insignem pietatem ceterasque virtutes, quibus in gynecaeo fulgebat, Angelus passim vocabatur. Quarum postea quoque in quadruplici suae vitae statu mira exhibuit exempla, iudicium a monialibus latum confirmans. Angelicam enim in paterna domo, angelicam in matrimonio, quod parentum voluntati obsequens contraxit, morosum senis coniugis ingenium patientissime tolerando, angelicam in statu viduitatis, angelicam demum in vita religiosa se praebuit, sancte duplex

a Sacra Familia Institutum pro utriusque sexus orphanis agros colere edocendis, ab ea anno 1836 conditum, moderando. In quo Paulae Elisabeth nomen assumpsit, tribusque religiosis votis quartum addidit semper et in omnibus ad maiorem Dei gloriam operandi. Quod votum perfecte servatum eam ad sanctitatem perduxit. Anno 1865 die 24 Decembris ad Superos evolavit. Sanctitatis fama virente, in Bergomensi Curia Ordinariae inquisitiones peractae fuere. Benedictus XV fel. rec. Introductionis causae commissionem signavit : Apostolico processu condito riteque recognito, tribus, de more, Congregationibus praemissis, decretum heroicas Servae Dei virtutes approbans die 2 Iulii a. 1939 fuit editum. Humano testimonio de Servae Dei sanctitate divinum miraculorum accessit, uti ex decreto die 27 Novembris proxime elapsi constat.

Ut autem acta quae Beatificationem alicuius S. D. respiciunt rite compleantur, sapienter institutum est a iure, ut in Sacra Congregatione dubium discutiatur : *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad eiusdem Servae Dei sollemnem Beatificationem.* Quod in generali huius S. C. coetu coram Ssmo D. N. Pio Pp. XII, die 6 huius mensis habito, ab infrascripto Cardinali factum est. Emi Cardinales, Officiales Praelati, PP. Consultores affirmative concorditer responderunt. Beatissimus vero Pater suum pandere iudicium differre ratus est, ut divini Spiritus illustratione, quid decernendum agnosceret.

Dominicam « Gaudete » tertiam Sacri Adventus designavit ut favorabile decretum ederetur. Quare infrascriptum Cardinalem S. R. C. Praefectum causaeque Ponentem, R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem Generalem meque Secretarium accivit, atque post sacrum devote celebratum edixit : *Tuto procedi posse ad sollemnem Ven. Paulae Elisabeth Cerioli Viduae Busecchi-Tassis Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari, in acta S. R. C. referri, Apostolicasque litteras, sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemnius in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris, Dominica III Sacri Adventus, a. D. 1949.

£B O. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius-*

III

MATRITEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI VINCENTIAE MARIAE LOPEZ VINCUÑA FUNDATRICIS INSTITUTI FILIARUM MARIAE IMMACULATAE PRO PUELLIS FAMULATUI ADDICTIS.

SUPER DUBIO

An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Ven. Servae Dei Beatificationem.*

«Quantitas cuiusque animae, scribit S. Bernardus, aestimetur de mensura caritatis, quam habet» (Serm. 27 super Cant.), Iamvero Matriti, medio decimonono saeculo, duo germani, frater et soror, Emmanuel et Eulalia e familia Vicuña, pro Dei amore, se suaque in proximorum solamen impendebant. Eulalia condicionem praesertim miserta, in qua plures puellae domestico famulatui addictae versabantur, quando ob corporis infirmitatem in communi nosocomio receptae, valetudine recuperata, ab eo dimissae, sine tecto, rerum ad vitae necessitates omnino inopes, periculis omne genus fiebant obnoxiae, die B. Mariae Immaculatae sacro, anno 1853, tres huiusmodi ancillas in domuncula recepit, easque divina caritate fervens, materno affectu solabatur, alebat, curabat.

Parvum semen magni operis rudimentum!

Quanta apud Deum fuerit haec anima, et quam Ei gratum hoc opus, grandem caritatis mensuram ostendens, aperte patet non modo ex operis incremento sed, et praecipue, ex incomparabili dono eidem a divina munificentia collato. Re sane vera, eius Sororis filia, Vincentia Maria Lopez y Vicuña, a piis parentibus, in loco v. d. Cascante morantibus, Matritum studiorum causa missa, adeo materterae operi se dedidit, ut non solum eflicacissimam adiutricem se ei praebuerit, sed sensim sine sensu operi perennitati consulens, novae familiae religiosae facta sit Fundatrix, Instituti nempe Filiarum Mariae Immaculatae pro puellis famulatui addictis. In hoc magnifico novoque opere moliendo multa passa est ab amicis atque ab ipsis sibi sanguine coniunctis, praeter eos qui turpe emolumentum ex his misellis carpebant. Nec mirum; divinus enim Magister nos docuit: *Si me persecuti sunt et vos persequentur* (Io. .15, 20) et S. Paulus: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Iesu persecutionem patientur* (2 Tim. 3, 12). Verum infracto animo fortis in

servando proposito permanebat nullique parcebat industriae ut puellas a quovis malo retraheret et in bono confirmaret. Tanto autem Dei amore fervebat, ut pro contumeliis Ipsi illatis expiandis se asperitatibus subiceret, ferventioribusque precibus divinae Maiestatis misericordiam pro reis conaretur implorare, eiusque honorem reparare. Ut hoc efficacius obtineret, B. V. Immaculatae patrocinium iugiter invocabat, suavissimamque erga divinum Cor Iesu et sacratissimam Eucharistiam religionem fovebat. Immo, una cum Superiorissa Generali Carmelitarum **a** Caritate, cum Fundatrice Monasterii Visitationis in civitate Victoria triplex foedus iniit pro iniuris reparandis Eidem illatis. Innocentissimam eius vitam fuisse unanimiter testes deponunt, qui pariter affirmant eandem propositum ad amussim servavisse id faciendi quod magis Deo placuisset.

Tot tantaeque virtutes, quae ei adhuc viventi laureolam quandam sanctitatis comparaverant, post eius pretiosam mortem, quae die 26 Decembris **a.** 1890 contigit, Episcopum Matriten, impulerunt ut anno 1915 Ordinaria auctoritate canonicas institueret inquisitiones, quibus Bogatoriales Barcinonenses et Valentinae sunt addendae, super sanctitatis fama, super scriptis atque prohibito cultu non exhibito. Die 28 Maii a. 1924 S. haec C. decretum pro Servae Dei scriptis edidit; die 18 Iulii **a.** 1928 Pius Papa XI, fel. rec, Introductionis causae commissionem sua manu obsignavit. Cum nullum prohibitum cultum ei exhibitum fuisse constaret, servatis de iure servandis, Apostolicis constructis processibus super virtutibus et miraculis, quorum iuridica vis rite fuit recognita, Ssmo D. N. Pio Papa XII approbante, die 21 Martii a. 1943 virtutes in gradu heroico, die vero 11 Decembris nuper elapsi anni, duo miracula recognita sunt.

Ad actorum complementum quae a iure praescribuntur ut ad Beatificationis sollemnia procedi possit, necesse est ut in Generali S. huius C. coetu coram Summo Pontifice dubium disceptetur : *An stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.* Quod dubium Rmus Cardinalis Alexander Verde Causae Ponens seu Relator die 13 Decembris elapsi anni proposuit. Cui quotquot aderant Rimi Cardinales, officiales Praelati Patresque Consultores unanimi affirmativo suffragio responderunt.

Beatissimus vero Pater supremam sententiam edere ad hunc usque diem distulit, Deum ferventer interim adprecans, ut suum beneplacitum ostenderet.

Quocirca Rmis Cardinalibus Ponente atque infrascripto S. R. C. Prae-

fecto nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei generali Promotore, meque Secretario accitis, sacrosancto Missae sacrificio piissime litato, edixit: Tuto *procedi posse ad Venerabilis Vincentiae Mariae Lopez Vicuña Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari, in acta S. Rituum Congregationis nec non Apostolicas litteras sub anulo Piscatoris de Beatificationis solemniis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Datum Romae, die 12 Ianuarii anno Domini 1950.

£g C. Card. **MICARÂ**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

h. fß S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

IV

ÄSTEN, SEU TAURINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVI DEI DOMINICI SAVIO, ADULESCENTIS LAICI.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, **TUTO** *procedi possit ad sollemnem eiusdem Ven. Servi Dei Beatificationem.*

Quod paedagogica methodus, a S. Ioanne Bosco invecta, sit optima, ex fructibus quos ipse collegit atque Institutum ab eo conditum nunc quoque totum per orbem colligit, evidenter eruitur. S. Ioannes, qua erat sapientia ac prudentia praeditus, a ferventi erga Deum ac proximos, praecipue adulescentes, caritate inflammatus, uniuscuiusque horum naturale ingenium supernaturali intuitu scrutans, eos ut christiane viverent induxit, immo nonnullos ad culmen perfectionis, brevissimo quoque tempore, perduxit.

Quos inter Venerabilis Dominicus Savio supereminuit, qui trium annorum spatio, eo magistro et duce, ad heroicum virtutum gradum adulescens adhuc pervenit.

Quindecim annos natus ad angélicos choros die 9 Martii anno 1857 assumptus est. Admirabilis eius vita, splendor que virtutum effecit ut in Taurinensi Curia canonicae instituerentur inquisitiones, quae sanctitatis famam comprobarunt.

Quare Pius Papa X sa. me. Introductionis causae commissionem si-

gnavit; Apostolico processu constructa, heroicae virtutes a Pio Papa XI die 9 Iulii a. D. 1933 approbatae sunt.

Ipse Deus sententiam Sui Vicarii confirmare per miracula dignatus est; ex quibus duo exhibuerunt actores ut Beatificationis causa ad ulteriora procederet; quae miracula die 11 Decembris hoc anno per huius S. C. decretum approbata sunt.

Hisce praemissis, iuridice constare debet omnia acta, quae canonicae leges praescribunt in beatificationis causis servanda, rite esse perfecta, ita ut Tuto pede ad hanc sollemnitatem possit procedi. Quod in Generali Congregatione die 13 proxime elapsi Decembris mensis coram Ssmo D. N. Pio Papa XII a Rmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Ponente, factum est, qui dubium proposuit disceptandum : *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* Tuto *procedi possit ad sollemnem Venerabilis Servi Dei Beatificationem.*

Etsi omnes, quotquot aderant, Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores in affirmativum suffragium convenerunt, Beatissimus tamen Pater suam sententiam edere ad hunc usque diem distulit, férvidas interim preces effundens ut divinum beneplacitum evidentius agnosceret.

Quapropter coactis apud Se Rmis Cardinalibus Alexandro Verde Causae Relatore atque infrascripto S. R. C. Praefecto, necnon R. P. Salvatore Natucci, generali Fidei Promotore, meque Secretario, sacra Hostia sancte litata edixit : Tuto *procedi posse ad Venerabilis Dominici Savio Beatificationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari, in acta S. Rituum Congregationis referri, atque Apostolicas litteras sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemniis, in Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit.

Datum Romae, die 12 Ianuarii a. 1950.

£B C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

V

VICEN.

CANONIZATIONIS B. ANTONII MARIAE CLARET, PONTIFICIS CONFESSORIS, FUNDATORIS CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM FILIORUM IMMACULATI CORDIS B. MARIAE VIRGINIS.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, in casu, et ad effectum de quo agitur.

Sapientissimi!» Deus antequam in animarum bonum, salutare aliquod consilium in actum deducat, antesig'nanum quemdam sanctitate fulgentem suscitando, fidelium animos praeparare consuescit.

Re sane vera, ne a proposito distrahamur, nostris hisce diebus quam Deo Beataeque Virgini grata sit erga eiusdem Immaculatum Cor religio et quanto ardenti studio christianus populus hanc complectatur, passim conspicimus. Iamvero religionis huius antesignanus insignem atque industrium strenuumque vulgatorem, elapso saeculo mediante, B. Antonius Maria Claret se praebuit, qui Immaculati Cordis Beatae Virginis praeconia numquam destitit praedicare, ingentes referens animorum manipulos. Qua pietate permotus *Congregationem Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. Mariae Virginis* fundavit; quae totum per orbem, sub tanto patrocinio dilatata, Beati Fundatoris vestigia premens, laetissimos Catholicae Ecclesiae affert fructus.

Porro hic Dei Servus, severis subtilibusque servatis normis a iure statutis, anno 1934 Beatificationis gloriae honestatus, ipsius Dei consilio ad supremos Canonizationis honores properare videtur. Duo enim miracula, eo interveniente, a Deo patrata, causae actores, ex pluribus selecta, ad Sacram hanc Congregationem detulerunt, ut eidem Beato Canonizationem compararen t : et iure merito, ut ex dicendis patet.

I. Soror Iosepha Marin ex Instituto Sororum docentium a Maria Immaculata, anno 1926, mali moris tumore exsecato, convaluit quidem sed quinque post annos alius tumor in supra claviculari sinistra regione patefactus est, qui pariter fuit excisus. Sequenti anno in dextera colli parte alius tumor, a medicis carcinomatis reproductio edictus, radiotherapice curatus fuit. Februario mense anno 1934 quartus tumor, a medicis carcinoma agnitus. Sororem affecit; quae die 10 Maii eiusdem anni a Baracoa, ubi morabatur, ad urbem S. Iacobi in Cuba translata fuit, ut aptius, si fieri potuisset, curaretur. Die 11 in gravibus infirma versabatur

condicionibus. No vendíales interim preces pro eius sanatione Deo per intercessionem B. Antonii Mariae offerebantur, atque eodem die de eius vestibus filum Soror deglutivit. Placido tunc somno ea fuit correpta, sequentique mane perfecte sanatam se sensit, quam sanationem instantaneam ac perfectam medens ipse ratam habuit : eius autem perseverantiam, attento quindecim annorum spatio, cum periti ex officio tum medicum nostrae Congregationis Collegium confirmant, atque hanc naturae vires excedere fatentur.

II. Secunda mira sanatione Helena Flores Cordubae fruita est. Haec hemiplegia organica e cerebri laesione fuit attacta. Prognosis omnium medicorum iudicio erat gravissima, morbus insanabilis. B. Antonio Maria invocato, die 9 Maii anno 1948 in instanti infirma omnino perfecteque consanuit atque perseveranter, uti Iunio mense elapsi anni exploratum est. Medentium peritorum ex officio, medicumque Collegium miraculum conclamavit.

De his sanationibus medicum Collegium die 11 Aprilis anno elapso pertractavit. Praeparatorius Sacrae huius Congregationis Coetus die 19 Iulii locum habuit, Generalis vero coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, die 13 Decembris, in quo Emus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, dubium discutiendum proposuit : *A.n et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales; officiales Praelati, Patresque Consultores suum de re suffragium tulerunt : Beatissimus vero Pater, ut mos est, Suam sententiam distulit ferre, supplices interim Deo, Patri luminum, preces offerens. Diem autem hunc selegit ut hanc ferret. Accitis itaque Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente atque infrascripto S. R. C. Praefecto, necnon R. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali meque Secretario, sacrosancta liturgia pie celebrata, edixit : *Constare de duobus miraculis a Deo, Beato* Antonio Maria Claret *intercedente, patratis;* nempe : *de instantánea perfectaque sanatione cum Sororis Iosephae Maria a carcinomate in pectore tum Helenae Flores Arjona ab hemiplegia organica dextera.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 12 Ianuarii a. D. 1950.

£& C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. ® S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius*

VI

RUTHEisTEN.

CANONIZATIONIS B. MARIAE GULIELMAE AEMILIAE DE RODAT, VIRGINIS, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS SORORUM A SACRA FAMILIA.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, in casu, et ad effectum de quo agitur.

« Amore tuum, Deus meus, amorem tuum da mihi quocumque pretio » B. Aemilia dicere solebat, atque ab hoc vehementer impulsa, impedimentis omne genus forti animo superatis, religiosam familiam condidit, cuius sodales atque puellas, quae frequentes suas scholas adibant et alios, quotquot ad eam accedebant, ad Dei amorem suaviter efficaciterque alliciebat. Iure igitur merito inter electissimas animas, a misericordi Deo suscitatas, est annumeranda, quae vitae sanctitate atque actione in Gallia ingentissimas ruinas, quas contra catholicam Ecclesiam civilemque societatem, sub decimioctavi fine et deciminoni saeculi initio, magna rerum perturbatio attulerat repararent.

Huic divinae vocationi adeo fideliter perfecteque respondit, ut ad heroicam sanctitatem pervenerit, uti iuridice a Sacra hac Congregatione edictum est, approbantibus Summis Pontificibus : Pio IX qui Beatificationis causae commissionem a. 1871 signavit; Leone XIII qui pro heroicis virtutibus decretum edi iussit; Pio XII fel. regn. qui die 9 Iunii a. 1940 Beatificationis honores indulsit, atque causam Canonizationis resumi die 6 Decembris a. 1942 concessit, eo quod a Deo nonnulla miracula post Beatificationem, ea interveniente fuisse patrata ferebantur. Actores itaque duas miras sanationes, quae in alma hac Urbe contigerunt, prout hic subicimus, sacrae huic Congregationi obtulerunt.

I. Teresia Appetecchia a gravi polysierosite tuberculari fuit affecta, uti non modo medentes a cura, sed et officiales periti ipsumque medicum nostrae sacrae Congregationis Collegium sine haesitatione affirmant. Iidem pariter in gravissima edicenda prognosi conveniunt. Medicis curis incassum cedentibus, Beatae Aemiliae de Rodat patrocinium, per novendiales preces die 24 Ianuarii anno 1945 inceptas, fuit imploratum. Iamvero medens, qui, eodem mense ineunte, sanationis spem ademerat, quod iudicium die 23 a medico a consultatione plene fuerat confirmatum, die 26 eam gravibus morbis expertem invenit. Intra paucos dies, morbi reliquiis cessatis, infirma perfecte convaluit ; quod praeter naturae leges evenisse unanimis est peritorum atque medici Collegii consensus.

l'I. Trimula Rita Falcone, die 22 Octobris mensis a. 1946, acuta appendicite tentata fuit. Chirurgico ferro dum subicitur, péritonites acuta diffusa inventa quoque est. Die septimo, duplex morbo in melius aliquantulum vergente, bronchio-pulmonitis accessit, a qua opportune curata puella consanuit. Demum die 28 Novembris intestinalis occlusio adeo gravis successit, ut omnino urgentissima facta sit chirurgica actio, quae tamen illis in adiunctis non modo nullum solamen infirmae attulit, sed in peiorem condicionem eam adduxit, ita ut in eo esset ut proxime moreretur. Beatae Aemiliae imago puellae ventri fuit tunc apposita. Morbi phaenomena illico attenuantur, paucas post horas occlusio cessat, brevique puella convalescit. Concors est diagnosis et gravissima prognosis cum medentium, tum peritorum atque medici nostrae Congregationis Collegii, quod cum peritis sanationem naturae vires excedere unanimiter affirmat.

De utraque sanatione, post iudicium a medico Collegio editum, in Praeparatoria Congregatione die 14 Iunii mensis anno proxime elapso actum est, in Generali vero coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 13 Decembris, in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, dubium disceptandum proposuit : *An et de quibus miraculis post indultam Eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suum quisque suffragium tulit : Beatissimus vero Pater supremam ferre sententiam ad hunc diem cunctatus est, ut coram Deo rem Suis aliorumque, quorum proxime interesset, precibus perpenderet.

Arcessivit itaque Rmos Cardinales Causae Ponentem atque infrascriptum S. R. C. Praefectum necnon R. P. Salvatorem Natucci meque Secretarium, atque sacrosancta Missa pientissime celebrata, edixit : *Constare de duobus miraculis, Beata* Maria Guillelma Aemilia de Rodat *interveniente, a Deo patratis,* nimirum : *de instantánea perfectaque sanatione cum Teresiae Appetecchia a gravi poly siero site tuberculari, tum puellae Bitae Falcone ab occlusione intestinali mixta, praevalenter medianica, subsecuta post peritonitem purulentam acutam diffusam.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 12 Ianuarii a. D. 1950.

SB C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

Ii/-© S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

PARISIEN.

NULLITATIS MATRIMONII (MARCELLUS ALLA-MARTHA TERESIA SEGUIN)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Marthae Teresiae Seguin, conventae in causa de qua supra, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime citatum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 12 Maii 1950, hora meridiana ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dominae Marthae Teresiae Seguin curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur. *

B. Filipiak, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 25 Februarii 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Marthe Thérèse Seguin, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 12 mai 1950, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Gonste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Marthe Thérèse Seguin devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

An. et vol. XXXXil 14 Aprilis 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP, XII

SACRA CONSISTORIA

i

CONSISTORIUM SECRETUM

Feria quinta, die xvi mensis Martii anno MCML, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani fuit *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur.

I - CAMERARIUS SACRI COLLEGII

Reverendissimus Cardinalis Massimi detulit ac reddidit perulam Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium Beatissimo Patri, qui eam tradidit Reverendissimo Cardinali Canali, pro hoc anno ipsius Sacri Collegii Cardinalium Camerario.

II - PROVISIO ECCLESIARUM

Postea Ssmus sequentes proposuit Ecclesias :

Cathedralibus Ecclesiis Rubensi et Bituntinae praefecit Exc. P. D. Aurelium Marena, hactenus Episcopum titularem Lampsacenum.

Cathedrali Ecclesiae Brittinoriensi R. D. Marium Rondini, Antistitem Urbanum et Parochum ecclesiae S. Mariae in Pianta, in civitate Foroliviensi.

Titulari episcopali Ecclesiae Messeniensi R. D. Iacobum Cannonerò, canonicum Capituli cathedralis Aquensis et professorem theologiae dogmaticae in Seminario eiusdem dioecesis, quem constituit Coadiutorem Exc. P. D. Humberti Rossi, Episcopi Astensis.

Insuper alios per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos sacrorum Antistites publicavit, videlicet :

ARCHIEPISCOPOS :

Neapolitanum in Pisidia, Petrum Sigismondi, Delegatum Apostolicum in Congo Belgico.

Nominis Iesu, seu Caebuanum, Iulium Rosales, iam Episcopum Tagbilaranum.

Thessalonieensem, Alphonsum Castaldo, iam Episcopum Puteolanum, Coadiutorem Emi P. D. Alexii S. R. E. Cardinalis Ascalesi, Archiepiscopi Neapolitani.

Maroneum, Franciscum Jachym, Coadiutorem Emi P. D. Theodori S. R. E. Cardinalis Innitzer, Archiepiscopi Vindobonensis.

Temobenum, Antonium Samorè, Nuntium Apostolicum in Republica Columbiana.

Phullitanum, Paschalem Mores, iam Episcopum Nuscanum.

Bosporanum, Iosephum Charbonneau, iam Archiepiscopum Marianopolitanum.

Burdigalensem, Paulum Mariam Richaud, iam Episcopum Valleguidonensem.

Caesariensem Philippi, ecclesia ad Archiepiscopalem pro hac vice evecta, Armandum Lombardi, Nuntium Apostolicum in Republica Venetiola.

Nicopolitanum ad Nestum, Carolum Confalonieri, iam Archiepiscopum Aquilanum.

EPISCOPOS :

Dicensem, Georgium Guibert, Auxiliarem Exc. P. D. Marcelli Lefebvre, Vicarii Apostolici de Dakar.

Podaliensem, Iosephum Domitrovitsch, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Petri Massa, Praelati Nullius Fluminis Nigri.

Pinarensem, Candidum Rada Senosiain, iam Episcopum Sancti Caroli Ancudiae.

Goimbatorensem, Saverimuthu Muthappau.

De Yijayapuram, Ioannem Ambrosium Abasólo y Lecue.

Diensem, Aloisium Ambrosium Magliacani, Vicarium Apostolicum Arabiae.

Sassuritanum, Petrum Ledere, Vicarium Apostolicum de Bamako in Sudan Gallico.

Giufitanum, Ioannem Theunissen, Vicarium Apostolicum Shirensem.

Girensem, Ludovicum Prosperum Durand, iam Episcopum Ientaevensem.

Hermopolitanum, Paulum Nousseir.

Zenobiensem, Patricium Skinner, Auxiliarem Exc. P. D. Eduardi Patricii Roche, Archiepiscopi S. Ioannis Terrae Novae.

Campijontis, Christophorum Weldon.

Carolopolitanum, Ioannem Russell.

Trentonensem, Georgium Gulielmum Ahr.

Wigorniensem, noviter erecta dioecesi, Ioannem Iosephum Wright, iam Episcopum Aegeaensem.

Sozusenum in Palestina, Antonium Mendonça Monteiro, Auxiliarem Exc. P. D. Augusti Alvaro Da Silva, Archiepiscopi S. Salvatoris in Brasilia.

Sozopolitanum in Eaemimonto, Petrum Chi, Vicarium Apostolicum de Buichu.

Regiensem, Marcellum Daubeehies, Vicarium Apostolicum de Bangueolo.

Zeugmatensem in Syria, Ioannem Me Eleney, Vicarium Apostolicum Jamaicae.

Gauriensem, Emmanuelem Llopis Iborra.

Ibusensem, Antonium Cardona Riera, iam Episcopum Chersonensem in Creta.

Civitatensem, Iesum Enciso Viana, iam Episcopum Elusanum.

Barbastrensem, Arthurum Tabera Araoz, iam Episcopum Lyrbitanum.

Geaensem, Iosephum Clementem Maurer, Auxiliarem Exc. P. D. Abelis Isidori Antezana y Roias, Archiepiscopi Pacensis in Bolivia.

Sitifensem, Andream Parenty, Auxiliarem Exc. P. D. Victoris Ioannis Perrin, Episcopi Atrebatensis.

III - RELATIO CAUSARUM

Revmus Cardinalis Clemens Micara, Praefectus S. Congregationis Sacrorum Rituum, impetrata Beatissimi Patris venia, sermonem habuit de vita et miraculis Beatorum Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Traianopolitani, Fundatoris Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. Mariae Virginis et Vincentii Mariae Strambi, Episcopi Maceratensis et Tolentini, e Congregatione Passionis, Confessorum ; necnon Beatarum Mariae Goretti, Virginis et Martyris, ac Mariae Gulielmae Aemiliae De Rodat, Fundatricis Instituti Religiosarum a Sacra Familia, et Mariae Annae a Iesu de Paredes, Virginum : ac recensuit acta quae, in causa Beatificationis et Canonizationis eorumdem Beatorum ac Beatarum, Sacrorum Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admittenda ac approbanda censuit.

Relatione expleta, Ssmus Dominus Noster Revmorum Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivit et singuli Patres Cardinales sententiam suam aperuerunt.

IV - POSTULATIO PALLIORUM

Deinde per Procuratores Postulatio Palli facta est pro Ecclesiis Metropolitanis : *Nominis Iesu* seu *Cebuanae* et *Burdigalensis.*

II

CONSISTORIUM PUBLICUM

Subinde, in eadem aula Consistoriali, fuit *Consistorium publicum* pro solemni peroratione Causarum Canonizationis Beatorum Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Traianopolitani, fundatoris Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. et Vincentii Mariae Strambi, Episcopi Maceratensis et Tolentini, e Congregatione Passionis, Confessorum, necnon Beatarum Mariae Goretti, Virginis et Martyris, Mariae Gulielmae Aemiliae De Rodat, fundatricis Instituti Religiosarum a Sacra Familia et Mariae Anna a Iesu de Paredes, Virginum, i

DD. Aloisius Philippus Re, Camillus Corsanego, Franciscus Xaverius Parisi, Paulus Guidi, Ioannes Baptista Ferrata, Sacrae Consistorialis aulae Advocati, respective retulerunt vitam, virtutes et miracula Beatorum, qui supra commemorati sunt, atque pro canonizatione de more instituerunt.

R. P. D. Antonius Bacci, Apostolicarum Litterarum ad Principes Secretarius, stans a sinistro pontificii Solii latere, DD. Advocatis in genua provolutis Sanctitatis Suae nomine his verbis respondit :

« Si nullo non tempore opportunum est sanctitatis exempla ad imitandum proponere, id addecet omnino Anno vertente Sacro, dum omnes non modo ad nostras proluendas animi labes, sed ad perfectioris etiam vitae formam in nosmet ipsos referendam invitamur. Causae autem, quas presse diserteque, ut soletis, egistis, praeclara in luce collocant excelsae virtutis specimina, in quae si homines intuentur, facere non possunt quin se vehementer excitatos sentiant ad horum Beatorum Caelitum vestigia, pro condicione cuiusque sua, alacriter sequenda.

De sacrorum Antistitibus agitur, qui turbulentissimis viventes temporibus, Dei Ecclesiaeque iura strenuo pectore vindicarunt commissumque sibi gregem per salutis pascua praelucendo allaborandoque duxerunt; ac praeterea de virginibus, quae superno enituere candore ceterisque animi ornamentis mirum in modum praeditae fuerunt; quarum quidem una, facto martyrio, angelicum suae innocentiae lilium profuso cruore sacravit. Multum igitur inde habet saeculum hoc nostrum, quod addiscat, veneretur, imitetur !

Quandoquidem autem iam omnia ad obrussam exacta fuere legitimeque probata, Augustus Pontifex postulationibus hisce vestris libentissime concedit. Cum tamen exoptet ut Apostolicae Sedis hac in re consuetudines atque instituta diligenter serventur, non ante est de singulis causis decretorium prolaturus iudicium, quam in Consistorio, ut aiunt, Semipublico, die XXVII huius mensis celebrando, eos sententiam rogaverit, qui ex translaticio more hac de causa convenerint.

Haec habebam, quae Summi Pontificis nomine auctoritateque vobis significaren! ».

III

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM

Feria secunda, die xxvn mensis Martii a. MCML, in Palatii Apostolici Vaticani consueta Aula, *Consistorium semipublicum* habitum est de Canonizatione Beatorum Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi, Fundatoris Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. *Y.*, et Vincentii Mariae Strambi, Episcopi, e Congregatione Passionis, Confessorum; necnon Beatarum Mariae Goretti, Virginis et Martyris, ac

Mariae Gulielmae Aemiliae De Rodat, Fundatricis Instituti Religiosarum a Sacra Familia, et Mariae Annae a Iesu de Paredes, Virginum.

Huic actioni Beatissimus Pater sic praefatus est :

VENERABILES FRATRES

Causae de Beatis Antistitibus Antonio Maria Claret ac Vincentio Maria Strambi, itemque de Beatis virginibus Maria Goretti martyre, Maria Gulielma Aemilia De Rodat ac Maria Anna de Paredes, in Sanctorum Caelitum numerum adscribendis, tam diligenter apud Consilium sacris tuendis ritibus actae fuere, ut certum omnino iam esse videatur eos sempiterna in Caelis perfrui felicitate, planeque esse dignos quibus sanctitatis honores decernantur. Celebrata praeterea fuere hac eadem super re Consistoria duo; alterum secretum, publicum alterum. Nihil aliud igitur superest, nisi ut ex Apostolicae Sedis more, vos omnes, quotquot hoc in amplissimo consessu adestis, singulos rogemus ut lumen consilii vestri menti Nostrae porrigatis. Faveatis igitur alius ex alio, pro vestrae dignitatis gradu, quid hac in re sentiatis, religiose Nobiscum communicare.

Exceptis adstantium suffragiis, Summus Pontifex haec addidit verba :

Laetamur admodum vos omnes una simul consentientes audire. Sciatis autem Nobis quoque in votis esse quinque hos Beatos Caelites ad summum sanctitudinis fastigium evectos declarare, cum id putemus non modo in Catholicae Ecclesiae honorem esse cessurum, sed christianis etiam cuiusvis ordinis fore valde frugiferum. Siquidem in comperto est id mortalium naturam ferre, ut eos praeclara optimaque exempla facilius ac vehementius ad virtutem trahant, quam ipsa evangelica praecepta.

Cum vero omnia iam rite perfecta sint, quae hisce in causis postulantur, statuimus ac decernimus sollemnes ejusmodi caerimonias per Anni Sacri decursum in Vaticana Basilica, Deo iuvante, peragere. Interea autem ut haec feliciter eveniant et

in Dei gloriam hominumque salutem plurimum conferant, una Nobiscum, Venerabiles Fratres, supplicibus Deo instare precibus ne desistatis.

De quibus omnibus ut acta iuridica conficerent, Dominis Consistorialis Aulae Advocatis rogantibus, adstantibus Protonotariis Apostolicis mandatum de more est.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

SOLLEMNI PASCHATIS DIE INTER MISSARUM SOLLEMNIA IN BASILICA VATICANA HABITA.

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Dum Divinum Redemptorem, de triumphata morte resurgentem, venerabundi hodie commemoramus, illa menti Nostrae succurrit summae sapientiae plena Apostoli gentium sententia, de Christo scribentis : « Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram ».[1] Is nempe suis cruciatibus libenter susceptis ac profuso ad mortem usque sanguine pretiosissimo peccata nostra expiavit, nosque a daemonis servitute redemptus in libertatem restituit filiorum Dei.

Cum autem a sepulcro victor ascendit, non modo Apostolorum ac nostram fidem aluit et confirmavit, non modo exemplo suo ad Caelum una secum nos contendere invitavit, ac glorioso refulgens corpore aliquid nobis ostendit sempiternae assequendae beatitatis, sed plena etiam effudit divina charismata sua, ac constitutae ab se Ecclesiae dedit ut omnes homines, qui traditis praeceptis volentes obtemperaren t, superna gratia enutriret et ad novitatem vitae reduceret. Quamobrem, ut acute lücideque Doctor Angelicus animadvertit, « quantum., ad efficientiam, quae est per virtutem divinam, tam passio Christi, quam resurrectio est causa iustificationis... sed quantum ad exemplaritatem, proprie passio et mors Christi est causa remissionis culpae, per quam morimur peccato; resurrectio autem

[1] *Rom.,* IV, 25.

Christi est causa novitatis vitae, quae est per gratiam, sive iustitiam ».[2]

Nos igitur omnes, qui per elapsos dies, ac praesertim per sacram hebdomadam, Iesu Christi dolores angoresque pio recolentes animo ad eluendas animi labes et ad nostra abolenda peccata peculiari modo excitabamur — quae quidem causa fuere divinae Redemptionis — hodie, in hac superna Paschatis luce effüsaque laetitia, ad illam vocamur redintegrationem renovationemque vitae, ad quam ipsa celebrata mysteria suavissime nos alliciunt. Mysticum Iesu Christi corpus sumus; quo igitur processit gloria Capitis, eo spes vocatur et corporis. « Quomodo Christus resurrexit a mortuis..., ita et nos in novitate spiritus ambulemus ».[3] Ac quemadmodum « Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur »,* ita nos exemplo eius permoti eiusque gratia aliti, non modo deponamus « veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris »,[5] sed etiam « renovemur spiritu mentis nostrae, et induamus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis ».[6]

Haec pulcherrimae Apostoli gentium sententiae hörtationesque paschalibus hisce Anni Sacri sollemnibus peculiarissimo modo opportuna videntur, dum universi terrarum orbis christiani — spiritualibus reseratis Ecclesiae thesauris — non solum ad sua expianda peccata, non tantum ad perfectioris vitae formam revocantur, sed ad efficiendum etiam pro viribus ut ceteri omnes, ablutis culparum labibus ac depositis erroribus praeiudicatisque opinionibus, ad Eum volentes libentesque accedant, qui unus via est, veritas et vita.[7] Animadvertant omnes serenarci esse non posse tranquillitatem animis, non populis, non gentibus, nisi omnia recto illo ordine componantur, qui ex evan-

* *Sum. Theol.,* III, q. 56, a. 2, ad quartum.

[3] *Rom.,* VI, 4.

[4] *Rom.,* VI, **9.**

[5] *Ephes., IV,* 22.

[6] Cf. Ibidem, .23, 24,

[7] Cf. IOA7ÏN., XIV, 6.

gelicis praeceptis oritur, divinaque gratia confirmatur ac refovetur.

Quod Christus Apostolis ait, meditentur: « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis ; non quomodo mundus dat, ego do vobis ».[8]

Quot crimina, quot discordiae, quot caedes ac bella — ut summa cum tristitia experiündo novimus — ex eo profecta sunt, quod homines rectum illud dereliquerunt iter, quod Divinus Redemptor suae lucis fulgore ostendit suoque profuso sanguine sacravit. Ad illud igitur est privatim, publice regrediendüm. Atque intenta considerandum est mente solidam non posse pacem Civitates moderari, nisi primum civium animos temperet ac dirigat. Oportet igitur túrbidos pravosque appetitus fortiter cohibere, illosque obedientes facere rationi, rationem autem Deo divinaeque legi. Hac de re optime quidem, quamvis ethnicus, nos docet summus Romanus orator: ((His... perturbationibus, quas in vitam hominum stultitia quasi quasdam furias immittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque traducere ».[9] Horum autem « maiorum in una virtute posita sanatio est ».[10] Vigeat igitur in animis, efflorescat in domestico convictu, triumphet in civili societate christiana virtus, ex qua solummodo sperare licet illam morum renovationem ac rectam ordinatamque rerum publicarum instaurationem, quae in bonorum omnium est votis. Christus, ut probe nostis, non tantum — quod philosophi faciunt — virtutem nos docet, sed ad eam etiam operose adipiscendam suo exemplo nos admonet, superna gratia sua voluntatem nostram roborando excitat, ac caelestis felicitatis proposito praemio, nos allicit ac permovet. Si eum omnes sequantur, interna illa serenitate frui possunt, quae gaudii perfectio est,[11] etiamsi de-

» IOANN., XIV, 27.

[9] Cic, *TUSO.* HI, c. 11.

" Ibidem, IV, c. 15.

[11] Cf. s. THOM., ***Sum. Theol.,*** I-II, q. 70, a. 3.

beant angustias, insectationes, hominumque iniustitiam tolerare; nam iisdem illud continget, quod Apostolis quondam evenit, qui « ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati ».[12]

Ac praeterea, si reapse omnes hac interna veri nominis pace potiantur, quae divina lege innititur divinaque gratia alitur, tum procul dubio illa etiam, quae est « ordinata concordia »[13] — restinctis odiis, sedatis cüpidinibus, ac meliore divitiarum distributione ex iustitiae caritatisque rationibus peracta — civium ordinibus, populis ac gentibus feliciter oriri potest.

Id Nos a Divino Redemptore, quem hodie e devicta morte resurgentem recolimus, supplicibus imploramus precibus, dum vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, pulcherrima illa Apostoli gentium repetimus verba, huic sollemni diei apprime consona: « G-audete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.[14] Amen.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE TUKUYIJ

(MBEYAËNSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE TUKUYU IN VICARIATUM APOSTOLICUM EVEHITUR NOMINE ((MBEYAËNSEM)).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Merito ad potiorem dignitatis gradum Apostolica Sedes evehere satagit quamvis inter infideles gentes enascentem Ecclesiam, in qua catholica res haud modicum susceperit incrementum.

Quod quidem laeto animo accepimus obtinuisse Praefecturam Apostolicam de Tukuyu in Africa Orientali Britannica per sedulas, Deo favente, Societatis Missionariorum Africae sodalium curas, quibus Missio illa concredita est.

[12] ***Act. Ap.,*** V, 41.

[13] S. ***Ava., De Cw. Dei,*** l. XIX, c. 13.

[14] ***II Cor.,*** XIII, 11.

Itaque, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Apostolicam Praefecturam illam, iisdem servatis finibus, in Vicariatum Apostolicum extollimus, erigimus et constituimus. Quum vero illius Ordinarius in *Mbeya* urbe residere debeat, propterea Vicariatus ipse *Mbeyaënsis* appellatione posthac vocabitur.

Missionarii vero qui usque adhuc illic tam sollerter adlaborarunt, etiam in posterum ibidem adlaborare pergent, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum.

Novo igitur huic Mbeyaënsi Vicariatui Apostolico eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur, eosdemque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel ofiicio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis.

Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, mutationis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesupserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die quartadecima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus.

P. Card. FÜMASONT BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco £ß **Plumbi**

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXVIII, n. 2. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BASILICAE MINORIS DIGNITATE AC TITULO DECORATUR ABBATIALE TEMPLUM FLORIACENSE, IN HONOREM S. BENEDICTI ABBATIS DEO DICATUM, IN OPPIDO ((SAINT-BENOÎT-SUR-LOIRE)) INTRA FINES AURELIANENSIS DIOECESIS EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Flores apparuerunt in terra » : divinitus inspirata haec verba ad ditissimam illam Galliae regionem, Aurelianensem scilicet, apud frugiferam Ligeris fluminis ripam, referri quodammodo possunt, ex quo Sancti Patriarchae Benedicti monachi, saeculo **VII**, prima iecerunt fundamenta parvi « Floriacensis » coenobii, parva itidem addita Cappella, cuius titularis ac Regina Deipara Virgo Maria erat, quam « flores rosarum » et « lilia convallium » circumdantj veluti mystice concinit Ecclesia. Labentibus postea annis humile ipsum coenobium celeberrima illa factum est monachorum domus, apud quam, inde ab eodem tempore, quaedam Sancti Benedicti Ossa, pie studioseque coluntur. Et reapse, mutato nomine Abbatialique quam maxima, saeculo xi, mire exaedificata Ecclesia, splendidissimi humanitatis et caritatis, non minus quam pietatis et sanctitatis, flores ibidem apparuerunt statimque viguerunt, non sine magno animarum emolumento. Ipsi enim monachi et divina liturgia et sacris humanisque litteris, in celeberrimis suis scholis traditis atque in Floriacensis bibliotheca asservatis, et insuper rusticis fabrilibusque operibus « fructus honoris et honestatis » ediderant, nec non sui coenobii, coruscantis sideris instar, lucis radios late diffundere atque alere in finitimis regionibus conteiiderunt atque, impigerrimi Christi milites, numquam destiterunt per saecula contendere. Quibus omnibus inceptis, et spiritualibus et terrenis, fulcimen iugiter fuit, immo et incitamentum, Abbatialis ipsa Ecclesia, quae et ingenti mole et austera romanico-gothica arte confecta, munitissima Fidei arx, optatissimus Spei terminus, indeficiens Charitatis incrementum apud christianum populum illico apparuit constanterque permansit. Cuius historia variis Aurelianensis regionis ac populi, immo et fere totius Galliae, vicissitudinibus comitata est : tot enim eversiones, tot incendia, tot bella, tot haereticorum incursiones passa est Floriacensis Ecclesia, quot et populus illi subiectus, adeo ut arctissima inter monachos et fideles facta sint caritatis vincula. Quibus

gravissimis aerumnis, favente Deo divoque Benedicto opitulante, firmiter superatis, ad denuo aedificandam ac perficiendam affabreque ornandam Ecclesiam tanta alacritate tantoque studio ipsi per saecula adlaboraverunt, ut illa, e propriis cineribus quasi excitata, hominum rerumque iniurias soliditate sua provocare videretur. Quam quidem, anno MCCXVIII consecratam, Sanctus Bernardus a Claravalle suo sanctificavit adventu; Romani Pontifices sua praesentia pluries recreaverunt, suaeque ditaverunt liberalitate et Galliarum Reges, quibus carissima fuit, et nonnulli Abbates Commendatarii, quos inter, peculiaribus artis operibus ibi confectis, memoratu dignus Cardinalis ille a « Richelieu » videtur : proindeque Floriacensis Ecclesia in tantam venerat celebritatem tantamque, tum amplissimo et ornatissimo choro, tum altissima ala mediana, tum denique antiquissima crypta, omnium admoverat admirationem. Quibus ceterisque artis ornamentis mystica quaedam semper addita est oblectatio, quae animos ad caelestium rerum contemplationem tam dulciter suaviterque etiam nunc allicit, ut e longinquis quoque provinciis Christifideles, peregrinantium more, innumeri, Sancti Benedicti Reliquias veneraturi, pie sancteque illuc convenerint hodieque conveniant. Hisce denique nostris temporibus, anno praesertim MCMXLVII, quarto decimo nempe revoluto saeculo a beato Benedicti transitu, ad pristinum splendorem, Benedictinis Monachis post nefariam Gallicam eversionem tandem restituta, plaudentibus omnibus, Ecclesia ipsa revocata fuit. Quae cum ita sint, Dilectus Filius Emmanuel Caronti, Congregationis Casinensis a primaeva observantia O. S. B. Abbas Generalis, nomine proprio Consultorumque suorum, nonnullis Galliae Abbatibusque annuentibus ac plaudentibus, enixas Nobis adhibuit preces ut memoratam Floriacensem Abbatialem Ecclesiam ad dignitatem Basilicae Minoris benigne evehere dignaremur. Nos porro, insignibus pietatis, historiae artisque operibus, quibus ipsa prae ceteris eminet atque pollet, attente consideratis, exoptantes insuper ut magis magisque in dies spirituales a Christiano populo colligantur fructus, huiusmodi vota excipienda libenti censuimus animo. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Floriacensem Ecclesiam Abbatialem, Deo in honorem Sancti Benedicti Abbatis dicatam, atque in oppido « Saint-Benoît-sur-Loirë » v. nuncupato in Gallia positam, intra Aurelianensis dioeceseos fines, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privi-

legiis et iuribus quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Iulii, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis.

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

II

SANCTUS MICHAEL ARCHANGELUS PRAECIPUUS APUD DEUM PATRONUS TOTIUS ITALICAE PUBLICAE DISCIPLINAE AC SECURITATIS TUENDAE ADMINISTRATIONIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Providentissimi Dei est, prout ipsa humana docet ratio et sacris confirmatur Chartis, mundum legibus regere et iustitiam ita inter homines inferre, ut boni malis arceantur, mali vero, custoditi, atque observati, sollicitat^ numquam tamen libertate sua destituti, boni fiant, utque contingat « omnes homines salvos fieri», sic revelante Deo. De quo perenni bonum inter et malum dirimendo certamine Omnipotens Deus Sancto Michaeli Archangelo mandavit, cuius nomen « quis ut Deus? », sonat ac « fortitudinem Dei)> exprimit et denotat. Ipsi enim, qui Angelicae militiae Dux ac Princeps est a Deo constitutus, tenebrarum Principi ac satellitibus eius resistere commissum fuit, tum eundem aeternum Dei inimicum e caelesti Paradiso expeliendo et in profundum coniiciendo Infernum, tum Mulierem illam, quae « amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim » in Apocalypsi apparet, non sine immani pugna defendendo, tum denique « animas suscipiendas » in Caelum strenue fortiterque servando, ad maiorem Dei gloriam. Haud aliter, ut bona

et ordinata dici possit atque caelesti Regno similis, accidit, in terrestri hac Civitate, in hominum scilicet societate, quae, ad iustitiam fovendam tuendosque bonos, robore ac fortitudine indiget legumque praesidiis fulcitur. Nil mirum proinde quod publicae disciplinae in Italia Praepositi, grave impensumque pro communi bono civiumque utilitate militum onus attente considerantes atque de eorum physica et spirituali tutela quam maxime solliciti, Sanctum Michaelem Archangelum publicae securitatis gerendae apud Deum Patronum iugiter habuerint. Solent enim christiani Exercitus, ex vetusta ac laudabili consuetudine, Summis Pontificibus faventibus et confirmantibus, caelestes Patronos, qui in adversis rebus, immo et in periculis, omnes et singulos tueantur illisque exoptatam tribuant victoriam, sibi deligere atque adsciscere. Quos inter nullus, publicae securitati servandae aptior et magis consentaneus apparuit, quam caelestis ille Angelicae Cohortis Princeps, Michael nempe Archangelus divina contra « tenebrarum potestates » cum sit fortitudine praeditus. Quae cum ita sint, Venerabilis Frater Carolus Albertus Ferrerò di Cavallerleone, Archiepiscopus titularis Trapezuntinus, Ordinarius Militaris pro Italia, supra memorata vota excipiens, quo magis publicae disciplinae ac securitatis tutorum, sive Optimatum sive militum, spirituali bono ipsorumque contra civilium legum detractores praesidio consulatur, enixas Nobis preces adhibuit ut Sanctum Michaelem Archangelum totius publicae securitatis tuendae Administrationis caelestem Patronum benigne declarare dignaremur. Nos porro, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigia prementes, ad augendam illorum, quos supra memoravimus, pietatem, ipsosque superno munimine et auxilio roborandos ac defendendos, huiusmodi votis precibusque annuendum per libenti censuimus animo. Qua propter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, *Sanctum Michaelem Archangelum praecipuum* totius Italicae publicae disciplinae ac securitatis tuendae Administrationis *apud Deum Patronum* declaramus, facimus ac constituimus, omnibus et singulis liturgicis privilegiis atque honoribus adiectis, quae praecipuis Coetuum Patronis caelestibus rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime

suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Septembris, in festo Sancti Michaelis Archangeli, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

III

BEATA VIRGO MARIA, ((VIRGO FIDELIS » APPELLATA, TOTIUS MILITARIS ITALICI COETUS, QUEM ((ARMA DEI CARABINIERI)) VOCANT, PATRONA CAELESTIS PRAECIPUA DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Veteres Europae exercitus, Christiana exardescente Fide eademque afflante, omnes virtutes, militum animos ad humanioris vitae cultum fortiter suaviter que eff or mantes, impense coluisse, nemo est qui ignoret. Quas inter, tamquam fundamentum ac principium, iugiter eminuit fulsitque constanter illa Fidelitatis virtus, per quam, Principi patriisque institutis arcte se voventes, milites ipsi suum proprium bonum communi postponere liberaliter scienterque malunt. Nec perditam aut obliteratam hisce vel nostris temporibus existimamus hanc Fidelitatis rationem ; eademque, labentibus annis gravissimisque cum bellicis tum civilibus exortis eventibus eversisque saecularibus Institutis, integra ac firma in Patriae bonum et securitatem militum mansit Fidelitas. Fulgentissimum autem huius virtutis strenue praebuerunt exemplum Italici a publica tutela Milites, vulgo « Carabinieri » nuncupati, quippe qui, inde ab anno MDCCCXIV in Pedemontana regione ad tuendam Civitatem contra novatorum eversiones sapienter instituti, illud gentilicium dictum, quod « Nei secoli fedele)) lingua sonat Italica, accepissent observanter fideliterque servaverint. Quo vero, inter tam varias rerum hominumque historicas vicissitudines, memorati Milites constantiores in munere permanerent eorundemque praecipua Fidelitatis virtus Altissimo Deo magis magisque inhaereret,

sacerdotes iisdem militibus addicti, Ordinario Militari pro Italia cohortante ac praeeunte, erga Beatissimam Deiparam Virginem Mariam, cui titulus « Virgo Fidelis », prout in Lauretanis Litaniis invocatur, impensam excitarunt pietatem. Qua profecto, haud sine spirituali emolumento, in ipsorum militum contuberniis per tabulas cum sculptas tum pietas elucente, Venerabilis Frater Carolus Albertus Ferrerò di Cavallerlèone, Archiepiscopus titulo Trapezuntinus, Ordinarius Militaris pro Italia, quem supra laudavimus, Romae, superiore anno, festo die Praesentationis Beatae Dei Genitricis Virginis Mariae in Templo, ipsam Virginem Mariam, cui nomen « Virgo Fidelis », tamquam eorum caelestem Patronam sollemniter proposuit ac declaravit. Primo autem elapso anno, supremi eiusdem Militiae Ductoris una cum Curionibus ceterisque Ductoribus, Optionum nec non omnium Militum enixis obsecundans votis, Praesul idem impensas Nobis deprompsit preces ut in Itálicos Milites « Carabinieri » vulgo appellatos, Marialem hanc tutelam seu Patronatum benigne confirmare riteque declarare dignaremur. Idem insuper Antistes precibus Nos adiit ut, tum summae Mariae Virginis Deo devotionis, tum quoque eorundem Militum Cohortis, quae, novissimo per Africae etiam Orientalis plagas bello saeviente, supremo vitae sacrificio in loco « Qulqabert », eodem die, tota occubuit, ad memoriam pie sancteque recolendam, eo ipso die xxi mensis Novembris hoc festum quotannis liceret celebrari. Quibus omnibus mature perpensis, ne tanta Due torum Militumque pietas congruenti careat praemio, immo ad ipsam fovendam magisque in dies erga Deum Eiusque Matrem augendam, ita ut unusquisque eorum, prout eadem Virgo Maria in suis tabulis indicare videtur, Deo Patriàeque sit « fidelis usque ad mortem », huiusmodi vota precesque excipienda libentissime censemus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam, cui « Virgo Fidelis» titulus adicitur, totius Militaris Italici Coetus, quem « Arma dei Carabinieri d'Italia » vocant, praecipuam apud Deum *Caelestem Patronam* confirmamus, constituimus ac declaramus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis Coetuum Patronis rite competunt, addita insuper facultate eiusdem festum in memoratorum militum contuberniis quotannis, die xxi mensis Novembris, celebrandi. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac per-

manere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere.; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Novembris, anno MCMXLIX, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

IV

VENERABILIS DEI FAMULA PAULA ELISABETH, IN SAECULO CONSTANTIA CERIOLI VIDUA BUZECCHI-TASSIS, INSTITUTI BERGOMENSIS A SACRA FAMILIA FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Dei sapientiam valde a mundi prudentia abesse Gentium Doctor et Apostolus nos edocet, ad Corinthios primo scribens : « Sapientia... huius mundi, stultitia est apud Deum», et paulo antea: «Verbum... crucis pereuntibus quidem stultitia est; iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est»; quod quidem ad Venerabilis Dei Famulae, cui Caelitum honores hodie sollemniter tribuere decrevimus, mirabilem vitam et bene facta referri sane videtur. Quae diligenter inspicientibus aperte clareque apparet quam alta in memoratis eisque divinitus inspiratis verbis lateat veritas : Deus solus fuit qui, praeter hominum exspectationem per ásperas huius mundi semitas illius animam, ipso solo Deo imbutam ardentique claustralis vitae desiderio incensam, provide duxit multisque tentavit cruciatibus, antequam verae eiusdem divinae vocationis panderet viam; Deus insuper solus innumerabiles divitias, in unum iure hereditatio ab Ea congestas, in bonum animarum aeternaeque salutis opera sapienter convertit; Deus solus tandem per inexplicabile diuturnumque Suae Famulae sacrificium tot pueros puellasque, parentibus misere orbatos, salutifero affecit gaudio. Divina haec

ratio atque opera, magis elucent fiuntque clariores, si Venerabilis Dei Famulae, de qua hodie agitur, res gestas cum Sanctae Ioannae-Franciscae Frémiot de Chantal vita accuratius comparamus : utraque stirpis nobilitate praedita; utraque prius oboedientia sponsa ac dein sancta viduitate conspicua; utraque denique, spiritu et exemplis Sancti Francisci Salesii edocta, religiosarum sodalium Fundatrix. In Insubriae autem oppidulo vulgo ((Soncino », intra Cremonensis dioecesis fines posito, sed Bergomensi agro propinquiore, anno supra millesimum octingentesimo decimo sexto, die duodetrigesima mensis Ianuarii, in pervigilio Sancti Francisci Salesii festivitatis, nata est Constantia e Comitibus Francisco Cerioli et Francisca Corniani, ipsaque die lustrali ac salutifera aqua abluta. Octavum agens annum, ad sacramentum Paenitentiae, plurimis pie effusis lacrimis, et paulo post ad Confirmationem et ad sacram Synaxim primum accessit, tanta pietate et puritate nec non demissi animi moderatione, ut Angelus videretur. Exinde, in paterna prius domo deinde in optimo monialium a Visitatione monasterio oppidi « Alzano Maggiore », in Bergomensem finibus, conformata sanctis exemplis et edocta institutis, « exsultavit ut gigas ad currendam viam » sanctitatis, quam post octo annos, studiorum curriculum feliciter emensa atque ad parentes revocata, numquam dereliquit. Quae vero tantas in corde suo disponebat spirituales ascensiones, ea, gratia Dei praeventa, oboedientiae victimam et hostiam se vovit, quum parentes Eius ad matrimonium aetate omnino impar Ipsam adegerunt. Quod si idem coniugium, sive ob nimis provectam viri aetatem eiusque magis in dies tenuiorem valetudinem, sive ob immaturam trium liberorum mortem, stultitia humanae potuit videri prudentiae, tamen apud Deum tantos edidit sanctimoniae fructus, tam heroice probavit virtutes, tantas denique attulit divitias easdemque in bonum animarum vertit, ut, Deo sic disponente, supernum appareret consilium, potius quam hominum commodum, seu arbitrium. Anno autem millesimo octingentesimo trigesimo quinto, Constantia Cerioli, undevicesimum annum agens, matrimonio iuncta fuit nobili viro Caietano Buzecchi-Tassis, senescenti viduo et universali heredi Teresiae Tassis Comitissae. Tres progenuit filios, iuvenili tamen aetate morte interceptos, quorum vero primus, Carolus, moribus ac pietate spectatissimus, usque ad decimum sextum aetatis annum vixit et, instante iam morte, novam maternitatem spiritualem eamque fecundissimam matri praedixit. Neque secus evenit. Namque, demortuo fere post vicesimum matrimonii annum coniuge, qui ei cunctas fortunas reliquit, Venerabilis Famula Dei, Petro Aloisio Speranza,

Episcopo Bergomensi, bo. me., hortante, magnum opus pro ruricolis puellis prius, postmodum pro pueris etiam, parentibus orbatis, in pago « Oomonte » domi suae alendis et instituendis, nonnisi Deo confisa, humiliter sapienterque inchoavit. Exinde, emissis, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo septimo, coram eodem Episcopo, tribus votis sibique impositis Paulae Elisabeth nominibus, sanctimonialis facta est et Instituti Bergomensis a Sacra Familia Fundatrix et Magistra. Voluit enim, afflante Deo, ut tum Sorores tum puellae puerique ad pietatem ac mores Nazarethanae Familiae conformarentur ; voluit, Sancti Francisci Salesii suavitatem prae se ferens, ut omnes, rusticam agentes vitam, ad Deum magis magisque amandum et colendum per moverentur ; voluit insuper, haud aliter ac monastica vivendi ratio antiquissima, ut omnes « laborem », a pia « orandi » consuetudine numquam seiunctum, impense diligerent. Quibus inhaerens doctrinis, plurimis superatis difficultatibus, Instituti ((Regulam » seu « Directorium » perscripsit, quod Bergomensis Episcopus et Apostolica Sedes postea probaverunt. Gemina inde promanava sodalitas, utraque ab Ipsa Dei Famula condita, altera pro puellis, pro pueris altera, quorum omnium Mater fuit ac spiritualis Parens. Attamen brevi tempore utramque est moderata : laboribus fracta potius quam aetate, ad extremum vitae ducta est. Die vicesima quarta mensis Decembris, anno millesimo octingentesimo sexagésimo quinto, quinquagesimo aetatis anno nondum expleto, in Bergomensi pago « Oomonte », supremum diem obiit, pieque purissimam animam Deo reddidit. Sancta, nulla interposita mora, habita fuit, non solum a Sororibus suis et a pueris, sed etiam ab Episcopo Bergomensium, a Sacerdotibus et ab universo populo. Cum autem memoria Paulae Elisabeth Cerioli eiusdemque sanctitatis fama, Ipsa demortua, temporis decursu magis magisque in dies percrebrescerent, processibus ordinariis in Bergomensi Curia initis et de more confectis, penes Sacrorum Rituum Congregationem de Beatorum Caelitum honoribus Ipsi Servae Dei decernendis Causa agitari coepta est, ita ut, die decima quarta mensis Maii, anno millesimo nongentesimo undevicesimo, Benedictus Pp. XV, Decessor Noster, fel. rec, Introductionis Causae Decretum manu propria obsignaverit. Inquisitionibus iudicialibus Apostolicis in Famulae Dei vitam resque gestas ad Iuris normam expletis, ceterisque omnibus rite absolutis, Nosmet Ipsi, Decreto die secunda mensis Iulii anni millesimi nongentesimi undequadragesimi edito, Venerabilis Famulae Dei virtutes heroicum attigisse fastigium sancivimus. De duobus miraculis postea, quae, Ipsa intercedente, a Deo patrata ferebantur, quaestione suscepta, Decreto

edito die vicesima septima mensis Novembris superiore anno, Nos Ipsi de eorum veritate constare auctoritate Nostra declaravimus. Cum igitur esset de virtutum heroicitate deque miraculis prolatum iudicium, illud tantum supererai discutiendum, utrum Venerabilis eadem Dei Famula inter Beatos Caelites tuto recensenda foret. Hoc vero dubium propositum est a Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, hodierno Causae Relatore, in Comitiis Generalibus, quae coram Nobis, die sexta mensis Decembris proxime elapso anno, habita sunt; omnesque qui aderant cum Patres Cardinales tum Sacrorum Rituum Officiales Praelati et Consultores unanimi consensu affirmative responderunt. Nos vero in tanti momenti negotio Nostram aperire mentem distulimus, donec a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die undecima mensis Decembris, Dominica tertia Sacri Adventus, anno millesimo nongentesimo undequinquagesimo, Eucharistico Sacro rite litato, accitis Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto itemque Causae Relatore seu Ponente, atque Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulari Archiepiscopo eiusdemque Congregationis a secretis, nec non dilecto filio Salvatore Natucci, Sanctae Fidei Promotore Generali, auctoritate Nostra Apostolica, *Tuto* procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famulae Paulae Elisabeth Cerioli, Viduae Buzecchi-Tassis, Beatificationem ediximus. Quae cum ita sint, Instituti Bergomensis a Sacra Familia ab eadem fundati, nec non Episcopi, Cleri et fidelium Bergomensis dioecesis vota implentes, praesentium Litterarum vi atque Apostolica Nostra auctoritate, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Paula Elisabeth Cerioli, Vidua Buzecchi-Tassis, *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, eiusdemque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam eiusdem Beatae Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de Illa quotannis recitetur Officium de Communi non Virginum cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum Orationibus propriis per Nos pariter approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in Cremonensi dioecesi, ubi Beata Ipsa orta est, et in dioecesi Bergomensi, in qua supremum diem obiit ; itemque in templis ac sacellis ubique terrarum sitis,

quibus Institutum Bergomensem Sacra Familia utitur, ab omnibus fidelibus qui horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, ab omnibus Presbyteris ad templa seu sacella memorata, in quibus Beatae eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Paulae Elisabeth Oerioli, Viduae Buzecchi-Tassis, servatis servandis, in supradictis templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus quibuslibet Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis. Volumus- autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint, atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus eadem prorsus fides adhibeatur quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xrx mensis Martii, Dominica quarta in Quadragesima, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

EPISTULAE

I

AD **REVMUM P. EPHRAEM BLANDEAU, HOSPITALARII ORDINIS A S. IOANNE** DE **DEO MODERATOREM GENERALEM, QUARTO ELAPSO SAECULO AB OBITU EIUSDEM ORDINIS CONDITORIS.**

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quattuor ante saecula, cum Conditor vester iam morti proximum se sentiret, vehementi caritate permotus ex lectulo surgens et in genua procumbens, Divini Redemptoris e cruce pendentis imaginem anhelanti pectori obstrinxit; atque, ita positus, placidissimo obitu ad Superum sedem evolavit. Tum, ut nostis, Ordinis vestri fundamenta tantummodo iacta

erant ; atque exigua, quae supererat, sodalium manus, tanto orbata parente, animum desporidére visa est. Atsi hominum incepta in adversis rebus saepenumero^ labant, atque interdum etiam misere corruunt, quae tamen sunt opera Dei, ut eius afflatu excitata fuere, ita praesentissimo auxilio eius suffulta, difficultates omne genus evincunt, novaque incrementa suscipiunt. Hoc, quod in universum Catholicae Ecclesiae historia monet, Ordinis quoque vestri annales luculenter docent. In praesens enim religiosa societas, quam Ioannes de Deo condidit, divina caritate alita feliciter succrevit, ac multarum Nationum fines praetergressa, magno cum miserorum atque aegrotantium solamine iam late se propagavit. Addecet igitur vos hodie, hoc eventum quater saeculare celebrantes, immortales Deo ob tot tantaque accepta beneficia grates agere; addecet praeclara Conditoris vestri exempla mente pia recolere, ut inde capiatis auspicia impulsionemque ad flagrantissimum eius in vosmet ipsos referendam caritatem ad eiusque benefica provehenda incepta. Ad christianam assequendam exercendamque virtutem non levia habuit ex indole ipsa sua, ut probe nostis, impedimenta, non paucas difficultates ; debuit ipse quoque cotidiano nisu acerrimaque contentione sibi eam comparare : ita quidem ut, superna aspirante gratia adiutus atque invicta voluntate permotus, citatiore usque gradu progrediens, ad excelsae sanctitatis culmen perveniret; atque ita conformatus, quasi aegrotantium pauperumque angelus summa cum omnium admiratione efficeretur. Nostis pari modo qua suavi ratione omne genus miseriarum, infirmitatum angustiarumque pro viribus relevare contenderit. Ut erat nempe superno amore compulsus, non corporum solummodo morbis medebatur, non panem tantummodo famelicis, vestem nudis ac pannosis, hospitalem domum senibus ac derelictis, quantum poterat, largiebatur, sed eorum etiam animis caelestem lucem ac divina impertiebat solacia, eosdemque ad spem erigebat aeternae potiundae beatitatis. Hoc vobis sacra veluti hereditate reliquit. Contendite igitur imprimis, quod non dubitamus, ut vosmet ipsos christianis illis virtutibus exornetis, quibus Conditor vester tantopere enituit; ita enim poteritis, ut vobis profecto persuasum est, ceteris quoque prodesse, atque corpora non modo, sed animos etiam salutariter curare.

Haec sunt vota, dilecte fili, haec paterna omina, quae Nos, saecularium horum sollemnium opportunitatem nacti, pro vobis facimus, ac Deo supplicibus adhibitis precibus efficienda commendamus. Ac putamus vos Sacrum a Nobis indictum Annum nullo aptiore modo posse

transigere, quam si, ut fore confidimus, Ioannis de Deo Patris vestri exempla praeclarissima alacriore cotidie voluntate imitemini.

Caelestium interea munerum conciliatrix esto peculiarisque benevolentiae Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam cum tibi, dilecte fili, cunctaeque religiosae sodalitati tuae, tum iis omnibus, qui in valetudinariis in ceterisque hospitalibus domibus sunt curis vestris concrediti, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Februarii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. CAESAREM BUCCOLERI, ARCHIEPISCOPUM MUTINENSEM : ALTERO EVOLUTO SAECULO AB OBITU LUDOVICI ANTONII MURATORI.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Duobus elapsis saeculis, ex quo Ludovicus Antonius Muratori hac ex mortali vita ad aeternam migravit, non modo Vineola, oppidulum suum, non modo Mutina atque Italia omnis, non modo quotquot humanae doctrinae splendorem, una cum virtutis nitore coniunctum, reverenter, tanti viri memoriam celebrare cupiunt, sed maiore etiam titulo Catholica exoptat Ecclesia, quae sacerdotem suum dignissimum ad tam excelsum gloriae verticem communi aestimatione evectum laetabunda cernit. Is aetatem suam omnem ad extremam usque senectutem in veritatem indefatigabili labore pervestigandam insumpsit, probe noscens quidquid veri indagando attingitur, id veluti quoddam divinae mentis vestigium esse.

Atque historia praesertim « magistra vitae, nuntia vetustatis x> (Cic, *De Orat.* II, 9) eum habet tam studiosum, sagacem diligentemque cultorem, ut novam reapse videatur hanc in gravem disciplinam rationem induxisse ad criticae artis normas severiore modo accommodatam. Plurima nempe antiquitatis scripta, quae in variis Italiae tabulariis vel omnino ignota ac neglecta, vel paucis tantummodo cognita iacebant, sedulo studio transcripsit, perspicaci iudicio notavit, atque in consonam seriem redacta typis edidit. Itaque ingentibus guttembergia arte operibus laboriose in lucem proditis, quibus tituli praeponuntur: « Rerum Italicarum scriptores », « Antiquitates Italicae medii aevi », « Novus thesaurus veterum inscriptionum » atque « Trattato delle antichità Esten-

si)) ; <(ad res vicesque Italicas illustrandas tantam vim eongessit monumentorum, ut nemo maiorem » (Leo XIII, Epist. *Saepenumero considerantes*, A. L., vol. III, pag. 269). Ex quorum quidem litterarum monumentorum fontibus uberes ipse imprimis latices hausit, quibus enutritus et alitus Italiae Annales vulgari eloquio conscripsit, opus sane magna laude dignum. Hisce autem in condendis tantae molis aedificiis, illas sibi proposuit normas, ac, quantum humana mens humanumque iudicium possunt, sedulo observavit, quas summus Romanorum orator hoc in genere rerum tradidit ; hoc est « primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat ; deinde ne quid veri non audeat, ne quae suspicio gratiae sit in scribendo, ne quae simultatis » (Cic, *De Orat.* II, 15). Severam siquidem animi indolem a natura sortitus, eam altioribus studiis, quae tantopere adamabat, diu noctuque vacans, severiorem etiam reddidit; ac, quemadmodum veritati, quae ei illuceret, eam apertam habebat, ita erroribus, fallaciis, assentationibus clausam. Potuit igitur hoc modo temperatum eius ingenium, sicut possunt mortales omnes, falli ac decipi; attamen a veri adulteratione, quam cognovisset, omnino abhorruit. Hac eadem de causa a turgida illa scribendi ratione refugiebat, tum invalescente, atque ab ampullis, a calamistris, a sexquipedalibus verbis, quae saepius in usu erant; ac sibi stilum, seu scribendi genus, efiinxit quasi nudum, sed pressum, sed validum, sed perspicuum. Quamobrem facile evenit ut eius fama per Italiam ac subinde per Europam late manaret atque in dies percrebresceret, utque doctissimi viri ex variis Nationibus cum eodem epistularum commercio uterentur ; quae quidem epistulae, ab eo datae, ac res multiplices pertractantes magnae saepenumero gravitatis, in quattuordecim distributae volumina iam in lucem prodiere.

Ex hac autem rerum gestar um scribendi ratione, a Ludovico Antonio Muratori invecta, non pauci illius temporis scriptores sumpserunt exemplum ; atque alia multa ex tabulariis hauserunt documenta, quae quidem docte commentati sunt. Ac si postea, ob subsequentes publicarum rerum conversiones, huius generis studia haud parum remiserunt, cum tamen saeculo xix iterum florere coeperunt, qui in ea incubuere auctores, quasi visi sunt renascenti Muratorianae arti se coniungere.

Quodsi Noster historica potissimum arte refulget, fere nulla tamen divina vel humana disciplina apertae atque versatili eius menti latuit, fere nulla ignota fuit; in omnesque incubuit diligentissime.. Itaque de rebus etiam theologicis, philosophicis, moralibus, iuridicis ac vel physicis libros edidit non sine laude; atque ut erat sacerdotali animo prae-

stans ac vivida pietate flagrans, de liturgia etiam egit ac de divino cultu in populo provehendo moderandoque. In sacris tamen disciplinis, quamvis non communi esset doctrina praeditus, opinationes quasdam interdum patefecit, quae quidem minus rectae visae sunt. Verumtamen, cum esset Apostolicae huic Sedi addictissimus, non semel asseveravit quidquid Iesu Christi Vicarius hac in re decrevisset, se prona fronte demissoque animo accepturum fore. Siquidem, ut ipse scribit: «Certi... iudices catholicae doctrinae sunt Romani Pontifices » (« *De ingeniorum moderatione* », 1. 1, c. XII) ; atque adeo « Romano Pontifici, aliquod decernenti dogma, credendum est » *(Ibidem,* 1, I, c. XVIII). Atque aperte praeterea professus est, si aliquid ex auctoritate Summi Pontificis in suis esse scriptis censura dignum novisset, id se fore demisso promptoque animo emendaturum (Cf. *Epistolario di L. A. Muratori, edito e curato da Matteo öampori,* vol. XII, lett. 6017, pag. 5549). Decessor autem Noster imm. mem. Benedictus XIV « nomen Ludovici Antonii Muratori adhuc viventis, multorum librorum communi plausu receptorum editoria » commemorans (Epist. *Dum praeterito mense,* d. d. 31 iul. 1748), postquam nonnullas eius opiniones reprehendit, haec quae sequuntur adiungit : « Quot Nobis ab aemulis et accusatoribus oblata sunt! et Nos usque adhuc abstinuimus, et abstinebimus ab operum condemnatione » *(Ibidem).* Noverat siquidem doctissimus ille Pontifex dignissimum eum fuisse sacerdotem ac numquam a catholicae integritate fidei et morum deficere voluisse ; quamobrem non modo eum magna prosequebatur aestimatione, sed paterna etiam caritate diligebat (Cf. Epist. *Dilecto Filio Ludovico Antonio Muratori,* d. d. 25 Sept. 1748 : « *Il fatto è il seguente »).*

Quamvis autem multa ac gravia Ludovici Antonii Muratori opera latino sint sermone exarata, non pauca tamen cuiusvis generis scripta edidit italico eloquio expressa. Idque eo consilio fecit, ut facilius ac latius sanam eruditionem evulgaret ac rectam educationem pietatemque omnibus commendaret.

Placet praeterea Nobis non modo summi huius rerum gestarum scriptoris hac saeculari eventus faustitate una vobiscum celebrare laudes, sed aliquid etiam attingere, quod non minore luce eius ex animo refulget. Fuit nempe sacrorum administer moribus integerrimus, pietate conspicuus, atque apostolico studio tam ardens, ut, quamvis tot tantisque esset laboribus distentus, gregis tamen sibi demandati curam ageret diligentissime. Humili loco natus ac christianae largitatis ope humanis litteris sacrisque disciplinis eruditus, deinceps vero ad tam excelsum evectus gloriae apicem, nihil antiquius, nihil dulcius habuit quam cum

popularibus suam communicare sapientiam eorumque paupertatem relevare doloresque lenire. In parva sibi credita curia, seu paroecia, Congregationem condidit a caritate, ut indigentium necessitatibus pro facultate occurreret; atque aliam etiam Sodalitatem constituit Spiritualibus cleri Exercitiis provehendis, cum probe nosceret quantopere id ad sanam ac salutarem conferret sacerdotalium animorum conformationem. Curiales aedes partim reiecit, partim funditus instauravit, ac sacra ditavit supellectili. In Christianis praeceptis populo impertiendis atque explanandis adsiduus fuit; ac rectam potissimum puerorum et adulescentium institutionem sedulo curavit. Quotiescumque aliquis e suo grege graviter aegrotabat, eius ad lectum quasi angelus solator erat, eiusque animum non modo sacris reficiebat charismatis, sed ad spem etiam caelestis potiundae patriae suavissime erigebat. Res profecto erat admiratione digna virum cernere, fama per Italiam ac per Europam celeberrimum, ac tot tantisque laboribus districtum humilis sacerdotis munere actuose diligenterque fungi, ex eoque solacia quaerere quam ex adamatis litterarum studiis maiora. Eum igitur, apud vos praesertim, debitis commemorare laudibus opportunum omnino est; cernent siquidem omnes quantum possit humanum ingenium, firmae voluntati ac virtuti coniunctum, ad veritatem pervestigandam conferre et ad patrias redintegrandas glorias; cernent sacrorum administri quantopere oporteat sanctitati morum optimarum etiam artium ac doctrinarum studia coniungere.

Quamobrem haec saecularis commemoratio vestra, ut fore confidimus, non inanis res erit, sed, dum Ludovici Antonii Muratori promerita praeclarissima in sua luce ponet, omnium animos ad lectissima illa proposita commovebit, que Religioni sint Patriaeque honori et decori.

Haec habebamus, quae amantissimis tuis litteris rescribentes tibi tuisque significaremus ; atque interea caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi, Venerabilis Frater, tum universo gregi tuis curis concredito Apostolicam Benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xv mensis Februarii, anno MDCCCCX„ Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVMUM P. D. MAURUM DE CARO, SANCTISSIMAE TRINITATIS CAVENSIS ABBATEM, NONO IMPLETO SAECULO AB OBITU S. ALPERII ABBATIS.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ex litteris obsequentissimis didicimus, abs te haud ita pridem datis, vos percupere vehementer nonum exactum saeculum digna commemoratione celebrare, ex quo S. Alterius Abbas, Cavensis istius coenobii conditor, post vitam virtutibus omnibus enitentem ad extremam usque senectutem deductam, ad sempiternam evolavit beatitatem. Laudamus consilium a vobis initum, quod frugiferum quidem putamus ; atque eiusmodi volentes faustitatem vestram aliquo modo participare, haec libenter rescribimus, quae grata vobis omnibus fore confidimus. Vobis siquidem eximia Sancti huius Abbatis promerita praeclaraque exempla intento considerantibus animo, non una vox, non una monitio occurret, quibus impulsi ac permoti, ad evangelicam illam perfectionem, quam ex instituto vestro assequendam spopondistis, salutariter vos excitatos sentiatis. Is nempe nobili loco natus, civilia primum munera non sine laude suscepit ; at cum a Salernitano Principe nuntius ad Imperatorem missus esset, atque ex itinere in gravem incidisset morbum, superna luce collustratus ac divino quodam instinctu ductus, se saecularia relinquere seseque totum Deo mancipare pollicitus est. Itaque Cluniacum contendit, ac S. Odilonis Abbatis disciplinae se tradidit; cuius quidem ductu « coepit... magnis desideriis superna quaerere, qui solebat ingenti studio strenuus pro temporalibus apparere. Saeculum tota intentione fugiens, iii brevi tempore adeo profecit, ut ad sanctae conversationis arcem pertingeret, et culmen perfectionis magnis laborum meritis obtineret » (Hugo Venusinus Abbas, *Rerum Italicarum scriptores,* Nuova ediz. tomo VI, parte V, Bologna 1941, pag. 6). Hisce conformatus virtutibus in patriam revertit, ac mundi strepitum fugiens, in Metellianae vallis montes se abdidit, ibique Cávense coenobium condidit « solus soli Deo vacans, solique placere desiderans » (Ibidem). Eius sanctitatis fama permoti multi cuiusvis ordinis viri huius vitae institutum libenter ingressi sunt ; in quibus non pauci fuere — ut Decessor Noster s. m. Beatus Victor III — singulari virtute ac doctrina conspicui. Itaque divinarum non modo rerum contemplationi deditus, sed apostolico etiam studio flagrans, is auctor fuit ut multi ex erroribus vitiorumque illecebris ad rectum iter et ad

christianam assequendam perfectionem caelesti aspirante gratia adducerentur. Ad humanum igitur exitum pervenit meritorum plenus; eiusque obitus potius quam mors, initium verae vitae fuit.

Vos quoque, ut probe nostis, saeculo vivitis, quod evangelica morum renovatione haud minus indiget quam illud, quo S. Alferius, conditor vester, vixit. In eum igitur studiosi intueamini, in eiusque praeclara exempla. Primum eius virtutem in vosmet ipsos sedulo diligenterque referatis; deinde vero contendite alacriter, pro vestra cuiusque parte, ut ceteros etiam, quotquot potestis, ad sanctioris vitae proposita actuose exsequenda excitetis. Haec sunto, ut paterno ominamur precamurque animo, saecularium horum sollemnium saluberrimi fructus.

Volumus praeterea ut vobis ne desit, hanc faustitatem celebrantibus, aliquod benevolentiae Nostrae testimonium ; quamobrem tibi damus ut semel, quo die malueris, sacris pontificali ritu operatus, adstantibus nomine Nostro benedicas, plenam eisdem indulgentiam concedens, statutis condicionibus lucrandam, et ad Apostolicae Constitutionis normas « *Fore confidimus* », n. VII, d. d. decima mensis Iulii, anno MDCCCCXLIX.

Caelestium autem gratiarum auspicem Nostraeque caritatis testem, tibi, dilecte fili, monachis atque alumnis coenobii istius, cunctisque dicioni tuae concreditis Apostolicam Benedictionem libenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxiv mensis Februarii, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

IY

AD EXCMUM P. D. ANGELUM IOSEPHUM RONCALLI, ARCHIEPISCOPUM TIT. MESEMBRIANUM AC NUNTIUM APOSTOLICUM IN GALLIA : VICESIMUMQUINTUM ANNUM SUI EPISCOPATUS FELICITER CELEBRATURUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Singularem animi delectationem tibi afferet faustus dies, qui in festo Sancti Ioseph proxime illucescet, quum ipse quintum supra vicesimum annum feliciter explebis, ex quo dignitate archiepiscopali auctus ornatusque es. Multa enim et praeclara exstant merita, quae in Ecclesiam inque Apostolicam hanc Sedem tibi hactenus comparasti. Postquam enim sacra officia in dioecesi Bergomensi tibi tradita munusque professoris in

Seminario theologico ibidem diligenter obiisti, studio animarum incensus, egregia nitens pietate, in Urbe Consilii nationalis pro Italiae dioecesibus Pontificii Operis a Propagatione Fidei Praesidem sollerter egisti. Viginti autem quinque abhinc annos inter sacrorum Antistites cooptatus, primo quidem ut Visitator in Bulgaria Apostolicus, deinde tamquam Delegatus Apostolicus apud eandem nationem, tum in Graecia inque Turcarum Republica, denique Nuntius in Gallia Apostolicus, Romani Pontificis ministerio assiduam utilemque operam contulisti et pergis conferre. Tibi igitur, Venerabilis Frater, de proxima iucundi eventus faustitate libenti animo gratulamur, simulque Deum instanter rogamus, ut benignus te perquam diu Ecclesiae incolumem tueatur, curasque et labores tuos caelestibus donis solaciisque munifice rependat. Quo interea laetabilium rerum celebratio in maiorem cedat animarum fructum, tibi ultro concedimus, ut qua malueris die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, normis peculiaribus ad Sacrum Iubilaeum pertinentibus servatis. Auspicem itaque divinorum munerum ac praecipuae caritatis Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuisque coniunctis laborumque sociis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IX mensis Martii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

*Ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis**

Siate i benvenuti, diletti figli, che — sotto la invisibile ma valida guida del vostro e Nostro carissimo Cardinale Vicario — vi siete qui adunati per chiedere e ricevere la Benedizione del Vescovo di Roma e Successore di Pietro a conforto e a sprone del vostro apostolato nel tempo quaresimale.

Ai parroci, zelanti collaboratori nella vigna romana del Signore, e ai sacri oratori della Quaresima, sono dovuti speciali riguardi. Gli straordinari doveri e unici dell'Anno Santo Ci costringono — pur Nostro malgrado — debitori come siamo a tutti per amore di Cristo, a un « razio-

* Habita die 2 Martii mensis a. 1950.

namento » dei Nostri discorsi. Tuttavia fra questi deve trovar posto una breve ma pur fervida parola a voi e alle anime affidate alle vostre cure.

L'Urbe e il mondo stanno sotto il segno del Gran Giubileo. Questa Giubileo significa forza e grazia per i singoli, per la Chiesa e per la umanità. Anno di intimo raccoglimento alla luce delle eterne verità. Anno, per molti, di riconquistata pace fra cielo e terra, fra Dio e l'uomo. Anno di approfondimento religioso per tutti coloro, a cui le esigenze e gli allettamenti del mondo hanno turbato o annebbiato lo sguardo verso *Vurmm necessarium.*

Anno di vivificante manifestazione della *Communio Sanctorum,* della comunanza di grazie e di amore, fondata in Cristo, fra la Chiesa militante, purgante e trionfante, formando il tesoro inesauribile della Chiesa che si offre largamente a quanti ad esso si approssimano con fame e sete di giustizia.

Anno di rafforzamento e d'incremento della unità cattolica grazie al contatto personale, sensibile e tangibile del Capo visibile della Chiesa coi fedeli, i quali da ogni parte — per numero e per distanze geografiche incomparabilmente più che in passato — accorrono a Roma, alla Sede di Pietro.

In un tale Anno poter salire sui pulpiti della Eterna Città, affine di rendere le anime, mediante il rigore della penitenza quaresimale, mature per il giubilante Alleluia di Pasqua e la effusione di grazie della Pentecoste, è una missione che deve riempire ogni cuore apostolico di indicibile gioia, di fervoroso zelo, di ardente amore, pronto ad ogni sacrificio.

Di INDICIBILE GIOIA:

Se per un peccatore convertito, secondo la divina parola del Redentore, si fa più festa in cielo che per novantanove giusti che di penitenza non hanno bisogno,[1] come potrebbe il vostro cuore non fremere di riconoscenza e di beatitudine al pensiero che la vostra parola, illuminata dallo spirito di Dio e fecondata dalla grazia del Signore, potrà divenire per molti vostri fratelli e sorelle impulso verso quel ritorno, che è uno dei grandi scopi dell'Anno Santo?

La Roma di oggi non è più quella di un tempo, la Roma dei nostri padri e dei nostri nonni, la quale, senza pregiudizio della sua posizione e della sua missione centrale religiosa e spirituale, aveva un raccogli-

[1] Cfr. Luc. 15, 7.

mento e una pace, che la distinguevano e la distanziavano da altre metropoli.

Alla Roma di oggi, con quasi due milioni di abitanti, dei quali non pochi, massime nei sobborghi, vivono in miserevoli condizioni, è rimasto ben poco di quel raccoglimento e di quella pace. Seminare il buon seme di Cristo fra raffiche di vento, in mezzo alle agitazioni e alla dissipazione delle folle, in un terreno disseccato da tante cure puramente temporali, ingombrato dalle spine delle passioni, delle cupidigie e delle rivalità, è ben duro lavoro, che, pur senza essere sterile di consolazioni e di gioie, riserva anche all'industrioso seminatore delusioni e amarezze.

Per uscire da questo stato di fatto, dalle esigenze che esso pone, dalle miserie che esso produce, vi è una sola via, il rifugiarsi in quella letizia della propria vocazione, che scaturisce da fede profonda e di essa incessantemente si alimenta, e che giorno per giorno, ora per ora, fa conoscere e sperimentare al sacerdote la grandezza e la felicità della sua missione, specialmente quando la mole dei suoi doveri cominciasse a sgomentarlo ; ond'egli può dire con l'Apostolo delle Genti : « *Quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes* ».[2]

Semper autem gaudentes : con queste parole di S. Paolo sulle vostre labbra e nei vostri cuori salite sui pulpiti della Città Eterna nel gaudio dell'Anno Santo. E questa letizia nutrita da motivi soprannaturali e il lavoro apostolico da essa ispirato e infiammato riporterà sul suolo romano e nei cuori romani vittorie, di cui voi e Noi dinanzi a Dio e agli occhi della Cristianità potremo andare santamente alteri.

Di **FERVOROSO ZELO :**

Essere nella cura delle anime e sui pulpiti delle grandi città significa — oggi più che mai — trovarsi all'avanguardia nella milizia di Cristo. Significa essere fra quelli, sui quali, più che su altri, grava il *pondus diei et aestus;* fra quelli, al cui spirito soprannaturale, alla cui provata esperienza, alla cui incondizionata fedeltà e dedizione è, più che ad altri, affidata la sorte della Chiesa e del gregge di Cristo. E quando al vostro zelo, alla vostra vigilanza, alla vostra predicazione è affidato il patrimonio spirituale di una Città, che si chiama Roma, allora voi sapete che cosa indica anche per voi e per i vostri ascoltatori l'ammonimento profetico del primo Vescovo dell'Urbe : ((*Fuerunt.,, pseudopro-*

[2] ***2 Cor.*** 6, 10.

phetae in populo, sicut et in vobis erunt, magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis ».[3]

Sul suolo romano si compie dinanzi allo sguardo del mondo intiero un formidabile incontro fra gli assertori e i negatori della fede cristiana. Questo suolo, che vide già la lotta fra il vecchio Cesarismo e il giovane Cristianesimo, è oggi di nuovo divenuto arena spirituale, ove sonò in contesa non solo i più alti beni della vita cristiana, ma anche i presupposti fondamentali della stessa dignità umana.

Quando dunque voi vi trovate sul pulpito dinanzi ai vostri ascoltatori romani, parlate loro nello spirito del primo Papa, empitevi e penetratevi dell'inestinguibile zelo per il bene delle anime, che rese vittoriosa la missione di lui, contro tutte le umane previsioni. Fate che coloro, i quali vi ascoltano, sentano e sperimentino che questo spirito e questo zelo di Pietro ha anche oggi fra i ministri del santuario e gli annunziatori del Vangelo una folta schiera di seguaci a tutto pronti; e siate persuasi che il popolo della Nostra diocesi romana vi corrisponderà con la stessa fedeltà e che anche molti di coloro, i quali erano già caduti vittime delle seduzioni dei falsi profeti, troveranno la via del ritorno.

Di ARDENTE E GENEROSO AMORE :

Il mondo di oggi, disavvezzato dal genuino amore, fattosi servo dell'odio e delle discordie, è una terribile prova della verità del detto ciceroniano : « *Ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum utque consensu, sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur* ».[4] Nessun terremoto, nessuna carestia, nessuna «epidemia, nessuna calamità originata dalle forze della natura, può paragonarsi all'inimmaginabile cumulo di sofferenze, che l'uomo, chiuso all'amore, dominato dall'odio, apporta ai suoi simili.

Colui, che come apostolo del Vangelo, come annunziatore delle verità eterne e della buona novella, si trova di fronte al mondo, non può e non deve operare che in nome dell'amore. Il paolino « *aes sonans aut cymbalum tinniens* »,[5] per nessun altro vale più inesorabilmente, quanto per il predicatore, alla cui parola fa difetto l'unzione della carità. Vi possono essere predicatori, a cui manca il dono della facondia. Un apostolato senza facondia è possibile. Un apostolato senza amore è una con-

[3] ***2 Petr.*** 2, 1.
[4] CICER. ***De officiis,*** **1.** 2, n. 5.
[5] ***1 Cor.,*** 13, 1.

traddizione in termini. Abbiate perciò sempre dinanzi ai vostri occbi la sentenza di un grande Romano e di un grande Papa : « *Qui charitatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet* ».[6]

Diletti figli! È stata per Noi una intima gioia il poter iniziare la splendida serie delle beatificazioni e canonizzazioni di questo grande Anno giubilare con la glorificazione di una di quelle eroiche figure sacerdotali, che la Provvidenza suole di tempo in tempo inviare e donare al centro della Cristianità. Il giorno della sua beatificazione e durante il susseguente triduo la Roma cattolica ha mostrato che cosa sono per lei coloro, i quali in difficili e torbidi momenti sanno farsi suoi animatori, consiglieri e guide. L'umile, semplice Vincenzo Pallotti, tutto dedito alla causa dei poveri, il cui apostolato di verità e di amore in Roma era potuto sembrare caduto in una passeggiera dimenticanza, ha ora riportato nella sua Città natale e fra i suoi concittadini un trionfo dì riconoscenza, che onora non meno il cuore dei romani che Colui al quale questa gratitudine era rivolta. Il giorno in cui i suoi resti mortali furono portati attraverso le vie dell'Urbe, che furono già testimoni del suo zelo, Roma ha tributato al suo semplice ma grande figlio una dimostrazione di riverente ammirazione, che lascia nell'ombra tutte le onoranze terrene.

Possa l'esempio di questo Apostolo di Roma, la cui predicazione era sempre diretta *all'unum necessarium,* e il cui frutto era il suo confessionale bramosamente ricercato e circondato da straordinari effetti di grazia, essere a voi lume e conforto nell'esercizio del vostro ministero. Possa lo spirito di Vincenzo Pallotti rinnovarsi in ognuno di voi e dare al vostro apostolato quaresimale, con la grazia divina, quell'irresistibile fluido di amore, di cui la umanità dubbiosa, incerta, errante e sofferente di oggi ha tanto bisogno.

In questa fiduciosa attesa invochiamo su voi tutti la luce e la potente assistenza di Dio, mentre, in pegno dei più eletti favori celesti, v'impartiamo di cuore la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

[6] S. GREGORII M. *Homil. 17 in Evang.,* n. 1; MIGNE *PL,* t. 76., col. 1139.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

SALISBURGENSIS-LINCIENSIS.

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Christifideles in parte archidioecesis Salisbnrgensis commorantes, complectente in praesens undeviginti domus, non suam paroeciam, vulgo dictam « Berndorf », valde distantem, sed quae propius exstat, paroeciam Perwang in dioecesi Linciensi ad sacra frequentant. Qua de causa, nuper efilagitatum est ut dicti fideles cum proprio territorio separarentur a memorata paroecia Berndorf et paroeciae Perwang, in dioecesi Linciensi, aggregarentur.

Porro Ssmus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII, rei opportunitate perpensa, attento consensu Ordinariorum utriusque dioecesis, oblatas preces excipiendas decrevit. Quapropter, vi praesentis Consistorialis Decreti, statuit ut supradictum territorium, in praesens undeviginti domus complectens, ab archidioecesi Salisburgensi separetur atque dioecesi Linciensi iuxta petita perpetuo adiungatur, ita ut limites archidioecesis Salisburgensis et dioecesis Linciensis cum finibus cohaereant civilibus.

Ad haec autem exsecutioni mandanda, Sanctitas Sua deputare dignata est Exc. P. D. Ioannem Dellepiane, Archiepiscopum Stauropolitanum, Internuncium Apostolicum in Austria, ipsi tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi, cum primum fas erit, ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 10 mensis Decembris a. 1949.

Fr. A. IOANNES Card. PIAZZA, *a Secretis.*

L. © S.

Benedictus Renzoni, *Adsessor.*

II

S. MARTINI IN MONTE PANNONIAE VESZPRIMIENSIS

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM

Fidelis pagi *Nagytelep,* pertinentes ad paroeciam Kiskajàr in territorio Achiabbatiae S. Martini in Monte Pannoniae, ab Apostolica Sede expostularunt ut praefatus pagus, ob magnam distantiam, seiungeretur a memorata paroecia et viciniori paroeciae *Lovàszpatona* in dioecesi Veszprimiensi incorporaretur.

Porro haec S. C. Consistorialis, vigore facultatum specialium a Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Pp. **XII** sibi tributarum, rei opportunitate perpensa, attento consensu et Ordinarii Archiabbatiae S. Martini in Monte Pannoniae et Ordinarii Veszprimiensis, oblatas preces benigne excipiendas decrevit.

Quapropter, vi praesentis Decreti, eadem S. Congregatio statuit ut praefatus pagus *Nagytelep* ab Archiabbatia S. Martini in Monte Pannoniae separetur atque dioecesi Veszprimiensi iuxta petita perpetuo adiungatur.

Ad haec autem exsecutioni mandanda, Sacra Congregatio Consistorialis deputare dignata est Excmum P. D. Bartholomaeum Badalik, Episcopum Veszprimiensem, ipsi tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi, cum primum fas erit, ad hanc S. C. Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die I[a] Februarii 1950.

Fr. A. IOANNES Card. PIAZZA, *a Secretis.*

L. © S.

Benedictus Renzoni, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

DE FINIBUS VICARIATUS AEGYPTI

Cum Motu proprio « Sancta Dei Ecclesia », diei 25 m. Martii a. 1938, super universum Aegyptiaci Regni territorium, uni Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali sacra iurisdictio sit concredita, evenit ut, quae hactenus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, pars illa Vicariatus Apostolici de Kartum, intra aegyptiacae ditionis fines producta, Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali moderanda maneret.

Qua de causa, quo vigilantius animarum saluti necnon sacri regiminis unitati fiat satis Ssñius Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia diei 12 m. Novembris anni labentis, subsignato Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Cardinali a Secretis concessa, praevio favorabili consilio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, statuere dignatus est ac mandare ut fines Vicariatus Apostolici Aegypti eousque proferantur quo fines civiles ditionem aegyptiacam inter et sudanensem exstant.

Novi itaque fines Vicariatus Apostolici Aegypti, ad normam tabularum de re geographica usu receptarum, gradum 22 latitudinis septentrionalis a deserto Libyco usque ad gradum 33 longitudinis attingunt; dein, parvo in ditione sudanensi arcuato sinu, lineam ex pacto conventam atque non rectam sequuntur, quae loca dissita et districte definita in deserto superans, Mare Rubrum viginti circiter millibus passuum infra tropicum attingit.

Quae omnia Sanctitas Sua praesenti Decreto statui et pubblici iuris fieri iussit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ratum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 16 m. Decembris a. 1949.

6B E. Card. **TISSERANT**, Ep. Portuen. et S. Rufinae, *a Secretis*

L. © S.

f V. Valeri, Archiep. Ephesin., *Adsessor*,

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

DE KODOK
(MALAKALEN.)

DECRETUM

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE KODOK DEINCEPS « MALAKALENSIS)) APPELLABITUR.

Cum. in Sudan Angli Eegyptiaci finibus Praefecturae Apostolicae de Kodok, Societati Missionariorum S. Ioseph de Mill Hill pro missionibus exteris commissae, nomen rebus non amplius responderet, Emi ac Revmi Patres Cardinales huius S. Congregationis de Propaganda Fide regimini praepositi, in plenariis comitiis die xi vertentis Iulii mensis habitis, de appellatione eiusdem Praefecturae immutanda egerunt.

Re igitur mature perpensa atque attenta huius Sacrae Congregationis consuetudine appellandi scilicet missiones a sua cuiusque Ordinarii sede, memoratam Praefecturam de Kodok deinceps *Malàkalensem,* a Malakal urbis, ubi Ordinarius residet, nomine, appellandam censuerunt.

Quam Emorum Patrum ^sententiam, in Audientia diei xiv eiusdem mensis ab Excmo huius S. Congregationis Secretario Ssmo D. N. Pio Div. Prov. Papae XII relatam, Summus Pontifex, benigne excipiens, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum confici iussit.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die xiv iulii anno Domini MCMXLIX.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. © S.

f Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

II

DE URUNDI
(KITEGAËNSÏS)

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS DB URUNDI DEINCEPS ((KITEGAËNSÏS)) APPELLABITUR.

Cum de Vicariatus Apostolici Ngoziensis erectione, septemtrionali territorii parte a Vicariatu Apostolico de Urundi distracta, Emi ac Revmi Patres, huic S, Consilio Fidei Propagandae praepositi, deliberationes habuissent, cumque ob eas nomen Vicariatus de Urundi non amplius rebus responderet, iidem Emi Patres Cardinales in iisdem plenariis comitiis diei 11 Iulii mensis vertentis anni, in quibus deliberationes illae habitae sunt, de ipsius Vicariatus de Urundi appellatione post eius territorii contractionem immutanda egerunt.

Quapropter, re mature perpensa, cum huius S. Congregationis mos invaluerit de Vicariatibus Apostolicis appellandis, quantum fieri potest, a sua cuiusque Ordinarii sede, Vicariatum de Urundi deinceps « Kitegaènsem » vocandum censuerunt, a nomine *Kitega* urbis, ubi Vicarius Apostolicus residet.

Quam Emorum Patrum sententiam, in Audientia diei 14 huius mensis et anni ab infrascripto huius S. Congregationis Secretario Ssmo Dno Nostro Pio Div. Prov. Papae XII relatam, Summus Pontifex, benigne excipiens, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum expediri mandavit.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 14 Iulii mensis anno Domini 1949.

£& P- Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

L. i$i S.

"f Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

ALBANEN.

CANONIZATIONIS BEATAE MARIAE GORETTI, VIRGINIS ET MARTYRIS

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis, post indultam ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Sapientissimus Deus *dives in omnes qui invocant illum* (Rom. 10,12), *qui pascitur inter lilia* (Cant. 2, 16), apud quem *non est acceptio personarum* (Rom. 2,11), humillimam puellam Mariam Goretti, nullo quidem humani cultus splendore renidentem, Spiritus Sancti tamen donis ditatam, martyrii palma ac virginitatis lilio decoravit, in heroicae fortitudinis et puritatis exemplum fidelibus omnibus, praecipue vero adulescentibus feminis, propositam, quarum nostris hisce temporibus, non paucae a saeculi vanitatibus allectae suarum animarum discrimini temere se subiciunt.

Beatificationis honores huic heroidi anno 1947 collati, totum per orbem fidelium admirationem cultumque ei conciliarunt atque confirmarunt. Quare plures in suis necessitatibus ad eius patrocinium implorandum confugerunt, uti constat ex pluribus seu gratiis seu quoque miraculis a Deo eius interventione patratis. Ex his actores duo selegerunt, quae paucis diebus post Beatificationem in alma hac Urbe contigerunt, ad Canonizationem ei comparandam, de quibus in hoc decreto agitur.

I. Iosephus Cupo, operarius, in romano agro die 8 Maii mensis anno 1947, dum terram ab aggere removet, ingens saxum, e summo aggere mens, pedem eius dexteram adeo vehementer illidit, ut ob cruciatum animo defecerit; pes turgescit: domum est reversus. Immane interim haematoma atroces dolores gignens enatum est, quod, omnibus faventibus adiunctis, post viginti dies potuisset devinci. Iosephus qui religione erga B. Mariam Goretti tenebatur, eam pluries invocavit: hora erat secunda cum dimidio post meridiem eiusdem diei quo infortunium evenit. Somno correptus est. Asserit ipse se Beatam Mariam martyrii palmam liliumque manu gestantem sibi apparuisse atque simul se pedis dolore ac tumore

levari. Post triginta circiter horae momenta, expergefactus pedem omnino sanum invenit, uxore ceterisque tantum portentum admirantibus. Sequenti die perfecte sanus ad interceptum laborem rediit. In recuperata valetudine perseveravit.

Nullus medicus nisi post sanationem infirmum intra hoc brevissimum temporis spatium visitavit. Aegrorum quaedam ministra renuntiata hunc turgorem vere haematoma fuisse edixit, quam diagnosim duo ex ofiicio periti, ipsumque nostrum medicum collegium omnino confirmant. Sanationem hanc soli Deo tribuendam hi periti unanimi consensu agnoscunt.

II. Anna Grossi Musumarra Romae, anno 1947, Aprili mense cadente, gravi essudativa pleurite fuit attacta, quae in peius sequentibus diebus saeviebat. Die 4 Maii Anna patrocinium B. Mariae implorare coepit, foliolumque de floribus prope Beatae corpus in Basilica Ss. Ioannis et Pauli appositis devote deglutivit : sequenti die febre omnino et perseveranter expedita est. Medens, qui Beatae invocationem factam esse nesciebat, miraculum conclamavit.

Duo Periti ex ofiicio et medicum nostrae Sacrae Congregationis Collegium diagnosim, prognosim et iudicium a medente edita plene confirmant.

De utraque sanatione Apostolicus in Urbe constructus est processus. Quum Antepraeparatorio super miraculis Coetui medici Collegii suffragium suffectum sit, die 17 Maii anni huius Praeparatorius est coactus dieque 6 Decembris coram Ssmo D. N: Pio Papa XII Generalis, in quo subscriptas, Cardinalis S. R. C. Praefectus, Causaeque Ponens, dubium proposuit discutiendum : *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Beatissimus Pater, suffragiis Rmorum Cardinalium, Praelatorum Patrumque Consultorum auditis, sententiam ferre distulit, ut in re tanti momenti caeleste auxilium precibus imploraret. Diem hanc Dominicam tertiam Sacri Adventus selegit ut Suam aperiret mentem.

Eapropter infrascripto Cardinali, S. R. C. Praefecto Causaeque Ponente, R. P. Salvatore Natucci Fidei generali Promotore, meque Secretario arcessitis, Sacrosancto Missae Sacrificio pientissime celebrato, edixit : *Constare de duobus miraculis, B. Maria Goretti interveniente, a Deo patratis,* nimirum, *de instantánea perfectaque sanatione cum Iosephi Cupo a gravi haematomate in pede deœtero, tum Annae Grossi Musumarra a gravi pleurite essudativa.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 11 Decembris, anno 1949, Dominica III Sacri Adventus.

SB C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

h. © S.

t A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

II

VICEN.

CANONIZATIONIS BEATI ANTONII MARIAE CLARET, CONFESSORIS PONTIFICIS, CONGREGATIONIS MISSIONARIORUM FILIORUM IMMACULATI CORDIS MARIAE VIRGINIS FUNDATORIS.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Tria praeter cetera perinsignia ac permanentia dona miserentissimus Redemptor noster Ecclesiae suae contulit : Eucharistiam, Beatam Mariam Virginem, Romanum Pontificem. Per Eucharistiam Christi ipsius divinam vitam pressius participamus ; in Beata Virgine benignissimam matrem habere nobis est datum, ad quam confidenter in omnibus angustiis, necessitatibus ac nostrae sanctificationis desideriis recurrere possimus; in Romano Pontifice infallibilem fidei morumque magistrum habere gloriamur, cui fideliter obsequentes, ad caelestem portum appellere certi sumus. Iamvero quanti B. Antonius Maria Claret tria haec dona fecerit, sanctam eius vitam recolendo, evidenter apparet. Tanto enim animi fervore in Eucharistiam ferebatur, ut haec facta sit ipsa eius vita, adeo ut Apostolica verba usurpare potuisset: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Beatae Virginis Immaculati Cordis, omnis erga homines dilectionis fontis, Missionariorum Congregationem a se conditam titulo honestare voluit, cuius cultum suis in Christo Filiis numquam inculcare destitit. Ex utroque hoc cultu totum robur et efficaciam hausit in verbo Dei praedicando, innumeros ubique animos Christo lucrifaciens. Romani demum Pontificis iura, praerogativas, praecipue

vero infallibilitatem, in Vaticano Concilio, die 31 Maii a. 1870, contra eins seu osores seu dissuasores strenue defendit, paratus, ut dixit, suum sanguinem pro hac quoque doctrina effundere, uti iam pro fide atque ecclesiastica disciplina in loco v. d. Holguin effuderat, quod magna in vultu cicatrix signabat.

Tria haec adeo in eius corde defixa erant, ut prope moriturus haec saepe recoleret.

Profectus ab Urbe in Galliam perrexit, atque inimicorum minas declinans, apud Cistercienses Monachos in Monasterio S. Mariae de Fonte Frigido se occuluit, dieque 24 Octobris a. 1870 sancto fine quievit.

Sanctitatis fama magis magisque erumpente, Ordinaria auctoritate canonicae inquisitiones fuere peractae, atque Leonis XIII fel. rec. mandato, Canonizationis causa die 4 Decembris 1899 fuit apud hanc sacram Congregationem introducta. Apostolicis processibus celebratis, virtutes die 6 Ianuarii a. 1926 et duo miracula die 18 Februarii a. 1934 fuere approbata, paulloque post Tuto ad Beatificationem procedi posse fuit decretum, quae die 25 Februarii eiusdem anni sollemni ritu celebrata fuit. Quatuor post annos die 6 Iulii resumpta ad Canonizationem fuit causa, servatisque de iure servandis, duo miracula die 12 Ianuarii mensis huius anni a Ssmo D. N. Pio Papa XII approbata fuere.

Ad probandum denique omnia, quae a sacris canonibus hisce in causis prescribuntur, rite fuisse servata, dubium disceptandum est : *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Quod dubium Unius Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, die 28 Februarii mensis nuper elapsi in Generali Congregatione coram Sanctitate sua proposuit. Rsthi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores unanimi consensu in affirmativum suffragium concesserunt. Verum Beatissimus Pater paulisper super sedere ratus est, ut ferventibus precibus Dei nutum apertius noscere posset, antequam supremam suam mentem aperiret. Subscriptum vero diem elegit ut suam supremam sententiam ederet.

Quare Bevmos Cardinales Alexandrum Verde atque infrascriptum, S. R. C. Praefectum, necnon R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque Secretarium ad Se arcessivit, divinaque Hostia pientissime litata, edixit : Tuto *procedi posse ad sollemnem B. Antonii Mariae Claret Canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congragationis referri mandavit.

Datum Romae, die 5 Martii a. D. 1950.

£8 **O.** Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L.8S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

III

RUTHENEN.

CANONIZATIONIS BEATAE MARIAE GULIELMAE AEMILIAE DE RODAT, VIRGINIS, CONGREGATIONIS SORORUM A SACRA FAMILIA FUNDATRICIS.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Beata Maria Gulielma Aemilia de Rodat, Sanctae Nazarenae Familiae, Iesu, Mariae, Ioseph, cui erat addictissima, spiritu afflata, vitae commodis avitisque divitiis reiectis, aegrotorum solamini, pauperum levamini, praecipue vero puellarum educationi ac doctrinae una cum nonnullis piissimis feminis, quas sibi adiunxit, totam se dedidit, atque sensim sine sensu plurimasque superatis difficultatibus, Institutum quod a S. Familia appellari voluit constituit. Hoc Deo favente mire per orbem propagatum ingentes animorum fructus abunde Ecclesiae Dei affert.

In quo opere exsequendo adeo christianae perfectionis metam tenuit, ut, post pretiosum eius obitum, qui die 19 Septembris a. 1852 contigit, de Beatificationis causa promovenda mature fuerit cogitatum.

Quod exitum tam felicem est assecutum, ut die 7 Martii mensis anno 1871 a Pio IX fel. rec. Introductionis causae commissio fuerit Sua manu signata ; Leone XIII approbante, die 29 Maii a. 1901 de virtutum heroicitate constare decretum fuerit; duobusque, die 17 Martii a. 1940, probatis miraculis, nec non Tuto ad Beatificationis sollemnia celebranda edicto, altarium honoribus die 9 Iunii a. 1940, Ssmi D. N. Pii Papae XII iussu, fuerit honestata. Nec satis.

Vix enim biennio transacto nonnullae mirae sanationes eius interventione contigerunt, quae a Deo patratae visae sunt ideoque die 6 Decembris a. 1942 Canonizationis causa resumpta fuit.

Super duabus ex his canonicae inquisitiones sunt peractae : quae divino miraculo has esse tribuendas comprobarunt, uti constat ex decreto ab hac Sacra Congregatione die 12 Ianuarii anni huius lato.

Ut autem iuridice constet omnia, quae a iure prescribantur ad Canonizationem et praxi servanda sint, rite ac plene fuisse servata, coram Summo Pontifice Rmorum Cardinalium, officialium Praelatorum Patrumque Consultorum sententia est exquirenda, proposito a Rmo Cardinali Ponente dubio : *An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Quod Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator in Generali Congregatione coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 28 nuper elapsi mensis proposuit, cui unanimi favorabili suffragio quotquot aderant suffragatores responderunt. Beatissimus vero Pater, supremam sententiam elicere aliquantisper, uti mos est, protraxit, ut in gravi hoc iudicio decernendo ulteriores preces funderet.

Arcessivit itaque subsignato die Rmos Cardinales Alexandrum Verde, Causae Ponentem atque infrascriptum S. R. C. Praefectum, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque Secretarium, atque, sacrosancto Missae sacrificio devotissime celebrato, pronuntiavit : Tuto *procedi posse ad sollemnem Beatae Mariae Gulielmae Aemiliae De Rodat Canonizationem.*

Hoc autem decretum promulgari atque in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 5 Martii a. D. 1950.

£& C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

Ii. © S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (SOFIO - PBS DI VILLAMARINA)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Caroli. Pes Villamarina, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per Procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Romae, Palazzo della Cancelleria) die 24 Iunii 1950, bora decima ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro Causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti domini Caroli Pes Villamarina, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Albertus Canestri, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 23 Martii 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconno le lieu de la demeure actuelle de Mr Charles Pes Villamarina, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 24 juin 1950, à 10 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Charles Pes Villamarina devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Mercoledì, *S* marzo **1950,** il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il dott. **JOSEPH HAEFOTJCHE**, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Eepubblica del Libano, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

Sabato, **18** marzo **1950,** il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Altezza Serenissima **RANIERI** III, Principe Sovrano di Monaco.

SACRA CO NO RÉG AZIONE DEI RITI

Martedì, 28 febbraio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, all'augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno dato il loro voto: sul *Tuto* per la Canonizzazione dei Beati Antonio Maria Claret, Arcivescovo titolare di Traianopoli, Fondatore della Congregazione dei Missionari Figli dell'Immacolato Cuore della B. V. Maria; Guglielma Emilia De Rodat, Fondatrice dell'Istituto della Sacra Famiglia, Anna Maria De Paredes, Vergini; sui miracoli della Venerabile Serva di Dio Maria De Mattias, Fondatrice delle Ancelle del Preziosissimo Sangue; sul martirio del Venerabile Alberico Cresciteli, Missionario Apostolico, ucciso in Cina nel 1900.

Martedì, 14 marzo 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la Sacra Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati per intercessione della Beata Maria Domenica Mazzarello, Vergine, Confondatrice dell'Istituto delle Figlie di Maria Ausiliatrice.

Martedì, 28 marzo 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la Sacra Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali e i Revnii Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione della

Beata Emilia de Vialar, Vergine, Fondatrice dell'Istituto delle Suore di San Giuseppe dell'Apparizione.

In seduta ordinaria gli Emi e Revmi Signori Cardinali e i Revmi Consultori teologi hanno inoltre discusso sulla riassunzione della Causa di Canonizzazione del Beato Antonio Baldinucci, Sacerdote Professo della Compagnia di Gesù.

NECROLOGIO

4	ottobre	1949.	Monsig. Uamtaonan (Wang Tao-nan) Filippo Silvestro, Vescovo di Fengsiang.
26	febbraio	1950.	Monsig. Arnoz Ignazio, Vescovo tit. di Busiri, Vicario Apostolico di Bulawayo.
28	»	»	Monsig. Marquez y Toriz Giuseppe Ignazio, Arcivescovo di Angelopoli.
10	marzo	»	Monsig. Sigala Marco, Arcivescovo di Atene.
14	»	»	Monsig. Da Silva Gomes Emanuele, Arcivescovo tit. di Viminacio.
17	»	»	Monsig. Contardo Prudenzio, Vescovo tit. di Cabasa.
23	»	»	Monsig. Girard Giulio, Vescovo tit. di Bulla regia, Vicario Apostolico del Delta del Mio.
1	aprile	»	Monsig. Byrne Cristoforo Edoardo, Vescovo di Galveston.
»	»	»	Monsig. Fahey Leone Fabiano, Vescovo tit. di Ipso.
5	»	»	Monsig. Doorly Edoardo, Vescovo di Elphin.
8	»	»	Monsig. Louvard Teofilo Maria, Vescovo di Coutances.
11	»	»	Monsig. da Rocha Attico Eusebio, Arcivescovo di Curitiba.
12	»	»	Monsig. McGräth Giuseppe Francesco, Vescovo di Baker City.
13	»	»	Monsig. Morrison Giacomo, Arcivescovo Vescovo di Antigonish.
14	»	»	Monsig. Alves Martins Giuseppe, Vescovo tit. di Bela.
»	»	»	Monsig. Janssens Luigi, Vescovo tit. di Acarasso.
	»	»	Monsig. van Cauwenbergh Giovanni, Vescovo tit. di Sinao.

An. et yol. XXXXII 1 Maii 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLEMNI CANONIZATIONE

BEATAE MARIAE GULIELMAE AEMILIA0 DE EODAT, VIRGINIS, IN BASILICA VATICANA DIE XXIII MENSIS APRILIS A. MDCCÇCL PERACTA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sucri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. {jord. Micara, Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, ita respondit :

Iam Summus Ecclesiae Antistes in hac tanta rerum maiestate sententiam laturus est, qua B. Aemilia de Rodat Sanctarum Virginum honoribus decorabitur. Oraculum Petri in Pio viventis venerabundi audiamus; idque novum esto omnibus invitamentum ad vitam cuiusque suam christiana virtute renovandam per Sacrum praesertim, qui volvitur, Annum.

Tum Sanctissimus Dominus Noster, omnibus aperto capite sur gentibus, Ipse sedens in Cathedra mitramque. gestans, de plenitudine Apostolici ministerii solemniter sic pronunciavit :

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Eidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et di-

vina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Mariam Gulielmam Aemiliam de Rodat, Virginem, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe die decima nona septembris, pia devotione recoli debere. In nomine Pa £g tris et Fi £g Iii et Spiritus £g Sancti.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Id habet Ecclesia a divino Conditore suo, ut quavis aetate novi e materno suo gremio oriantur sanctitatis héroes heroidesque, qui temporibus pares evadant atque exsurgentibus necessitatibus prompto, alacri, actuosoque animo occurrant.

Undevicesimo autem ineunte saeculo, postquam Gallica rerum conversio ac diuturna bella, quae eam consecuta sunt, non modo innumeris ruinis fere omnes Europae regiones vastaverànt, sed catholicae etiam religionis instituta non pauca vel funditus subruerant, vel graviter pervenerant, summo cum bonorum omnium gaudio cernere licuit fortissimum virorum ac mulierum agmen, christiana virtute praestantium, in id strenuo contendere nisu, ut illata detrimenta resarcirentur. In quibus quidem peculiari luce refulget Maria Gulielma Aemilia de Rodat, quae nobili loco nata, inde a tenella aetate supernum quoddam sensit incitamentum ad volucres atque inanes terrestris huius exsilii spernendas voluptates et ad evangelicam vitae perfectionem citatiore cotidie gradu assequendam.

Postquam autem non unum experta est sacrarum virginum suscipere institutum, ex sui ipsius conscientiae moderatoris consilio ac non sine caelesti quodam instinctu, se ad aliud vocari novit ingrediendum iter. Cum multas nempe cerneret tenuioris

plebis puellas cursitare passim per vias, ac saepenumero eo deduci, ut in discrimen caderent, innocentiam perderent ac religionis praecepta misere desererent, superna caritate compulsa una cum paucis comitibus statuit earum causam procurandam suscipere; easdemque non modo prima litterarum rudimenta docere, sed ad christianam potissimum virtutem educere ac conformare. Hinc religiosa illa Sodalitas initium sumpsit, quae subinde sapientibus normis ac legibus ab ea instructa, per Galliam, per ceteras Europae regiones, ac per transmarinas etiam terras magno cum Ecclesiae ac civilis societatis profectu late se propagavit.

Quasi arbor valida ac virescens, divinae gratiae rore alita ac fecundata, in duos ramos bipartitur, quorum alter ad virgines Deo devotas spectat, quae intra sacri claustri saepta caelestium rerum potissimum contemplationi vacant, ac suas ceterorumque labes precando, paenitendo expiandoque abluunt, alter vero religiosas amplectitur sodales, quae rectae iuventutis educationi prospiciunt, quae in valetudinariis animorum corporumque infirmitatibus suavi quadam ratione mederi enituntur, quae orphanorum matres agunt, quae denique omne genus miserorum relevare atque in supernam spem erigere contendunt.

Dum Nos huius sanctae caelitis vitam ac miranda incepta mente recolimus, dum recogitamus quid ipsa, divina favente gratia, fecerit; quid Sodalitas ab ea condita; quid cetera quoque religiosa Instituta, quae fere innumera per saeculorum decursum florescunt fructusque edunt salubérrimos, elata voce non asseverare non possumus multum profecto Ecclesiam, multum civilem ipsam hominum consortionem sacris hisce cuiusvis ordinis virginibus debere. Quodsi eaedem non haberentur, si Aeternum Numen superno afflatu suo eas perpetuo ex omnibus gentibus non excitaret, suoque non sustentaret auxilio, quisnam posset earum digne tenere locum? Discant igitur omnes non modo eas debitis ornare laudibus, non modo eas pro facultate iuvare, earumque officiis ac muneribus libenter perfrui, sed ad

illam etiam, pro condicione cuiusque sua, virtutis perfectionem contendere, e qua solummodo licet salutaria eiusmodi excipere beneficia.

Sacrae autem virgines sibi honori ducant ad tam grandem se vocatas esse dignitatem, Ei nempe famulandi, cui servire regnare est, cui qui mor talem hanc vitam dediderit, sempiternam in Caelis adipiscetur; qui fluxis ac caducis huius mundi voluptatibus divino amore cumpulsus vaie dixerit, perpetuo mansurum supernae beatitatis praemium aliquando assequetür. Eiusmodi igitur susceptae dignitati cotidie earum agendi ratio operose diligenterque respondeat.

Haec sancta novensilis ab se conditam Sodalitatem Sacrae Familiae peculiari titulo commendatam ac dicatam voluit. In qua quidem Nazarethana Familia si moniales, quae communem vitam traducunt, excelsam cernere possunt sanctitatis formam, quam imitentur, habent etiam in ea christiani omnes incomparabilia, quae sequantur, exempla. Haec sancta igitur vestigia viae alacri erectoque animo insistant. Ac quandoquidem domesticus convictus « quasi seminarium rei publicae » [1] est, si filii, si matres, si patres familias Iesum, Mariam, eiusque castissimum' imitentur Sponsum, tum procul dubio radicitus sanari humana societas, tum meliora ac feliciora possunt oriri tempora. Quod quidem Sancta Aemilia de Rodat e solio gloriae suae a Divino Redemptore suis precibus impetret nobisque conciliet. Amen.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULUS ET PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS ECCLESIAE B. MARIAE VIRGINIS A PACE, IN URBE PACENSI, BOLIVIAE PRINCIPE, CQNFERUNTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Paxia, Bolivianae Reipublicae princeps urbs clarissima, in eo est ut quater centenarium annum suae fundationis singulari recolat memoria, ideoque sive ipsius civitatis sive uni-

[1] Cic, *De Off.*, I, c. 17.

versae nationis religiosis et civilibus rebus qui praesunt viri mutuo contendunt ut faustissimus dies qua maiori fieri possit sollemnitate celebretur. Ad noe tum hodiernus Bolivianae Reipublicae Praeses tum Venerabilis Frater Abel Isidorus Antezana y Roias, Pacensium Archiepiscopus, necnon civitatis Pacensis Moderator, suo et civium omnium nomine, humiliter atque instanter Nos rogaverunt ut Cathedrale Pacense Templum, Deo in honorem Deiparae Virginis a Pace dicatum, unde urbi nomen inditum est, ad Basilicae Minoris gradum et honorem evehere dignaremur. Quibus precibus Nos, qui anno **MCMXLIII** Pacensem dioecesim ad sedem metropolitanam ereximus, ultro libenterque annuere decrevimus ut tantorum suffragatorum votis concedamus et paternam benevolentiam Nostram erga Gubernium et populum Bolivianum, peculiariter vero erga christifideles civitatis et archidioecesis Pacensis, conspicue manifestam faciamus et proximis centenariis sollemnibus aliquo modo praesentes simus. Eo vel magis quod Cathedralis Pacensis Ecclesia, quam diximus, honore, qui pro ipsa petitur, digna plene videtur, quum antiquitate, architectura, artis operibus, sacrae supellectilis copia et pretio, sacrorum rituum et coeremoniarum decore ceteris urbis Pacensis sacris aedibus praeemineat. Ipsa enim, ut Nobis relatum est, aedificari coepta est eodem loco quo anno **MDLVI**, octavo post urbem Pacensem conditam, ecclesia mater exstructa est, quae anno **MDCVIII**, quo Decessor Noster Paulus V diocesim Pacensem erexit, Cathedralis titulo et honore decorata fuit. Hac penitus diruta, anno **MDCCCXXIXV**, Duce Andrea a Sancta Cruce, Reipublicae Praeside, maxime favente, Emmanuele Sanauva, Sacerdote ex Ordine Fratrum Minorum, architectore, solum explanatum libratumque fuit novaque posita fuere fundamenta. Bello deinde saeviente et publicae rei gubernatorum mala voluntate obstante, opus pluries intermissum fuit, donec, quinque post lustra, iterum inceptum et, aedificii forma noviter et definite a Francisco Vespignani Cognite, Sacri Palatii Apostolici Architecto, delineata, Reipublicae Bolivianae Supremis Moderatoribus omnibus faventibus, ad finem adductum est. Tandem, iuvante Deo, anno **MCMXXXII**, Augustus Sieffert, tunc Episcopus Pacensis, Daniele Salamanca Reipublicae Praeside, novam sacram aedem sollemniter benedixit. Anno vero **MCMXXXIX** Venerabilis Frater Abel Isidorus Antezana y Roias, Pacensium Archiepiscopus, eam rite consecravit. Quamvis autem aedificium non sit adhuc undequaque perfectum et absolutum, tamen templum ipsum, quod stylo graeco-romano, ut aiunt, exstructum est, amplitudine, lapidibus et metallis pretiosis, necnon variis picturis renidet.

Nec silentio praetereundi sunt vitrei clathri sacras imagines et bibli-

eas regiones coloribus depictas referentes : praecipue vero admirabilis est maxima fenestra vitrea in media abside, in qua cernitur Imago Dominae Nostrae a Pace, titularis Ecclesiae et Patronae civitatis atque archidioecesis, angelorum corona circumdatae, quae S. Ildephonso, archiepiscopo Toletano, casulam, angelicis confectam manibus, praebet, sicut refert quaedam pia traditio metropolitanae ecclesiae Toletanae, quae eamdem Deiparam a Pace Patronam habet, auctore Alfonso VI rege, inde a saeculo xi, post partam, ipsa Virgine opitulante, insignem contra mahometanos victoriam. Ipsius autem Paciferae Reginae simulacrum, quod nunc in saepius memorata ecclesia cathedrali Pacensi cernitur, utpote miraculis clarum, magna fidelium tum civitatis, tum archidiocesis, tum universae Bolivianae ditionis veneratione colitur. Quae cum ita sint, ut tam clarae urbis, quae sub nomine et patrocinio gloriosissimae et potentissimae Pacis Reginae, die xx Octobris anno **MDXLVIII**, ab Alonso de Mendoza, iussu Petri de la Gasea, Regis vices gerentis, condita est, ad memoriam perennandam habitae tandem, post longas et cruentas discordias intestinas, animorum pacificationis, Nos laetitiam augeamus, oblatis Nobis precibus benigne annuere decrevimus. Quare, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam Metropolitanam Ecclesiam, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis a Pace, in urbe Pacensi, Boliviae principe, dicatam, titulo, privilegiis honoribusque Basilicae Minoris decoramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efiicaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illique Ecclesiae Cathedrali et Metropolitanae ad quam pertinent, nunc et in posterum, plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die **VIII** mensis Octobris, anno **MCMXLVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis.

II

DELEGATIO APOSTOLICA PRO COREA ERIGITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — A Missionibus longissime disiunctis ab hac Petri Sede navam operam curamque impensam conlatas ad propagandam Fidem non modo agnoscere debemus sed studere quoque ut quam maxime Nosmet ipsi foveamus; quaeque earum regimini satius prospicere queant, ea, nulla mora interposita, amantissime comparemus. Iamvero, cum in Coreae peninsulae regionibus Missiones plurimum valeant ad suarum ipsarum incrementum ac profectum, Nos, earundem Pastores benevolentia Nostra complectentes, audito Dilecto Filio Nostro Petro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Fumasoni-Biondi, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, consilium cepimus Delegationis Apostolicae pro Coreae regionibus erigendae. Quare, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, Delegationem Apostolicam pro Corea erigimus, constituimus, eiusque sedem in civitate vulgo « Seoul » nuncupata collocamus, plane confisi hanc novam Delegationem earundem Missionum utilitati fideliumque bono melius atque amplius provisuram esse. Haec edicimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandam esse ac definiendum, irritumque atque inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VII** mensis Aprilis, anno **MCMXXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

IOANNES BAPTISTA MONTINI
Substitutus Secretariae Status

III

TEMPLUM PAROECIALE «DE GUANARE », INTRA FINES DIOECESIS BARQUISIMETENSIS, SEU SANCTUARIUM B. MARIAE VIRGINIS ((DE COROMOTO », VENEZUELANE REIPUBLICAE PATRONAE, TITULO BASILICAE MINORIS CONDECORATA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In maximis quibus affligimur aerumnis hoc tam gravi Ecclesiae tempore in quo impii homines adversus Dominum et adversus Christum eius, diabolico nisu atque lacrimabili insania proelium committere audent, suavissima et peculiari afficimur consolatione cum universi catholici orbis fideles sciamus Sanctissimam Dei Genitricem, Christianorum Auxilium et afflictorum solatium fervidissima devotione colere et filiali amore prosequi. Quos inter memorare nunc placet Venezuelanae Ditionis Venerabiles Fratres Episcopos et dilectos filios Sacerdotes, Optimates et populum universum, quorum pietas erga Beatissimam Virginem Mariam v. « de Coromoto » nuncupatam, adeo hisce ultimis annis crevit ut Sanctuarium idemque Paroeciale Templum exstans in regione v. « de Guanare », in tribu « de los Cospes » dicta, peregrinorum more, frequentiores in dies celebraverint et die prima marialis mensis, anno **MCMXLII**, Episcopi omnes Venezuelanae Reipublicae, in quinquennali coetu, simul convenientes, eandem veneratissimam Deiparam universae Nationis praecipuam Patronam declaraverint et elegerint. Quam electionem Nos, per similes Apostolicas Litteras die **VII** mensis Octobris anno **MCMXLIV** datas, cum magno animi Nostri gaudio, adprobavimus et confirmavimus. Nec tamen per hoc ferventissimae Venezuelani populi erga Mariam Virginem pietati satis factum est, adeo ut nunc Ven. Frater Raphael Ignatius Arias Blanco, Episcopus S. Christophori in Venezuela idemque dioeceseos Barquisimetensis Administrator Apostolicus, antiqua et ardentissima vota expromens tum aliorum Episcoporum, tum Cleri et populi totius Reipublicae, Nos enixe rogaverit ut paroecialem ecclesiam « de Guanare », ubi, miraculis clara, fidelium devotioni a pluribus saeculis prostat imago Beatae Mariae Virginis « de Coromoto », quam diximus, ad dignitatem Basilicae Minoris evehere, de Nostra benignitate, dignaremur. Quibus precibus annuere ultro libenterque decrevimus cum relatum sit Nobis ad ipsum Templum seu Sanctuarium, architectura et amplitudine, artis operibus, decore atque magnificentia admirandum, fide compulsos, pietate et amore filiali ferventes, ex omni Nationis regione, plurimos christifideles, adsidue pe-

regrinari, potentissimae Dei Matris opem impetraturos. Ut igitur haec dilecti populi Venezuelani marialis devotio novum ac maius incrementum habeat, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Ecclesiam Parochialem sive Sanctuarium « de Guanare », intra fines dioecesis Barquisimetensis, ubi colitur imago Beatae Mariae Virginis « de Coromoto », Venezualanae Reipublicae Patronae, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus cum omnibus iuribus et privilegiis quae eidem titulo conveniunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec statuimus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere : suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Maii anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis diplomatibus expendiendis

ACTA 8 8 . CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM

DE VETITA CLERICIS ET RELIGIOSIS NEGOTIATIONE ET MERCATURA

Pluribus ex documentis constat, in Ecclesia quovis tempore clericis in sortem Domini vocatis saecularia negotia, negotiationem praecipue et mercaturam, gravibus sub poenis et censuris prohibita fuisse.

Siquidem ipse Apostolus in IIª epistola ad Timotheum (cap. II, 4) iam monuit: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus». Ml mirum proinde si Tridentina Synodus (Sess. XXII, cap. I, de reform.), de his agens criminibus decernere non dubitaverit : « ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum ... saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur ... ».

His itaque omnino inhaerens Codex iuris canonici, ad rem quod attinet, canone 142 statuit: «Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem ». Haec autem prohibitio afficit etiam religiosos ad normam canonis 592. Quin imo idem Codex hoc praescriptum canone 2380 peculiaribus etiam sanctionibus munivit, addens : « Clerici vel religiosi mercaturam vel negotiationem per se vel per alios exercentes contra praescriptum canonis 142 congruis poenis pro gravitate culpae ab Ordinario coerceantur ».

Quo firmior et magis uniformis ecclesiastica disciplina hac de re habeatur atque abusus praecaveantur, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est ut Clerici et Religiosi omnes ritus latini de quibus in canonibus 487-681, ne exceptis quidem recentium Institutorum saecularium sodalibus, per se vel per alios, mercaturam seu negotiationem cuiusvis generis, etiam argentariam, exercentes, sive in propriam sive in aliorum utilitatem, contra praescriptum can. 142, utpote huius criminis rei, excommunicationem latae sententiae Apostolicae Sedi

speciali modo reservatam incurrant et, si casus ferat, degradationis quoque poena plectantur.

Superiores vero qui eadem delicta, pro munere suo ac facultate, non impediverint, destituendi sunt ab officio et inhabiles declarandi ad quodlibet regiminis et administrationis munus.

Pro omnibus denique, quorum dolo vel culpae patrata facinora tribuenda sint, firma semper manet obligatio reparandi damna illata.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die 22 mensis Martii, anno 1950

IOSEPH Card. **BRUNO,** *Praefectus.*

L. .© S..

F. Roberti, *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

ROMANA **SEU** ALBANEN, **SEU** SENOGALLIEN.

CANONIZATIONIS BEATAE MARIAE GORETTI, VIRGINIS ET MARTYRIS

SUPER DUBIO

An, stante approbatione duorum miraculorum, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Oh magnum et stupendum portentum, quod in sui admirationem mundum commovit! Rudis puella, quae duodecimum vitae annum nondum impleverat, e paupérrima agricolarum familia, pro castitate servanda mori potius maluit quam foedari. Mariam Goretti dicimus, quae die 5 Iulii a. 1902, ne libidinoso iuveni, a quo non semel fuerat tentata, fortiter quidem restitit sed vi in terram deiecta quatuordecim pugionis ictibus percussa, veniam heroice suo interfectori concedens, sequenti die sanctam mortem oppetiit. Märtyrern conclamavit populus, Märtyrern, *i* Summo approbante Pontifice, die 25 Martii a. 1945 Sacra haec Congregatio declaravit, atque beatificationis honores eidem die 27 Aprilis ***Bi.*** 1947 fuere concessi. Nec satis.

Sapientissimo enim Deus, iuvenum praesertim, levitati, mederi

volens atque praeclarum virtutis exemplum sollemnius per Canonizationem praebere, paucis post Beatificationem diebus duo miracula, ea interveniente, patravit, uti ex decreto ab hac S. C. die 11 Decembris proxime elapsi anni edito patet.

Üt autem constet ab hac sacra Congregatione omnia esse ad normam iuris perfecta, dubium Rmis Cardinalibus ceterisque Consultoribus est proponendum : *An, stante approbatione duorum miraculorum post induh tam Eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem Ipsius Canonizationem;* h. e. : ad acta Pontificia, Consistorialia primum, definitiva postea. Quod dubium infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus Causaeque Ponens, in Generali Congregatione coram Ssmo D. N. Pio Papa XII, die 13 Decembris mensis, disceptandum proposuit, cui omnes, quotquot aderant, in affirmativam responsionem concesserunt. Beatissimus vero Pater cunctandum aliquantisper ratus est, ut maiori lumine Sua mens per preces illustraretur. Hunc autem diem selegit ut Suam supremam sententiam ederet.

Quocirca subscriptum Cardinalem, S. R. C. Praefectum atque Ponentem, R. P. Salvatorem Natucci Fidei Promotorem generalem meque Secretarium ad Se advocavit, atque, sacrosancto Missae-sacrificio devotissime celebrato, edixit : Tuto *procedi posse ad B.* Mariae Goretti *Canonizationem.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 12 Ianuarii a. 1950.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

II

QUITEN.

CANONIZATIONIS BEATAE MARIAE ANNAE DE PAREDES, VIRGINIS
SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, in casu, et ad effectum de quo agitur.

S. Bernardus Sponsae verba commentans : *Dilectus meus mihi et ego illi, qui pascitur inter lilia* (Cant. 2,16) : « Quae est Sponsa, scribit, et quis est Sponsus? Hic est Deus noster, illa ... nos sumus, ... in quos

intendit Deus. Quanta tamen disparilitas! Aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat. Quam admirabile est quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vindicat dicens : *Dilectus meus mihi;* nec eo contenta pergit amplius gloriari ... quasi ex aequo morem gerere, rependere vicem : *Et ego illi.* O quid audet cor purum et conscientia bona! (Serm. 68 in Cant.). *Dilectus pascitur inter lilia.* Magnus est qui tria vel quatuor lilia aedificare potuerit in terra sua in tanta densitate spinar um et tribulor um. Porro itaque primam omnium innocentiam et si buie iungere continentiam quivero, divitem me putabo ... Rex sum autem si tertiam his adiungere poterò, patientiam ... Siquidem *tentatio est vita hominis,* opus profecto est patientia » (Serm. 70 fin.).

Iamvero in Beata Maria Anna non modo hae tres virtutes, sed ceterae quoque fulserunt, quae tantum tamque suavem odorem spirarunt, ut mèrito Quitensis lilii nomen ei comparaverint. Iesus autem, eius dilectus Sponsus, *qui pascitur inter lilia,* gratam in eius corde mansionem constituit, ipsa vicissim totam seipsam ei dedidit, sapienter immensum eius rependere audens amorem. Sicque factum est ut ipsa, dilecti Sponsi imitata exempla, christianae perfectionis fastigium sit assecuta atque miraculis clara Beatificationis honores meruerit anno 1853, a Pio Papa IX fel. rec. iam ab anno 1850 per Apostolicas litteras sub anulo Piscatoris indultos.

Causae Canonizationis reassumptione a Leone Papa XIII sa. me. die 22 Aprilis a. 1903 concessa, Apostolicus processus in Conchensi Curia super duabus miris sanationibus, quae in eadem civitate contigerant, confectus est; cuius iuridica vis per decretum die 4 Aprilis anno 1948 editum recognita est, de quibus in hoc decreto agitur.

I. Carmela Martínez Cordova, Aloisii Elsitdiè uxor, ob aliquod trauma totius abdominis viscerumque ptosim fuit passa, cum gastro-intestinali dilatatione et ventre adeo péndulo, ut hic fere genua pertingeret; quam diagnosim infaustamque, quod ad sanationem, prognosim non modo medens a cura, sed periti quoque ex ofiicio atque ipsum medicum Sacrae nostrae Congregationis Collegium unanimi sententia edixerunt. Verum die 17 Iunii a. 1945 dum B. Mariae Annae Reliquiae sollemni pompa per Conchae vias feruntur, Carmela ferventer eam pro sanatione invocat. Domum rediens sanatam se sentit. Sequentibus diebus medens post diligentem inspectionem omnia suo quaeque loco fuisse restituta recognovit.

Huiusmodi sanationem naturae viribus tribui non posse, neque chirurgico ferro obtineri, medens, periti, medie unique Collegium concorditer affirmant.

II. Puer Ferdinandus Crespo Toral sex annos natus, diei 14 Iunii a. 1944 acuta appendicite fuit attactus, uti plures medentes edixerunt, immo chirurgicae actioni quam citissime erat subiciendus, ut, si fieri posset, eius vita servaretur. Medentium cum diagnosim, tum infaustam prognosim officiales periti medicumque sacrae huius Congregationis Collegium confirmant.

Iamvero pueri mater, Beatae Mariae Annae devota, vix de eius reliquiis particulam fìlioli pecto^i apposuerat, illico hic perfecte con valuit. Miraculum conclamant medentes, periti ex officio medicumque N. C. Collegium.

Super his sanationibus postquam duo ex officio periti, medicumque huius Congregationis Collegium, severo praemisso examine, suam sententiam ediderunt, Praeparatoria Congregatio die 8 Novembris anno elapso habita est, cui Generalis coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 13 Decembris successit; in qua Rmus Cardinalis Benedictus Aloisi Masella, Causae Ponens, dubium disceptandum proposuit : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suum quisque suffragium ediderunt. Beatissimus vero Pater supremam sententiam edere in hunc diem distulit, ut in re tanti momenti ferventibus precibus divinum beneplacitum clarius agnosceret.

Quapropter ad Se Reverendissimus Cardinales, Causae Ponentem atque infrascriptum S. R. C. Praefectum, necnon R. P. Salvatorem Natucci meque Secretarium advocavit, divinoque sacrificio religiose oblato, edixit : *Constare de duobus miraculis a Deo, Beata Maria Anna a Iesu de Paredes patratis,* nimirum *de instantánea perfectaque sanatione cum Carmelinae Martínez Elsitdiè a ptosi et dilatatione gastrointestinali cum ventre péndulo, tum pueri Ferdinandi Crespo Toral ab appendicite acuta.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 12 Ianuarii anno Domini 1950.

ffc C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

h. fr S.

f A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Causae quae in Tribunali Sacrae Romanae Rotae actae sunt anno 1949,. quarum definitiva sententia editur tantum in parte dispositiva.

I. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, **D.** Staffa.
Vinculi Defensor deputatus: O. Bejan.
Advocatus: I. Benedetti.
Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».
Sententia diei 4 Ianuarii: « Affirmative ».

II. MELITEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusionem boni prolis.*
Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.
Vinculi Denfensor deputatus: F. Romita.
Promotor Iustitiae: I. Pendola.
Advocatus: R. Romano.
Dubium: «An constet de matrimonii nullitate, in casu».
Sententia diei 13 Ianuarii: « Afiirmative ».

III. TAURINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum fidei.*
Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.
Vinculi Defensor deputatus: S. Gomez.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii : I. Galassi.
Dubium : « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 22 Ianuarii: « Negative ».

IV. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.
Vinculi Defensor deputatus: Ch. Vijverberg.
Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. Galassi.
Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».
Sententia diei 22 Ianuarii : « Affirmative ».

V. VIGLEVANEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob conditionem appositam.*
Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.
Vinculi Denfensoris Substitutus : I. Stella.
Advocati: P. A. D'Avack, A. Mittiga.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 1 Martii 1948 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 27 Ianuarii : « Infirmandam esse, ideoque non constare de matrimonii nullitate, in casu ».

VI. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: D. Staffa, *Ponens,* I. Pasquazi, P. Mattioli.

Vinculi Defensor deputatus: O. Bejan.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. **A.** Ferrari.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Ianuarii : « Negative ».

VII. MELITEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* **A.** Fidecicchi, F. Brennan.

Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.

Advocati: I. B. Nicola, H. Napoleoni.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 29 Ianuarii: «Negative».

VIII. HISPALEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob defectum, consensus.*

Turnus Rotalis: **A.** Jullien, Decanus, *Ponens,* A. Wynen, **G.** Heard.

Vinculi Defensor deputatus: S. Alvarez-Menendez.

Advocatus: I. Ojetti.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 29 Ianuarii : « Affirmative ».

IX. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis-*

Turnus Rotalis: **A.** Jullien, Decanus, **A.** .Wynen, I, Pasquazi, *Ponens.*

Vinculi Defensor deputatus: F. Romita.

Advocatus: H. Graziani.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 3 Februarii: « Negative ».

X. TAURINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* **A.** Canestri, I. Teodori.

Vinculi Defensor deputatus: E. Wagner.

Advocati: H. Faleari, C. Bernardini, F. Ligi.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 5 Februarii: « Negative ».

XI. TAURINEN, SEU ALEXANDRINA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite conditionis appositae.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, A. Wynen, I. Pasquazi, *Ponens.*

Vinculi Defensor deputatus: Ch. VijVerberg.

Advoctus: B. Pellegrini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 9 Februarii : «Affirmative».

XII. Vic. AP. DELTAE NILI - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* **A.** Fidecicchi, **G.** Doheny.

Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: P. Rutili.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 12 Februarii : « Affirmative ».

XIII. BOSTONIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusam indissolubilitatem.*

Turnus Rotalis: **A.** Wynen, *Ponens,* **G.** Heard, **A.** Canestri.

Vinculi Defensor deputatus : **I.** Casoria.

Advocatus: P. Ciprotti.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu».

Sententia diei 12 Februarii: «Affirmative».

XIV. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis : **G.** Heard, *Ponens,* **A.** Canestri, **I.** Teodori.

Vinculi Defensor Substitutus : **I.** Stella.

Advocatus: **I.** Limongelli.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 19 Februarii : « Affirmative ».

XV. BABYLONEN. SYRORUM - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: **A.** Jullien, Decanus, D. Staffa, **I.** Pasquazi, *Ponens.*

Vinculi Defensor deputatus: C. Da Silva.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: C. Bernardini.

Dubium : « An sententia Rotalis diei 19 Novembris 1946 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 22 Februarii : « Confirmandam esse, ideoque constare de nullitate matrimonii, in casu ».

XVI. VIC- AP. AEGYPTI - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: **I.** Teodori, *Ponens,* H. Caiazzo, **B.** Filipiak.

Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii : **R.** Szenwic.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 24 Februarii : « Affirmative ».

XVII. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: D. Staffa, *Ponens,* **I.** Pasquazi, P. Felici.

Vinculi Defensor deputatus : **I.** Moretti.

Advocatus: A. Merlo.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 25 Februarii : « Affirmative ».

XVIII. TERGESTINA SEU VENETIARUM - NULLITATIS MATRIMONII *ob vim et metum, ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.

Advocatus: G. laut.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 26 Februarii : « Negative ».

XIX. BERYTEN. MARONITARUM - NULLITATIS MATRIMONII *ob consanguinitatem.*

Turnus Rotalis: F. Brennan, *Ponens,* **A.** Fidecicchi, **I.** Pasquazi.

Vinculi Defensor deputatus: G. Oesterle.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: C. Bernardini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Februarii : « Negative ».

XX. AUXIMANA SEU FLORENTINA - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusionem boni sacramenti.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, P. Felici, *Ponens,* B. Filipiak.

Vinculi Defensor deputatus : O. Bejan.

Advocatus: F. Cartoni.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 28 Februarii : « Negative ».

XXI. LAUSANNEN.-GENEVEN. -FRIBURGEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* G. Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensor deputatus: **I.** Casoria.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: V. Trocchi.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu».

Sententia diei 10 Martii: «Negative».

XXII. VERONEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens, A.* Fidecicchi, F. Brennan.

Vinculi Defensor deputatus: S. M. Vitale.

Advocatus: M. A. Pacelli.

Dubium : « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 11 Martii : « Negative ».

XXIII. ÄSTEN, SEU TAURINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob vim et metum, ob exclusum bonum fidei.*

Turnus Rotalis: D. Staffa, *Ponens,* **I.** Pasquazi, P. Felici.

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocati: C. H. Emprin Guardini, R. Romano.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 15 Martii : « Negative ».

XXIV. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite impotentiae viri'*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Wynen, A. Canestri.

Vinculi Defensor Substitutus : A. Del Corpo.

Advocati: I. Spinelli, F. Della Rocca.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 16 Martii : « Affirmative, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Sede ».

XXV. FERRARIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, H. Caiazzo,

Vinculi Defensor deputatus: Burchardus a Wolfenschiessen.

Advocati: A. Angelini Rota, C. Bernardini.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 17 Martii : « Negative ».

XXVI. LAUSANNEN.-GENEVEN.-FRIBURGEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, A. Wynen, B. Filipiak, *Ponens.*

Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.

Advocatus: F. Della Rocca.

Dubium: «An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 21 Martii : « Affirmative ».

XXVII. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, *Ponens,* **G.** Heard, A. Canestri.

Vinculi Defensoris Substitutus: A. Del Corpo.

Advocati: I. Carrara, P. Ciprotti.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 21 Martii : « Affirmative ».

XXVIII. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis : **G.** Heard, *Ponens, A.* Canestri, I. Teodori.

Vinculi Defensor deputatus: I. Casoria.

Advocatus: R. Romano.

Dubium: « An sententia Rotalis diei 21 Februarii 1948 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia diei 26 Martii : « Infirmandam esse, ideoque constare de nullitate matrimonii, in casu ».

XXIX. NEAPOLITANA - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum sacramenti.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens, A.* Fidecicchi, F. Brennan.

^inculi Defensor deputatus: R. Bidagor.

Advocatus: C. Bernardini.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 26 Martii : « Negative ».

XXX. **MEDIOLANEN. - NULLITATIS MATRIMONII** *ex capite vis et metus.*
Turnus Rotalis: **H.** Caiazzo, *Ponens, A.* Fidecicchi, F. Brennan.
Vinculi Defensor deputatus: **H.** Felice.
Advocatus: C. Corsanego.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».
Sententia diei 26 Martii: «Negative».

XXXI. **PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII** *ob exclusum bonum fidei.*
Turnus Rotalis: F. Brennan, *Ponens,* D. Staffa, **I.** Pasquazi.
Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.
Advocatus: F. Cartoni.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».
Sententia diei 28 Martii : « Negative ».

XXXII. **PARISIEN. - NULLITATIS MATRIMONII** *ob exclusionem boni sacramenti et boni prolis.*
Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.
Vinculi Defensor deputatus: F. Fournier.
Advocatus : F. Cartoni.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 29 Martii : « Negative ».

XXXIII. **ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII** *ob exclusum bonum prolis.*
Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, P. Felici, *Ponens,* B. Filipiak.
Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.
Advocatus: **H.** Oraziani.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».
Sententia diei 30 Martii: « Negative ».

XXXIV. **FLORENTINA - NULLITATIS MATRIMONII** *ob clandestinitatem.*
Turnus Rotalis: **I.** Teodori, *Ponens,* **H.** Caiazzo, A. Fidecicchi.
Vinculi Defensor : **I.** Stella.
Advocatus : P. A. D'Avack.
Dubium : « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».
Sententia diei 31 Martii : « Negative ».

XXXV. **AQUILANA - NULLITATIS MATRIMONII** *ob conditionem appositam.*
Turnus Rotalis: **H.** Caiazzo, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.
Vinculi Defensor deputatus: Burchardus a Wolfenschiessen.
Advocatus: C. Bernardini.
Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».
Sententia diei 5 Aprilis : « Negative ».

XXXVI. N. N.. - NULLITATIS MATRIMONII *ob impotentiam viri et* DISPENSATIONIS SUPER RATO.

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, *Ponens,* A. Wynen, G. Heard.

Vinculi Defensor deputatus: S. Gómez.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: F, Cartoni.

Dubia: I. « An confirmanda vel infirmanda sit sententia Rotalis diei *8* Novembris 1946»; et quatenus affirmative ad secundam partem : IL « An consilium Sanctissimo praestandum sit pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu ».

Sententia diei 6 Aprilis : Ad I. « Sententiam confirmandam esse, seu non constare de matrimonii nullitate ». Ad II. « Negative ».

XXXVII. BONAËREN. - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, H. Caiazzo.

Vinculi Defensor deputatus: Ch. Vijverberg.

Advocatus: F. Della Rocca.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 9 Aprilis : « Negative ».

XXXVIII. NOVARIEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob simulationem consensus, ob exclusum bonum fidei.*

Turnus Rotalis: A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori, H. Caiazzo.

Vinculi Defensor deputatus: I. Sirna.

Advocati: I. E. Ferrari, R. Romano, C. H. Emprin Guardini.

Dubium: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Sententia diei 9 Aprilis : « Negative ».

XXXIX. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens, A.* Fidecicchi, F. Brennan.

Vinculi Defensor deputatus: A. Cairoli.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: R. Szenwic.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 11 Aprilis : « Affirmative, vetito tamen viro transitu ad alias nuptias, nisi prius explicite coram Ordinario loci positivam emittat scriptam declarationem, iureiurando firmatam, se ab omni sua prava intentione recedere et firmam habere voluntatem novum matrimonium contrahendi ad tramitem doctrinae catholicae, nempe unum, indissolubile, et ad prolem procreandam ordinatum sine ulla contraria intentione vel conditione ».

XL. ARGENTINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, I. Teodori, *Ponens,* H. Caiazzo.

Vinculi Defensor deputatus: P. Tocanel.

Advocatus: M. D'Alfonso.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 11 Aprilis : « Negative ».

XLI. TAURINEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum prolis.*

Turnus Rotalis: A. Fidecicchi, *Ponens,* F. Brennan, D. Staffa.

Vinculi Defensor deputatus: O. Bejan.

Advocatus: P. A. D'Avack.

Dubia : I. « An constet de nullitate matrimonii, in casu »; et quatenus negative : II. « An praestandum sit Sanctissimo consilium pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu ».

Sententia diei 12 Aprilis: Ad I. « Negative »; ad II. « Affirmative, vetito conventae transitu ad novas nuptias, inconsulta Sancta Sede ».

XLII. BERYTEN. MARONITARUM - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus, atque ex capite affinitatis.*

Turnus Rotalis: A. Jullien, Decanus, P. Felici, *Ponens,* B. Filipiak.

Vinculi Defensor deputatus: G. Oesterle.

Advocati: P. Guidi, C. Bernardini, *pro actore;* M. Mantovani, *ex mandato gratuiti patrocinii, pro conventa.*

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu».

Sententia diei 12 Aprilis : « Negative ».

XLIII. N. N. - NULLITATIS MATRIMONII *ob impotentiam viri.*

Turnus Rotalis: G. Heard, *Ponens,* A. Canestri, I. Teodori.

Vinculi Defensor deputatus: A. Schönegger.

Advocatus : R. Romano.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Sententia diei 21 Aprilis : « Negative ».

XLIV. ROMANA - NULLITATIS MATRIMONII *ex capite vis et metus.*

Turnus Rotalis: A. Wynen, A. Canestri, *Ponens,* I. Teodori.

Vmcuïi defensor: I. Stella.

Advocati: F. Cartoni, F. Bersani.

Dubium : « An sententia Rotalis diei 13 Iulii 1946 sit confirmanda, vel infirmanda, in casu ».

Sententia ìiiei 23 Aprilis : .« Infirmandam esse, ideoque non constare de matrimonii nullitate, in casu».

XLV. INTERAMNEN. - NULLITATIS MATRIMONII *ob exclusum bonum fidei, ob simulationem consensus.*

Turnus Rotalis: H. Caiazzo, *Ponens,* A. Fidecicchi, F. Brennan.

Vinculi Defensor deputatus: H. Raco.

Advocatus ex mandato gratuiti patrocinii: I. A. Ferrari.

Dubium: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

Transacto tempore a iure statuto quin ullus actus processualis positus fuerit, **R.** P. D. Ponens, decreto diei 25 Iulii, appellationem declarat desertam et acta causae in archivo reponi iubet.

XXXVI. BARCINONEN. - *Separationis,* coram R. P. D. Augusto Fidecicchi.

Cum per annum nullus actus processualis positus fuerit, **R. P.** D. Ponens, decreto diei 9 Augusti, appellationem declarat desertam et acta causae in archivo reponi iubet.

XXXVII. ROMANA - *Nullitatis matrimonii, ob exclusum bonum sacramenti,* coram **R.** P. D. Guillelmo Heard.

Cum per annum et amplius nullus actus processualis positus fuerit, **R.** P. D. Ponens, decreto diei 6 Octobris, causam declarat desertam et acta in archivo reponi iubet.

XXXVIII. SANCTAE FIDEI IN ARGENTINA - *Nullitatis matrimonii, ob vim et metum,* coram **R.** P. D. Alberto Canestri.

Cum intra tempus a iure statutum nullus actus processualis positus fuerit, **R.** P. D. Ponens, decreto diei 23 Novembris, causam declarat desertam et acta in archivo reponi iubet.

XXXIX. CARTHAGINEN. - *Nullitatis matrimonii, ob exclusum bonum prolis,* coram **R.** P. D. BoleslaO Filipiak.

Cum per annum nullus actus processualis positus fuerit, R. P. D. Ponens, decreto diei 6 Decembris, causam declarat desertam et acta in archivo reponi iubet.

XL. SANCTI DIDACI - *Nullitatis matrimonii, ob exclusum bonum prolis,* coram R. P. D. Boleslao Filipiak.

Cum per annum nullus actus processualis positus fuerit, R. P. D. Ponens, decreto diei 6 Decembris, causam declarat desertam et acta in archiva reponi iubet.

XLL PARISIEN- - *Nullitatis matrimonii, ob exclusionem boni -fidei et boni prolis, covava.* R. P. D. Boleslao Filipiak.

Cum per annum nullus actus processualis positus fuerit, R. P. D. Ponens, decreto diei 6 Decembris, causam declarat desertam et acta in archivo-reponi iubet.

XLII. MATRITEN. - *Nullitatis matrimonii, ob simulatum consensum, et ob vim et metum,* coram R. P. D. Arcturo Wynen.

Cum actor supremum obierit diem, R. P. D. Ponens, decreto diei 10 Decembris, causam finitam esse declarat et acta in archivo reponi iubet.

XLIII. SENEN. SEU FLORENTINA - *Nullitatis matrimonii, ob vim et metum,* coram R. P. D. Ioanne Teodori.

Cum vir conventus diem supremum obierit, cumque actrix causae prosecutioni renuntiaverit, R. P. D. Ponens, decreto diei 12 Decembris, acta in? archivo reponi iubet.

XLIV. FLORENTINA - *Nullitatis matrimonii, ob ignorantiam naturae matrimonii,* coram R. P. D. Pericle Felici.

R. P. D. Ponens renuntiationem appellationis ad normam can. 1740 § 2 et ad omnes iuris effectus admittere decernit die 21 Decembris.

III

Citatio edictalis

FLORENTINA

NULLITATIS MATRIMONII (MANNUCCI - KESSLER)

Cum ignoretur locus actualis commorationis dominae Ioannae Kessler, in causa conventae, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 26 Iunii 1950, hora undecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii y in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae dominae Ioannae Kessler, curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur. *

H. Caiazzo, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 15 Aprilis 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Jeanne Kessler, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 26 juin 1950, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Jeanne Kessler devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

An. et vol. XXXXIl n Maii 1950 (Ser. IT, v. XYI1) - N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATI ANTONII MARIAE CLARET, ARCHIEPISCOPI, IN BASILICA VATICANA DIE VII MENSIS MAII A. MDCCCCL HABITA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, haec respondit :

Catholica gaudeat Hispania, sanctitatis numquam sterilis terra. Novo fulgore eius e caelo sidus novum renidet, suamque lucem ceterorum siderum splendoribus inserit. Antonius Maria Claret iam in eo est ut sententia falli nescia declaretur Sanctus. Habent opifices, sacerdotes, Episcopi, habent in eo omnes praeclarum, quod innitentur, exemplum.

Tum vero Summus Pontifex, sedens, ex Cathedra Bivi Petri sollemniter pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et

divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatum Antonium Mariam Claret, Episcopum, Confessorem, Sanctum esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, vigesima quarta nempe octobris, pia devotione recoli debere. In nomine Pa£gtris et Figglii et Spiritus £g Sancti.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Cum vitam sancti caelitis Antonii Mariae Claret intenta recolimus mente, nescimus utrum magis miremur eius animi candorem, quem inde a tenera aetatula, quasi lilium inter spinas, summa cura summaqüe diligentia illibatum servavit, an eius caritatis ardorem, quo compulsus omne genus miseriarum relevare enitebatur, an denique indefatigabilis eius apostolatus studium, quo die noctuque permotus, et instantibus precibus pro aliorum salute Deo admotis, et itineribus susceptis innumeris, et concionibus divinum spirantibus amorem tantum contulit ad privatos ac publicos evangelico spiritu reformandus mores.

Cum adulescens textoriam artem factitabat, ut sui patris obtemperaret voluntati, ceteris officinae operariis ita christianae virtutis exemplo praelucebat, ut omnium admirationem commoveret ; ac vixdum poterat a f abrili labore vacare ac conquiescere, ad sacram confugiebat aedem; ibique, vel ad Augusti Sacramenti aram, vel ante Virginis Deiparae imaginem, precando contemplandoque dulcissimas traducebat horas. Divinitus siquidem provisum erat ut, antequam ad altiora proveheretur, opificibus etiam imitanda ederet praeclara probitatis sanctitatisque specimina.

Post aliquot autem annos, quod in votis semper habuerat, ut nempe se totum Deo maneiparet, id, variis superatis difficultatibus, divina opitulante gratia, tandem aliquando efficere potuit. In sacrum suae Dioecesis seminarium adscitus, sedulo studioseque curavit ut doctrinam alacri cura addisceret, ut statutis disciplinae normis diligentissime obtemperaret, utque potissimum supernis donis animum ornaret suum, ac vividam Iesu Christi imaginem loquendo agendoqüe in se referret. Itaque feliciter evenit ut, emenso studiorum curriculo, ac sacris insignitus ordinibus, in apertum apostolatus campum strenuus miles prosiliret, non humanis, sed divinis opibus armatus; atque inde a sacerdotalis muneris initio salutares fructus ederet uberrimos. Quo quidem in obeundo sacerdotali munere, hoc sibi peculiari modo proposuit, quod ad suorum temporum necessitatibus occurrendum putabat aptissimum. Cum cerneret nempe, vel ob passim diffusam divinorum praeceptorum ignorantiam, vel ob taedium quoddam caelestium rerum in multorum animum irreptum, christianam languescere pietatem, templa deseri, ac civium mores summo cum detrimento pessumdari, peropportunum iniit consilium sacras suscipiendi expeditiones, quas missiones vocant, ut in variis urbibus, oppidis, pagis per statum dierum spatium conciones ad populum haberet.

Quibus quidem in habendis concionibus, divina, qua fervebat, caritate eius vultus radiabatur; ac tam vehemens ex ore, ex imo pectore erumpebat eloquium, ut adstantes non raro permoveret ad lacrimas, et — quod potius est — ad melioris sanctiorisque vitae propositum sincero ex animo eliciendum. Itaque factum est ut salutaris quaedam magis quam emendatio, renovatio morum haberetur, quam ipse, mirandis signis Deo donante patratis, efficaciter confirmabat.

Cum autem eius sanctitatis fama latius cotidie propagaretur, dignus habitus est, cui Archiepiscopale munus committeretur, in Cubana insula exercendum. Qua in insula, quamvis gravissimas experiretur difficultates perpetuoque subsequentia impedimenta, non laboribus tamen asperrimis, non periculis

omne gentis deterritus, quod in Hispania bonus Christi miles fecerat, id optimus atque intrepidus Pastor peragere enisus est.

In patriam subinde revocatus, cum a sacris Reginae confessionibus esset, eiusque consiliarium ageret, nihil aliud pensi habuit, quam ut augustae paenitentis saluti aptiore quo posset modo prospiceret, Ecclesiae iura defenderet, catholicae religionis profectum omni ope promoveret.

Quod autem saluberrimum propositum iam diu inierat, condendi nempe Missionalium Sodalitatem, Immaculato Deiparae Virginis Cordi dicandam, id tandem non modo ad effectum deducere potuit, sed ita confirmare ac sapientissimis munire legibus, ut per Hispaniam, per ceteras fere omnes Europae Nationes, ac per longinquas etiam Americae, Africae, Asiae regiones decursu temporis felici cum successu eadem Sodalitas propagaretur.

Haec sunt, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, praecipua Sancti huius Caelitis lineamenta eiusque incepta presse breviterque descripta. Ex iisdem luculenter patet quam excelsa virtute, quam impenso apostolatus studio S. Antonius Maria daret enituerit, et quam ubera ediderit in proximorum salutem beneficia. In eum si opifices, si sacerdotes, si Episcopi, si universus denique christianus populus intueantur, habent profecto omnes cur praeclaris eius exemplis permoveantur, atque ad illam, pro statu cuiusque suo, christianam assequendam perfectionem excitentur, ex qua solummodo pertürbatis hisce rerum condicionibus opportuna remedia oriri possunt, ac meliora tempora adduci.

Id impetret a Divino Redemptore ab eiusque Immaculata Matre Sanctus novensilis; id esto sollemnis huius celebrationis optatissimus fructus. Amen.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ZAMBOANGENSIS

(DAVAËNSIS)

A DIOECESI ZAMBOANGENSI PROVINCIA CIVILIS ((DAVAO)) SEIUNGITUR ET NOVA EXINDE PRAELATURA NULLIUS DAVAËNSIS ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Satius haud dubie animarum regimini consulitur, si nimis amplum cuiusvis dioecesis territorium dividatur et nova exinde dioecesis erigatur, alteri vigilanti concredenda Pastori. Quo motus consilio, venerabilis Prater Aloisius Dei Rosario, hodiernus Episcopus Zamboangensis, ab Apostolica Sede postulavit ut a latissimo suae dioecesis territorio civilis provincia vulgo *Davao* seiungatur, in Praelaturam *nullius* constituenda. Nos vero, praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titularis Myrensis et in Insulis Philippinis Delegati Apostolici, pro certo habentes hoc ad fidelium bonum et christianae religionis augmentum cessurum, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Consistorialibus Negotiis praepositorum, consilio, precibus illis annuendum censuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae potestatis plenitudine, a praefata dioecesi Zamboangensi totum territorium seiungimus, quod infra provinciae civilis *Davao* fines continetur, ac novam in eodem territorio Praelaturam *nullius* erigimus et constituimus, cui nomen erit *Davaënsis.* Sedem autem novae istius Praelaturae in urbe *Davao* statuimus et paroecialem ecclesiam, Deo in honorem divi Petri Apostolorum Principis dicatam, ibi exstantem, ad praelatitiae ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, cum omnibus iuribus et privilegiis, quae ad praelatitias eiusmodi sedes et ecclesias spectare dignoscuntur. Novam insuper hanc Praelaturam *nullius* Davaën«em suflxaganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu

seu Caebuanae, eiusque Praelatum metropolitico iuri subiicimus Archiepiscopi pro tempore Nominis Iesu seu Oaebuani. Praelatis autem Ordinariis eiusdem Praelaturae omnia tribuimus iura, honores, privilegia et gratias una cum adnexis oneribus et obligationibus, quae ad iuris tramitem ad eos pertinent. Quod vero ad Praelaturae regimen, administrationem, ad Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque id genus attinet rite servari iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus denique ut documenta et acta, quae novam hanc Praelaturam respiciunt, ad huius Curiam, in archivo diligenter adservanda, a dioecesis Zamboangensis Cancellaria quamprimum trasmittantur. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, in exsecutionem mandanda, quem supra memoravimus Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis deputamus, vel eum, qui in exsecutionis actu Delegationi Apostolicae praeerit, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et ipsi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, peractae exsecutionis actorum exemplar authenticum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut

harum Litterarum transumptis, vel excerptus-etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die decimoséptima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
P. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVIII, n. 74. - Al. Trussardi.

II

PACENSIS **IN** BOLIVIA
(COROCORENSIS)

ARCHIDIOECESIS PACENSIS IN BOLIVIA TERRITORIUM DISMEMBRATUR ET NOVA ERIGITUR PRAELATURA NULLIUS COROCORENSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quod christianae plebis regimini animarumque saluti aptius et utilius esse videatur, id ut sedulo praestemus studio, Nos admonet supremi apostolatus munus, quo in terris, licet immeriti, divina dispositione fungimur. Lubenti itaque animo, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, praehabito venerabilis Fratris Ioseph

Burzio, Archiepiscopi titularis Gortyniensis, in Bolivia Nuntii Apostolici, favorabili voto, precibus annuere censuimus venerabilis Fratris Abelis Isidori Antezana y Boias, Archiepiscopi Pacensis in Bolivia, qui ab Apostolica Sede poposcit ut suae archidioecesis amplissimum territorium dismembretur et Praelatura *nullius* exinde erigatur, rati id in maius fidelium spirituale bonum et religionis augmentum cessurum. Quare, suppleto quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praefatae archidioecesis Pacensis in Bolivia territorio quatuor civiles provincias separamus, videlicet vulgo *Pacajes, Sicasica, Loayza, Inquisivi* et territorium ita distractum in novam erigimus et constituimus Praelaturam *nullius,* cui nomen erit *Gorocorensis* ex urbe *Corocoro* in *Pacajes* provincia exstante. Ad novam itaque hanc Praelaturam *nullius,* intra fines illarum civilium provinciarum contentam, paroeciae et vicariae quae sequuntur pertinebunt : e « Pacajes » provincia : *Corocoro, Calacoto et Charana, Achiri et Berenguela, Chaquiaviri, Callapa, Santiago de Machaca, Topohopo;* e « Sicasica » provincia : *Sicasica, Ayoayo, Cala/marca, Umala, Garahuara;* ex provincia « Loayza x> : *Luribay, Sapahaqui, Caracato, Yaco, Araca;* ex « Inquisivi » provincia : *Inquisivi, C avari, Suri et* ***a r*** *-cuata, Quinte, I choca, Lanza et Caluyo.* Huius Praelaturae *nullius* sedem in urbe *Corocoro,* a qua ipsa mutuatur nomen, constituimus atque Praelati Ordinarii cathedram in ecclesia paroeciali Agimus, Deo in honorem B. Mariae Virginis in Caelum Assumptae dicata, ibi exstante, quam propterea ad Ecclesiae Praelatitiae gradum et dignitatem evehimus una cum omnibus iuribus et privilegiis oneribus et obligationibus sedibus et praelatus Ecclesiis de iure propriis. Praelatis item pro tempore istius Praelaturae omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem huiusmodi Praelati ad iuris tramitem fruuntur, eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Insuper Praelaturam Corocorensem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Pacensi in Bolivia illiusque Praelatos metropolitico iuri subiicimus metropolitanae illius Ecclesiae Archiepiscopi. Quod autem attinet ad Praelaturae regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera ceteraque huiusmodi, rite servari mandamus quae sacri canones praescribunt. Volumus porro, ut quam primum fas erit, seminarium, modo saltem minus, constituatur, ex quo electi iuvenes Romam, in Collegium Pium Latinum Americanum mittantur, ut sub

fere oculis Nostris in spem Ecclesiae instituantur. Quod autem clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus denique ut omnia documenta et acta, quae novam hanc Praelaturam *nullius* respiciunt, ad huius curiam ab archidioecesis Pacensis curia quamprimum transmittantur, in archivo diligenter adservanda. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem Fratrem praefatum Nuntium Nostrum in Bolivia, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praeerit, deputamus eidemque necessarias, et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et illi onus facimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione -digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus,, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die vicesima quinta Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
8. C. Consistorialis a Secretis.

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco j© Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXVIII, n. 79. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ECCLESIA B. MARIAE VIRGINI, IN LOCO ((CSIKSOMLYO)) INTRA FINES ALBAE ITJLIENSIS DIOECESIS DICATA, BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS COHONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae omnes gentes honore Se esse celebraturas, Divino Spiritu afflata, praenuntiavit, Beatissima Virgo Maria in plurimis per orbem Templis, artifìcio et cultu commendatis, re vera ita colitur ac laudibus effertur ut praeter Deum nemo potius. In quibus annumeranda est Ecclesia, Eius nomine dedicata in loco qui ((Csiksomlyo)) vernáculo usu appellatur atque in Transilvaniae finibus est positus. Hanc quidem Aedem, in cuius ministerio Fratres Franciscales iamdiu impigri versantur, fortissimus ille vir et egregie factorum gloria cumulatus, Ioannes Hunyadi, postquam infensissimas Turcarum copias anno **MCCCCXLII** admirabili victoria profligavit ac fudit, ut pro tanto beneficio, quod haud immerito caelitus arbitrabatur impertitum, dignas persolveret gratias, a fundamentis excitavit; tempore vero progrediente, haec Ecclesia, utpote Christiano nomini adversantium incursibus obiecta, saepius eversa èst ac pessumdata, tamen saeculo xvm religiosorum sodalium, quos diximus, industria et alacritate, refecta ac producta et denique anno **MDCCCLXXVI** consecrata.

Nova ergo pulchritudine ac forma afífuens, apud Christifideles inclarescebat amplius, qui peregrinantium more eo catervatim accedere consueverunt. Attamen terrae motu anno MGMXL quassum et perculsum, idem Templum ex parte collapsum est ruinis, quo tristi casu Catholicam aeque ac religionem alienam profitentes, communi dolore sunt commoti ; qui vero omnes iniqua aetate illa nequaquam sunt deterriti quominus mira quadam animorum conspiratione pecuniam conferrent ad Aedem illam in melius reparandam, quod opus anno MCMXLII ad finem est perductum. In eadem hac Ecclesia singularem habet populi venerationem durateum signum Virginis Deiparae, quod ab hostium rabie jugiter servatum est incolume, ut historiae prodiderunt; Dei Genetrici, hoc expressae Simulacro, titulus ((Mater Admirabilis et Auxiliatrix contra haereses » adiectus est, cum praeclara victoria, e novatoribus parta, ab Ea recte ac iuste repetatur. Haec insuper Imago, cuius speciem probant maxime, cicatrice in genis est notata ex ictu, uti ferunt, a Tartaro quodam ei illato. Ceterum Aedes structurae genere quod <(Barocum » appellatur simulque elegantem redolet antiquitatem, insignis est sacrisque ritibus praestat atque ornamentis. Pluries per annum et imprimis festo die Nominis Beatissimae Virginis Mariae, Christifideles admodum frequentes Templum hoc adire solent ut Caeli Beginae preces adhibeant Eiusque opem flagitent et implorent. Neque desunt piae sodalitates, a Decessoribus Nostris rite ibi constitutae, quae ad sanctioris vitae valeant exercitationem. Quibus omnibus perpensis, Superior Provincialis regionis illius Franciscanum humiles supplicationes, Venerabilis Fratris Albae Juliensis Episcopi atque Ordinis memorati Procuratoris Generalis commendatione suffultas, nomine etiam procer um ac populi Catholici, Nobis deprompsit ut Ecclesiam, in loco « Csiksomlyo » exstantem, honore ac titulo Basilicae Minoris augere dignaremur. Nos autem ex animo cupientes ut, qua adiuvante externi hostes devicti sint ac perditi, Eiusdem Matris Mariae praesidio spirituales etiam a gente illa queant superari, utque Templo eidem plus accederet splendoris atque pietatis incrementi, vota huiusmodi libenti animo censuimus excipienda. Ideoque, consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, initis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam, Beatae Mariae Virgini in loco « Csiksomlyo », intra fines Albae Juliensis Dioeceseos, dicatam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, additis omnibus privilegiis liturgicis quae titulo eidem rite competunt. Contrariis quibus-

libet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate, qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxni mensis Februarii, anno **MCMXLVIII**, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Subst. Secr. 8t.

II

SANCTUS CASIMIRUS, CONFESSOR, TOTIUS IUVENTUTIS LITHUANAE PRAECIPUUS APUD DEUM CAELESTIS PATRONUS CONFIRMATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In Sancta Ecclesia iampridem ea invaluit consuetudo ut Romani Pontifices nationibus vel particularibus coetibus Caelestes apud Deum Patronos constituerent qui eis praeluceret tamquam conspicua christianae vitae exempla atque, in calamitosi huius saeculi discrimine positis, praesentes adessent et opitularentur. Id praesertim turbulenta hac aetate nostra summum obtinet momentum, qua, post luctiferi belli rabiem, inter alias et Lithuanam gentem, praecipueque adulescentes eius atque iuvenes, immani ruina videmus conflictari: optimos quosque e sobole eadem, cum armis recens concurreretur per totum fere orbem, strenue decertantes, pro aris et focis vitam profudisse vel, in opus damnatos, in longinquas et inhospitales regiones: esse avectos; alios ad stipendia in alienis exercitibus merenda vi coactos,- non sine magno fidei periculo morumque integritatis; alios, qui in patria permanserunt, impiorum illecebris et incitamentis circumiri, praesertim eos qui in peculiaribus ephebeis artium disciplinis instituuntur, quo» communismi, quem vocant, falsis doctrinis subtilius imbuantur; alios denique, quorum plurimi percensentur, extorres patria in Europae,,

Americae Meridianae, Australiae regionibus vel aliis in locis vitam transigere debere. In tanta ergo calamitate, qua maior in tota Lithuanarum rerum memoria exstat nulla, huiusce populi iuventus, antiquae fidei haud immemor, Sanctum Casimirum, Regis Poloniae eiusdem nominis tertii filium atque Ditionis Lithuanae Ducem, cuius cultus iamdudum apud eam est vulgatus, ardentiore veneratione prosequitur et observantia. Hoc in lectissimo adulescente, qui vix viginti quinque annos natus vitam omni sanctitudine complevit honestatem, Apostolicae Sedis religionisque Catholicae fìdus amor luculentissime enituit, adeo ut schismatum venena in patria impiger rime conaretur abolere. Totus etiam erat in colenda Deipara Maria, quippe qui vel mortuus, chartulam in qua carmen in Eius laudem conscriptum legebatur, manibus tenens sit inventus. Eximio quoque praeconio extollendus est Sanctus Casimirus quod totius vitae spatio ab omni turpitudinis caeno servavit se immunem, dignus sane qui iniquis his temporibus, quibus castimoniae virtus nullis non impetitur artibus, Lithuanae iuventuti tamquam nobile et certum exemplum merito ac iure proponatur. Quibus omnibus perpensis, huius gentis Praesules, nomine etiam plurium civium, supplices ad Nos preces per Venerabilem Fratrem Vincentium Padolskis, Episcopum Larandensem, detulerunt ut Sanctum Casimirum iuventutis Lithuanae praecipuum Caelestem Patronum declarare benigne dignaremur. Nos porro, tam acerbum casum huius populi maximeque illorum ex eo qui primaevo adhuc vigent flore iuventutis, ex animo commiserantes, ut cultus erga memoratum Dei Famulum magis in dies augeretur uberioresque apud eos sanctitatis atque superni solacii fructus edere posset, huiusmodi vota libenti animo censuimus excipienda. Quapropter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctum Casimirum Confessorem totius iuventutis Lithuanae praecipuum apud Deum *Caelestem Patronum* confirmamus, constituimus ac declaramus, omnibus et singulis honoribus ac privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis coetuum Patronis competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam,

secus, super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Junii, anno **MCMXLVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Sud st. Secr. St.

III

BEATA MARIA VIRGO AB IMMACULATA CONCEPTIONE, VULGO ((DOMINA NOSTRA DE LANKA)) APPELLATA, TOTIUS DITIONIS DE ((CEYLON)) PATRONA CAELESTIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quandoquidem, ut ait S. Bernardus, « Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab Ea noverimus redundare », coetus complures ipsaeque nationes Eam sibi Caelestem Patronam adoptant, ut tot tantisque huius saeculi procellis iactati, sospites consistant et optata quiete donisque aeternis perfruantur. Quod etiam christiana plebs Taprobanes Insulae, recentiore aetate « Ceylon » nuncupatae, in qua Evangelium enixa Fidei praeconum opera sat diu annuntiatum, feliciter provehitur, erga Almam Virginem singulari devincitur pietate Eiusque se tuitioni fidenter committit, haud parum Nobis gaudii affert ac solacii. Quin, centum annorum spatio transacto, ex quo religiosi sodales e Congregatione Oblatorum Mariae Immaculatae labores missionales in hac Insula subierant, christiani iidem, tam iucundae memoriae ergo, totius regionis conventum agere decreverunt, in quo Intaminatae Virginis laudes omnium animorum consensione celebrarent. Quo igitur Eius cultus apud illos magis vigesceret et firmaretur, magnopere expedire visum est Archiepiscopo Columbensi eiusque Suffraganeis ut Virgo Immaculata totius Provinciae praecipua apud Deum Patrona, Nostra auctoritate ac sollemni more Ecclesiae additisque liturgicis privilegiis, declararetur. Re enim vera, cum, tumescente novissimo bello, laponensium impetus in Taprobanen Beatissimae Matris Mariae tutrici manu, ut non immerito creditur, esset praecautus, rec. mem. Ioannes Maria Masson, tum temporis Columbensis Praesul, iam die xv mensis

Februarii anno **MOMXLVII** totam Insulam apud specum « Tewatta » Virgini Immaculatae voluit devotam Eamque, pro domestica consuetudine titulo ((Dominae Nostrae de Lanka » honestatam, praecipuam elegit apud Deum Patronam. Cum igitur Venerabilis Frater Thomas Beniamin Cooray, Columbensis Archiepiscopus, eiusque Suffraganei humiles ad Nos preces detulissent ut huic piae electioni omnem vim et effectum auctoritate Nostra tribuere dignaremur, libenti animo censuimus votis huiusmodi obsecundare, simul ominantes ut Eadem Virgo Mater fideles, quos diximus, ab omnibus rebus adversis tueatur et in posterum ac custodiat. Quapropter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam, sine ulla peccati labe conceptam atque « Dominam Nostram de Lanka » secundum morem vernaculum vocatam, memoria tamen deficiente monumentorum, praecipuam totius Ditionis de « Ceylon » apud Deum Patronam confirmamus seu declaramus et constituimus, omnibus et singulis honoribus ac privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis regionum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Junii, anno **MCMXLVIII**„ Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Suhst. Secr. St.

IV

TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DITATUR ECCLESIA PAROECIALIS DEO IN HONOREM DESPONSATIONIS B. M. VIRGINIS, VIENNAE IN AUSTRIA, DICATA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Trecentesimum annum ab obitu Patris sui Legiferi Iosephi Calasanetii et ducentesimum ab eiusdem in Beatorum coelitum album adscriptione Sodales a Scholis Piis, hac Alma in Urbe potissimum et in Hispania, Sancti Iosephi nobilissima patria, necnon in variis nationibus et civitatibus ubi ipsi Calasanctiades commorantur, maxima sollemnitate et effusa laetitia celebrare contenderunt, et Nosmet Ipsi multimodis et celebrationum sollemnitatem augere et laetitiam cum Religiosa Familia de Ecclesia optime merita participare voluimus. Ut autem duplicis anniversarii perennis exstet et grata memoria nec non uberiores colligantur in futurum bonitatis fructus, ipsi Religiosi Sodales, religionis, pietatis, artis et christianae adolescentium institutionis opera et monumenta ad suas ecclesias et domos excitanda curaverunt. Hac ratione dilectus filius Gulielmus Gärtner a Sacris Cordibus, Delegatus Provincialis Scholarum Piarum in Austria, Nos enixe rogavit ut Ecclesiam Paroecialem ad S. Mariam Fidelem, Vindobonae, titulo et privilegiis Basilicae Minoris decorare dignaremur. Retulit enim Nobis idem orator Clericos Regulares Pauperes a Matre Dei Scholarum Piarum abhinc annos ducentos et quinquaginta Vindobonensi in urbe firmum suum domicilium posuisse et abhinc annos ducentos Austriae Religiosam memorati Ordinis Provinciam uti Viceprovinciam proprio coepisse iure frui. Sacra, quam diximus, aedes, Deo in honorem Desponsationis Beatae Mariae Virginis dicata, vulgo ad S. Mariam Fidelem vocatur, ibique, prout dicitur, invocatio « Virgo Fidelis », quae postea in usum Ecclesiae universalis transiit, Litaniis Lauretanis prima vice addita est. Templum ipsum architectura, artis operibus, sacrae supellectilis copia et pretio, inter alia illustris urbis Austriae Capitis, quasi gemma renidet et decem millium Christifidelium communis est domus eorundemque spiritualis vitae veluti cor et centrum. A Decessoribus Nostris, recolendae memoriae, Benedicto XIII primum et Pio XI denuo, id est anno Iubilaei **MOMXXV**, Sacrosanctae Nostrae Patriarchali Archibasilicae Lateranensi memorata ecclesia quasi filia est aggregata et ad eandem, antiquis temporibus, complures fideles, peregrinorum more, convenire consueverant. Quod si, ob temporum iniquitates et rerum adiuncta, haec

pia christianae plebis consuetudo decidit, spes arridet fore ut, aucta Ecclesiae ipsius dignitate, denuo ad ipsam confluant frequentes et devoti cives et peregrini, Beatissimae Virginis Fidelis opem impetraturi. Quae cum ita sint, cumque preces Nobis oblatas firmet et augeat grave suffragium Dilecti Filii Nostri Theodori S. **R.** E. Presbyteri Cardinalis Innitzer, Archiepiscopi Vindobonensis, easdem exaudiré ultro libenterque decrevimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis sedulo studio perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Paroecialem Deo in honorem Desponsationis Beatae Mariae Virginis, communiter Sanctam Mariam Fidelem nuncupatam, Viennae in Austria exsistentem, ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus cum omnibus honoribus ac privilegiis quae eidem titulo conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xxvu mensis Augusti, in festo S. Iosephi Calasanctii, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis diplomatibus expediendis

V

FOEDERATIO CATHOLICARUM STUDIORUM UNIVERSITATUM CONSTITUITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Catholicas studiorum Universitates, insignes doctrinae sacrae altiorumque humanarum disciplinarum sedes, Sancta Mater Ecclesia, divinae veritatis magistra ac tutrix, per totum

fere orbem condidit, ne, tot repentibus erroribus, tot scholis cum Dei religionisque neglectu vel contemptione institutis, studiosa discipulorum sobóles deciperetur et ingentia pateretur animarum detrimenta.

Eadem ergo provida Mater abhinc quindecim praesertim lustra, quibus ad defectionem a Summa Veritate improbe et infense est incitatum usquequaque, omni ope enixa est ut haec scientiae rectique cultus plantaría quam maxime promoveret, virtutibus christianis informaret atque,, supremo suo magisterio firmiter inhaerentia, iurium Dei vindicandorum valida efficeret praesidia hominumque tenebris obvolutorum perfugia salutis.

Igitur hae Catholicae studiorum Universitates, inter tot temporum ac rerum difficultates a Sancta Sede excitatae, tardius quidem quod ad numerum, augescebant ac maiores in dies colligebant vires, adeo ut iam totum terrarum orbem rutila luce collustrent ; haud secus ac « granum sinapis... quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius » (Matth. XIII, 32).

Maximis ergo hisce studiorum domiciliis tam feliciter propagatis, perutile visum est ut eorum magistri et alumni in communem quandam consociationem coalescerent, quae, Summi Pontificis, utpote omnium Patris et Doctoris, auctoritate suffulta, collatis consiliis iunctaque opera lumen Christi impensius diffunderet ac dilataret.

Quocirca factum est ut anno 1924 duodeviginti Athenaea Catholica, fel. mem. Pio Pp. XI, Decessore Nostro, probante amplissime ac benedicente, foedere sociarentur eo consilio ut eorundem Rectores una cum professoribus aliisque ab ipsis delegatis, sollemnes conventus per temporis intervalla agentes, ea pertractarent negotia quae ad praecelsum eorum finem communiter provehendum maxime utilia forent et accommodata.

Nunc vero, immanissimo confecto bello, inter ea quae ad pacem caritatemque inter homines conciliandam ac firmandam conferunt, perquam opportunum habendum est, si omnes totius orbis Catholicae studiorum Universitates in magnam foederationem conveniant.

Quibus omnibus mature perpensis, Venerabilis Frater Noster Iosephus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Pizzardo, Albanensis Episcopus ac Sacrae Congregationis de Seminariis studiorumque Universitatibus Praefectus, precibus Nos adiit ut memoratam Athenaeorum Catholicorum foederationem constituere dignaremur. Nos autem, qui nihil antiquius habemus quam ut bonis studiis uberiora addamus incrementa

et doctrinae Catholicae latiorem nbiqne pandamus viam, huiusmodi vota libenti animo censuimus excipienda.

Itaque praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra atque de Apostolicae potestatis plenitudine, *Catholicarum studiorum Universitatum foederationem* erigimus et constituimus, quae complecti valeat Athenaea quae vel Sancta Sedes ipsa per orbem canonice erexit erigetve in posterum, vel tamquam ad normam Catholicae institutionis directa eique plane conformata aperte agnoverit, omnibus privilegiis, iuribus et officiis personas, ad quas pertinet, cumulantes simulque definientes ut ea ipsa foederatio statutis regatur quae a Sacra Congregatione Seminariis studiorumque Universitatibus praeposita, fuerint approbata. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Haec edicimus, statuimus ac declaramus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari : sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXVII** mensis Iulii, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis diplomatibus expediendis

VI

AEDES AETERNAE SAPIENTIAE DICATA, INTRA ROMANAE STUDIORUM UNIVERSITATIS SAEPTA SANCTAE SEDIS SUMPTIBUS EXTRUCTA, STUDIO URBIS PRO CATHOLICO CULTU DONATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Romanorum Pontificum, Decessorum Nostrorum, vestigiis insistentes, iuvenes, Academiarum tirones, peculiari prosequimur amore omnique ope contendimus ut, dum in studiis versantur, ad doctrinam accedat pietas virtutumque exercitatio. Quocirca non mediocri cum gaudio Nostro evenit ut ab hac Apostolica Sede et a Romana Studiorum Universitate die xxx mensis Iunii, anno

MCMXLVII, feliciter sit constitutum intra fines eiusdem Universitatis excitari Aedem Aeternae Sapientiae dicandam, quae tam doctoribus alumnisque, quam civibus pateret Romanis. Hae pactiones, testibus quoque pluribus clarissimis tum e Civitate Vaticana tum ex eodem Athenaeo viris, a desideratissimo Filio Nostro Raphaele Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Rossi, nomine Sanctae Sedis Nostraque auctoritate, nec non a dilecto filio Iosepho Caronia, doctore, tum temporis Romanae Studiorum Universitatis Rectore Magnifico, subsignatae fuere. Nobis proinde, qui religionis instituta, memorias ac monumenta antiquissimi Romani Athenaei a Sapientia nuncupati non ignoramus, in quo paucis ante saeculis conspicuum exstructum est, Francisci Borromini ingenio atque opera, in spirituale magistrorum ac discentium commodum Sancti Ivonis Oratorium, opportunum visum est, anno praesertim quo Contardum Ferrini, olim in Italicis Studiorum Universitatibus professorem, inter Beatos Caelites Nosmet Ipsi sollemniter rettulimus, piis enixisque precibus annuere, quas Nobis praeceptores et alumni novi Athenaei Romani adhibuerunt. Quapropter in animum induximus sacram Aedem, Nostris sumptibus ex memorata conventione nunc erectam, eidem ipsi Studio Urbis in perpetuum donare. Eam igitur, pactionis eiusdem tenore cultui tantum Catholico in perpetuum destinatam, dilecto filio Iosepho Cardinali, doctori, hodierno Rectori Magnifico, hisce Litteris Nostris publice tradimus. Idem vero aedificium, in honorem Aeternae Sapientiae intra Romanae Studiorum Universitatis saepta dicatum, plane confidimus in verum iuvenum bonum provehendum ita esse cessurum, ac per se ipsum eorundem animos sic perculsurum ut, dum in disciplinarum pervestigationem optimaque studia, sicut eos condecet, incumbunt, ii adigantur ad ea exquirenda quae ad superna ac caelestia trahunt, Aeternam testantur Veritatem mentesque ad Deum convertunt, omnium « scientiarum Dominum ». Haec edicimus, statuimus, decernentes hasce Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter seu ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Martii, anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

EPISTULAE

I

AD EXCMUM P. D. FRANCISCUM BERETTI, ARCHIEPISCOPUM TIT. LEONTOPOLITANUM IN PAMPHILIA EUNDEMQUE COLLEGII SANCTI SPIRITUS COMMENDATOREM, QUINQUAGESIMUM ANNUM AB INITO SACERDOTIO IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Peragenti tibi propediem annum a suscepto sacerdotio quinquagesimum feliciter plenum, temperare Nobis non possumus, quin gratulationes Nostras atque fervida omina iucunde exhibeamus. Compertum enim habemus animarum studium, quo in diuturna tua sacri ministerii perfunctione semper enituisti, initio quidem in Congregatione Mariana a Caravita nuncupata, in primordiis tui sacerdotii admodum fiorenti, deinde paroeciale munus obeundo, primo in ecclesia Sancti Angeli in Foro Piscario, tum brevi tempore in Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, postea complures annos in Sancti Laurentii in Lucina, denique hodie in Basilica Patriarchali Sancti Petri in Vaticano. Praeterea iam longo temporis spatio, tamquam Vicariatus Urbis delegatus alia pietatis geris ofiicia apud Romana valetudinaria. Nos igitur, Venerabilis Frater, qui te in flore ipso aetatis condiscipulum habuimus, quique nuper peculiare benevolentiae Nostrae testimonium praebuimus, quum te ad archiepiscopalem dignitatem proveximus, de sacerdotali munere tam diu utiliterque peracto ex animo tibi gratulamur, omnia fausta felicia prospera a Deo adprecantes. Caelestis interea remunerationis conciliatrix et nuntia peculiarisque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die x mensis Decembris, anno **MDCCCCXXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

AD REVMOS P. KILIANUM LYNCH, PRIOREM GENERALEM ORDINIS FRATRUM BEATAE MARIAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO ET P. SILVERIUM A SANCTA THERESIA, PRAEPOSITUM GENERALEM FRATRUM DI SC ALCE ATORUM BEATAE MARIAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO : SEPTIMO EXEUNTE SAECULO AB INSTITUTIONE SACRI SCAPULARI S CARMELITARUM.

PIUS PP. XII

»	»	»	Munsig. Merchant Guglielmo H., della medesima diocesi.
15	settembre	»	Monsig. Tracanna Aurelio, della diocesi di Atri.
17	»	»	Monsig. Kelley Giovanni Giuseppe, della diocesi di Pueblo.
26	»	»	Monsig. Alcindo Carlo Veloso de Siqueira, della diocesi di S. Carlo del Pinhal.
2	ottobre	»	Monsig. Bezon Enrico Carlo, dell'arcidiocesi di New Orléans.
»	»	»	Monsig. Frey Gerardo Ludovico, della medesima arcidiocesi.
14	»	»	Monsig. Head Enrico G, della diocesi di Green Bay.
»	»	»	Monsig. Westenberger Edoardo, della medesima diocesi.
	»	»	Monsig. Bagnoli Luigi, della diocesi di Guastalla.
»	»	»	Monsig. Dolceamore Amedeo, della diocesi di Penne.
20	»	»	Monsig. Mendoza Guerrero Giulio, della diocesi di Cali.
»	»	»	Monsig. Stefan Andrea Vittore, della diocesi di Paterson.
28	»	»	Monsig. Maselli Benedetto, della diocesi di Rochester.
»	»	»	Monsig. Mazzoncini Vittorio, della diocesi di Pescia.
»	»	»	Monsig. Tognarelli Giulio, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. De Daszkiewicz Antonio, della diocesi di Ventimiglia.
5	novembre	»	Monsig. Zucca Salvatore, della diocesi di Ales.
17	»	»	Monsig. Acquafreda Francesco Antonio, della diocesi di Valencia nel Brasile.
20	dicembre	»	Monsig. Girouard Gastone, della diocesi di San Giacinto.
22	»	»	Monsig. Collins Raffaele, della diocesi di Lincoln.
26	»	»	Monsig. Cacciatore Angelo, della diocesi di Agrigento.
»	»	»	Monsig. D'Angelo Lorenzo, della diocesi di Andria.
»	»	»	Monsig. Alfano Vito, della diocesi di Caltanissetta.
»	»	»	Monsig. Fiordelli Pietro, della diocesi di Città di Castello.
»	»	»	Monsig. Radice Carlo, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Flamini Marino, della diocesi di Osimo e Cingoli.
»	»	»	Monsig. Ciabattini Ubaldo, dell'arcidiocesi di Siena.
3	gennaio	1950.	Monsig. Zabkar Giuseppe, della diocesi di Lubiana.
»	»	»	Monsig. Lizambri Venusto, della diocesi di Montefeltro.
»	»	»	Monsig. Sebastiani Italo, della medesima diocesi.

11 gennaio 1950. Monsig. Gilligan Martino, dell'arcidiocesi di Cincinnati.
15 » » Monsig. Rizzo Angelo, della diocesi di Ariano.
» » » Monsig. Longobardi Catello, della diocesi di Castellammare di Stabia.
» » » Monsig. Bartoli Emanuele, dell'arcidiocesi di Malta.
21 » » Monsig. Jubasz Colomanno, della diocesi di Csanád.
. » » » Monsig. Palmai Giuseppe, della diocesi di Gran Varadino dei Latini.
» » » Monsig. Moras Giuseppe, della diocesi di Vittorio Veneto.
23 » » Monsig. Filici Alfredo, dell'arcidiocesi di Rossano.
27 » » Monsig. Sinigallia Giovanni, dell'arcidiocesi di Atene.
» » » Monsig. Mariotti Antonio, della diocesi di Fano.
» » » Monsig. Santarelli Leandro, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Ferraro Nicola, dell'arcidiocesi di Gaeta.
29 » » Monsig. Mühlebach Alberto, della diocesi di Basilea.
22 febbraio » Monsig. Gordon Giovanni, dell'arcidiocesi di Dublino.
» » » Monsig. Veuillot Pietro, dell'arcidiocesi di Parigi.
5 marzo » Monsig. Lastella Enrico, della diocesi di Lacedonia.
» » » Monsig. Fuhrmann Ernesto, dell'arcidiocesi di Strigonia.
» » » Monsig. Pálfi Ludovico, della medesima arcidiocesi.
17 » » Monsig. Rizzi Antonio, della diocesi di Ascoli Satriano.
» » » Monsig. Fieni Paris, della diocesi di Cerignola.
» » » Monsig. Leone Michele, della medesima diocesi.
5 maggio » Monsig. Troteau Vittoriano, dell'arcidiocesi di Ottawa.

Camerieri segreti soprannumerari di spada e cappa di S. $. :

29 dicembre 1948. Al sig. Constable Maxwell Gerardo Giuseppe, della diocesi di Portsmouth.
» giugno 1949. Al sig. Stearns Foster, della diocesi di Manchester.
» » » Al sig. Dervaux Raimondo, della diocesi di Soissons.
6 agosto » Al sig. Beri E. Ennals, della diocesi di Wilmington.
» » » Al sig. Lynch Stewart, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Raskob Guglielmo F., della medesima diocesi.
4 dicembre » Al sig. nob. Castiglione Humani Vincenzo (Roma).
» febbraio 1950. Al sig. Strake Giorgio W., della diocesi di Galveston.
17 marzo » Al sig. Pagani Planea Incoronati Alberto (Roma).

Camerieri d'onore in abito paonazzo di Sua Santità :

30 agosto 1946. Monsig. Benuska Paolo, della diocesi di Nitra.
» » » Monsig. Patka Andrea, della medesima diocesi.
22 aprile 1947. Monsig. Hanzlik Giovanni, dell'amministrazione apostolica di Tirnava.

:22 aprile 1947. Moíisig. Karmas Augusto, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Klco Giovanni, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Zajac Vendelino, della medesima amministrazione apostolica.
» » » Monsig. Cech Stefano, dell'arcidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Horky Martino, della medesima arcidiocesi.
11 giugno 1949. Monsig. Chadim Edoardo, della diocesi di Brno.
» » » Monsig. Jancik Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Pelan Francesco, della medesima diocesi.
23 luglio » Monsig. Zelier Francesco, della diocesi di Secovia.
28 ottobre » Monsig. De Riccardis Pantaleo, della diocesi di Lecce.
24 novembre » Monsig. Muzzatti Vincenzo, della diocesi di Concordia.
18 dicembre » Monsig. Zoli Mario (Roma).
3 gennaio 1950. Monsig. Gobbi Marino, della diocesi di Montefeltro.
» » » Monsig. Pucci Cirillo, della medesima diocesi.
15 » » Monsig. Cesarini Vincenzo, della diocesi di Senigallia.
» » » Monsig. Morici Americo, della medesima diocesi.

Camerieri d'onore soprannumerari di spada e cappa di S. S. :

2 dicembre 1949. Al sig. prof. Gedda Luigi (Roma).
4 » » Al sig. Urso Biagio (Roma).
» » » Al sig. Bottiglieri Girolamo, della diocesi di Salerno.
17 marzo » Al sig. Lo Coco Pietro (Roma).

Cappellani d'onore extra urbem *di Sua Santità :*

:21 gennaio 1950. Monsig. Camera Pasquale, dell'arcidiocesi di Amalfi.
» » » Monsig. Di Stefano Gregorio, della medesima arcidiocesi.

Cappellani segreti d'onore di Sua Santità :

18 febbraio 1950. Monsig. Durante Mario, dell'arcidiocesi di L'Aquila.
» » » Monsig. Ottaviani Vittorio, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Torlone Amilcare, della medesima arcidiocesi.

An. et vol. XXXXII 9 Iunii 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATARUM VIRGINUM BARTHOLOMAEAE MARIAE CAPITANIO ET CATHARINAE VINCENTIAE GEROSA, IN BASILICA VATICANA DIE XVIII MENSIS MAII A. MDCCCCL HABITA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, haec respondit :

Sacrae virgines duae, niveo candore fulgentes ac superna inceiisae caritate, e caelestis beatitatis sede Summo Pontifici arrident, qui iam eas sanctitatis infula decoraturus est. Dum triumphans laetatur Ecclesia, non minore gaudio militans afficiatur, ac novis excitata exemplis salutaribus, novisque donata praesidiis, ad christianae virtutis enitatur assequenda fastigia.

Tum Sanctissimus ex Cathedra sollemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exarationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum No-

strorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Bartholomaeam Capitanio et Beatam Vincentiam Gerosa, Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illarum memoriam quolibet anno die earum natali, Bartholomâeae nempe die xxvu Iulii, et Vincentiae xxvui Iunii inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Pa £g tris et Fi £ß Iii et Spiritus £g Sancti.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Hoc in terrestri exsilio nihil profecto pulchrius, nihil amabilius, quam Candidus virginitàtis nitor, quo vultus, oculi, animi radiantur; et quo cementes omnes suavi quodam modo ad caelestia excitantur ac diriguntur. Quodsi huic intaminatae integritatis fulgori divinae caritatis flamma coniungitur, tum aliquid habetur, quod hominum mentes vehementius commovet, voluntates impensius trahit, atque ad praeclara illa patranda facinora impellit, quae christiana solummodo virtus efficere potest. Hoc in sacris illis caelitibus admirari licet, quibus Nos hodie, summo cum gaudio, hac in excelsa rerum maiestate, sanctitudinis honores tribuendos decrevimus.

Bartholomaea Maria Capitanio ingenium sortita est perspicax, vivax ac vehemens; at illud inde a teneris unguiculis ita edomuit, temperavi!, inflexit, ut superna iuvante gratia, quam enixis efflagitabat precibus, ad Caelum unice dirigeret, ad christianam assequendam perfectionem et ad divinae omnibus in rebus obtemperandum voluntati.

In domestico convictu quasi angelus apparuit; ac patrem suum e cauponae lusionisque illecebris, quibus immodice delectabatur, ad christianam parsimoniam probitatemque suavi quadam alloquendi agendique ratione reduxit. In oppidulo suo,

ac deinceps in Claralium coenobio, ubi instituenda educandaqüe aliquot vixit annos, praeclaro omnibus exemplo fuit. Itaque virtutibus exornata, ac praesertim virginali castimonia, flagrantissimae pietatis studio atque impensa erga Deum, erga proximos caritate, divino quodam afflatu ad id se vocatam sensit, ut non modo suae ipsius saluti divina ope consuleret, sed ceterorum etiam, quantum poterat, consilio et opera prospiceret. Quamobrem de sacrarum virginum Instituto condendo cogitare coepit, cuius esset puellarum recte suscipere educationem, aegrotorum in valetudinariis animi corporisque curare infirmitates, senibus egentibus praebere refugium, derelictis largiri hospitium, omnes denique miseros atque afflictos pro facultate mulcere ac relevare.

At quomodo poterat haec simplex puella, fere omni humana ope destituta, tam magnum, tam arduum propositum ad felicem deducere exitum ? Nihil prorsus se valere profitebatur ; illam tamen Apostoli gentium sententiam sibi tribuere poterat: « Omnia possum in eo, qui me confortât » : [1] nam ipsa non propriis viribus, non suae ipsius voluntati, sed Deo unice confidebat, eiusque caelesti auxilio. Quid autem est, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, quod invicta fides aggredi, quod christiana caritas assequi, Numine iuvante, nequeat? Nihil omnino, ut universa catholicae religionis historia edocet, ac miranda sanctorum virorum sanctarumque mulierum vita admonet.

Itaque Bartholomaea Capitanio, conscientiae suae moderatore suadente ac divina aspirante gratia, paucis cum puellis ac felicibus cum auspiciis, Instituti sui fundamenta iecit. At erat divinitus provisum ut, florescente adhuc aetate, quasi candidum lilium a divino suo Sponso excideretur, atque ad praemium vocaretur sempiternae potiündae beatitatis.

Hoc in rerum discrimine visum est Institutum ab ea conditum, quod ut tenuis arbuscula nondum radices egerat, morti esse destinatum; attamen non humani, sed divini consilii res

[1] ***Philipp.***, IV, 13.

erat, atque adeo interire non poterat. Altera virgo exstitit, non minoribus animi dotibus donata, ac praesertim innocentiae nitore, christiana simplicitate, integerrima fide, invicta fortitudine incensaque caritate. Catharina Vincentia Gerosa, postquam summo cum maerore desideratissimam comitem suam ac laboris sociam e vivis ereptam profusis lacrimis deflevit, ad Eucharistica tabernacula se contulit, ibique caelesti Sponso, quem vehementer adamabat, animum suum incertum, trepidum, anxium aperuit; ab eoque lumen, consilium, solacium, vires supplicibus impetravit precibus.

Se nihil posse noverat; sed noverat etiam se omnia posse illius virtute suffultam, qui « infirma mundi elegit..., ut confundat fortia ».[2] Mente igitur divinitus collustrata, voluntateque superno confirmata robore, postquam ab animi sui moderatore audivit se esse ad tantum opus destinatam, inceptum alacriter exsequendum moderandumque suscepit. Ac quotiescumque cernebat se imparem esse, suasque sentiebat imminui ac deficere vires, iterum iterumque divinum Sponsum suum deprecatur a adibat, atque ad immaculatae eius Geïietricis aram acclinis et supplex longissimam ac suavissimas traducebat horas. Inde profecto vim illam hauriebat supernam, quae difficultates omnes exsuperat, quae omnia vincit, quae animo, etsi adversis turbulentisque rebus iactato, dat requietem et pacem. Itaque, divino opitulante Numine, ea moderatrice factum est, ut parvula illa arbor, quam imgandam ac sustentandam susceperat, excelsa ac ramosa succresceret, atque uberes ederet fructus salubérrimos.

Respiciat ipsa de Caelo — una cum prima sui laboris socia, quam quidem pro sui animi demissione matrem nuncupare solebat — respiciant ambae benignae, novo hodie fulgore insignitae, ab se conditam religiosam sodalitatem; a Deoque validissimo suo patrocinio impetrent, ut filiae omnes, quibus idem evangelicae perfectionis institutum quasi sacra hereditate reli-

[2] */ Cor.,* I, 27.

quemnt, utriusque praeclara exempla libentes volentesque imitentur; idque etiam efficiant pro viribus, ut quotquot suae institutioni suisque curis concrediti sunt, eadem sanctissima vestigia alacriter actüoseque sequantur. Amen.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

INSULAE FORMOSAE SEU KAOHSUNGENSIS
(TAIPEHENSIS)

PRAEFECTURAE APOSTOLICAE INSULAE FORMOSAE, IN POSTERUM KAOHSUNGENSIS VOCANDAE, TERRITORIUM BTPARTITUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA TAIPEHENSIS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo in Insula Formosa seu Taiwan melius aptiusque evangelizationis operi consuli possit, Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando praeposita, audito favorabili voto venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Barensis et Internuntii Apostolici in Sinis, peramplum Praefecturae Apostolicae Insulae Formosae territorium bipartire et novam exinde Praefecturam Apostolicam erigere censuit. Quapropter Sacra illa Congregatio, vigore facultatum, sibi a Nobis peculiariter concessarum et per totum verteiltem Iubilarem Annum millesimum nongentesimum quinquagesimum valiturarum, a Praefecturae Apostolicae Insulae Formosae, ex Decreto eiusdem Congregationis, die undevicesima huius mensis edito, posthac *Kaohsungensis* nomine nuncupandam, territorio civiles provincias *Taipeli, Shinchu* et *Hoalien* seiunxit, harumque territorium in novam Praefecturam Apostolicam, *Taipehensem* nomine, hac ipsa die erexit eamque dilectis Filiis Congregationis Discipulorum Domini Sodalibus, qui illic tam impense ac fructuose in Christi regno prolatando adlaborant, concredendam decrevit. Nos vero, hanc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam excipientes ac ratam habentes, harum Litterarum Nostrarum vi ac tenore, confirmamus et roboramus praefatamque novam Praefecturam Apostolicam

Taipehensem uti supra erectam et constitutam declaramus. Huic igitur novae Praefecturae eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Nemini ergo liceat hanc paginam dismembrationis, erectionis, commissionis, confirmationis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire. Si quis vero hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die trigesima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. **E.** B. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELYAGGIANI
8. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXVIII, n. 10. - Al. Trussardi.

H

II

CAMPIFONTIS
(WIGOBNIENSIS)

A DIOECESIS CAMPIFONTIS TERRITORIO PARS DISTRAHITUR, QUAE IN NOVAM DIOECESIM, WIGORNIENSIS NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad animarum bonum satius provehendum quam maxime iuvat ita «ecclesiasticas circumscriptiones ordinari, ut fidelium necessitatibus pro locorum adiunctis apprime respondeant. Quo motus consilio, venerabilis Frater Hamletus Ioannes Cicognani, Archiepiscopus Laodicensis in Phrygia, Delegatus Apostolicus in Americae septentrionalis Statibus Foederatis, habito aliquot Ordinariorum favorabili voto, ab Apostolica 'Sede postulavit ut a dioecesis Campifontis, modo vacantis, territorio pars dismembretur, quae in novam constitui queat dioecesim, alterius vigilantis Antistitis regimini concredendam. Nos vero, qui nihil antiquius habemus, quam ut catholica res magis magisque ubique terrarum florescat et christifideles commodiora habeant ad spirituale assequendum bonum emolumenta, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum consilio, oblatis precibus praefatis benigne annuere censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi a quam memoravimus dioecesis Campifontis territorio comitatum civilem separamus, qui vulgo *Worcester* appellatur, illumque in novam erigimus et constituimus dioecesim, cui a Wigornia urbe, vulgo *Worcester*, quae comitatus illius princeps est, *Wigorniensis* nomen erit. In hac autem urbe dioecesis episcopalem sedem constituimus; templum vero Deo in honorem S. Pauli dicatum, ibidem exstans, ad Ecclesiae Cathedralis gradum evehimus, et huic et pro tempore Episcopis Wigorniensibus omnia tribuimus iura, privilegia, insignia, honores, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi gaudent, eosdemque pariter omnibus adstringimus oneribus et obligationibus, quibus et «ceteri adstringuntur. Novam autem hanc dioecesim Wigorniensem suf-

fraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Bostoniensi, eiusque Episcopos metropolitico subiicimus iuri Archiepiscopi Bostoniensis. Indulgemus insuper ut, usque dum Capitulum Cathedrale constitui nequeat, Consultores dioecesani, ad iuris tramitem, eligantur et adhibeantur. Quod vero ad dioecesis istius regimen, administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad Seminarii dioecesani constitutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quoad autem clerum peculiariter attinet, decernimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus insuper ut omnia documenta et acta, quae novam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, a Cancellaria dioecesis Campifontis ad novae dioecesis ^Vigorniensis Curiam quamprimum tradantur, ut in huius archivo religiose serventur. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Delegatum Apostolicum in Americae Septentrionalis Statibus Foederatis, vel eum qui in exsecutionis actu illi Delegationi Apostolicae praeerit, deputamus et illi facultates tribuimus ad id necessarias et opportunas etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur,, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar, quam primum fas erit, transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore. suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ce-

terisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis; statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die quartadecima Ianuarii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. **R. E. Cancellario**

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI Fr. A. I. Card. PIAZZA.

S. *Collegii Decanus.* *S. C. Consistorialis a Secretis.*

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco Plumbi

Reg. ***in*** *Canc. Ap., vol. LXXVIII,* ***n*****.** *81.* - **Al. Trussardi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTUS IOANNES BOSCO, CONFESSOR, SODALITATIS CATHOLICORUM EDITORUM EX ITALIA PRAECIPUUS CAELESTIS PATRONUS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quantum hisce temporibus, quibus artium studia doctrinaeque summam obtinuerunt vim et incrementum, libri, ephemerides, folia, typis impressa, valeant ubique, nemo est qui ignoret ; quae saepe, ut experientia compertum est, in hominum salutem atque beneficium vertuntur, eadem ad perniciem et corruptionem possunt plurimum. Ut ergo damna haec pro viribus praecaveantur, Catholicorum Sodalitati Editorum gentis Italicae expedire visum est Caelestis Patroni praesidium deposcere, e quo in hac arte versantes similitudinem duce-

rent cuiusque cogitatione animum et mentem conformarent. Supernum yero id munus Sancto Ioanni Bosco ita putant demandandum ut nemini rectius, quippe qui nec impensae pepercerit nec labori ut honestos libros quoquoversus propagaret quique eo processerit ut, coëmptis scriptis haeretico tabo infectis, integros in eorum locum substitueret atque ipse conscriberet quod plebis christianae facultati et ingenio foret accommodatum. Qui ad huius operis rationem suscipiendam persequen--damque Sanctum Franciscum Salesium principem habuit ac prötectorem, hic vir, excellens virtute et animarum studio flagrans, societatem instituit cuius esset libros et commentarios, christianae doctrinae congruentes, passim disseminare, et instrumenta ac subsidia sibi comparavit ut dilataret inceptum atque stabiliret : namque sodales plures sibi asciscebat, qui scientia et copia praestabant quibusque unus erat amor animarum, ac librarías excitabat officinas, ingeniosis recentioris aetatis machinationibus instructas. His adiutus, praeter ea quae Italica lingua « Letture cattoliche » inscripsit, opuscula, quibusque cum vulgus tum scholarum praesertim tirones ad bonam frugem revocabat, in edendis libris magnas est molitus res ea quidem tempestate qua de antiquis scriptoribus legendis, elegantibus iisdem sed a christiana institutione alienis, multum disceptabatur. Eius enim auctoritate praeclara opera Latina, Graeca et Italica, pro iuvenilibus animis de industria castigata, ex ordine sunt edita nec non series selectorum christiani nominis scriptorum : cui tam gloriosum laborem subeunti mentis flumen non deerat multorum sociique annum praebebant plurimi. Eodem quoque Sancto Ioanne Bosco agitante, léxica variarum linguarum et ad eruditionem doctrinamque vel disciplinas speciales spectantia, condita sunt ac divulgata atque tractatus de historiis, physicis, philosophia, theologia, artibus, musicis, ac fabulae ad scaenarum actus compositae. Cuius animum cura sollicitabat adulescentium, litterarum studio deditorum, idem ipse data opera enitebatur ut ab eis, utpote tenellis atque fluxis, propulsaret pericula eosque libris, quibus christianae virtutes exponebantur Sanctorumque vitae, ad verecundiam ac pietatem permoveret. Neque minus cordi erat illi populus Dei quem eiusdem artis librariae operibus studebat erudire, «qua ex parte satis est memorare commentariorum qui « Letture cattoliche », ut diximus, nominabantur, decem lustris a quo primum emissi essent, centies fere centena milia e scriptoriis prodiisse officinis, eundem que piissimum magistrum opuscula historica vel ad res divinas pertinentia, a vulgari intelligentia haud remota, et innumerabiles paginas volitantes, praelo excussas, quibus deterrimam colluviem vesanorum .scriptorum atque catholicam veritatem petentium prohiberet, diffudisse

longe lateque. Cum denique actis Societatis Salesianae, quae Italico nomine « Bollettino Salesiano » appellantur, hic multorum animos amore operum missionalium incenderit adduxeritque ad sacra capessenda munia, de Ecclesia optime meritus est ea ipsa arte typographica. Ut igitur illi in quos maxima vis et pondus librorum atque ephemeridum, praelo multiplicatur um, recidunt, in tanto officio haberent quem intuerentur, cuius obtegerentur protectione, invenirent, Catholicorum Sodalitas Editorum nationis Italicae supplices preces Nobis adhibuit ut Sanctum Ioannem Bosco praecipuum sibi Caelestem Patronum constituere •dignaremur. Nos autem, hoc consilium aperte probantes ut huic aetati iniquae admodum consentaneum, qua per laboriosa volumina ac diaria exilia tot videmus serpere errores quaque plurimum refert scripta scriptis refellere ac legentium oculis quasi porrigere sincera pabula veritatis, hisce votis libentissime statuimus obsecundare. Quapropter, audito Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Episcopo Praenestino ac Sacrae Rituum Congregationis Praefectoj certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Ioannem Bosco, Confessorem, Catholicorum Sodalitatis Editorum ex Italia praecipuum apud Deum Caelestem Patronum constituimus ac declaramus, omnibus honoribus et privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere : illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxitf mensis Maii, in festo Beatissimae Virginis Mariae Auxiliatricis, anno MCMXLVi, Pontificatus Nostri octavo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Subst. Secret. St.

II

ECCLESIA CATHEDRALIS METROPOLITANA MEDELLENSIS HONORIBUS BASILICAE MINORIS INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter praeclariora catholicae fidei monumenta quibus est ornata Columbiana Respublica certe Ecclesia Cathedralis Medellensis, Deo in honorem Immaculatae B. M. V. Conceptionis dicata, est accensenda. Ipsa enim non solum cetera memoratae civitatis et archidioecesis templa dignitate et honore praecellit, sed etiam totius Nationis sacras aedes molis amplitudine, egregia forma, ad leges romanae architecturae plane composita et veterum Basilicarum similitudinem referente, necnon mirabili tum singularum partium tum totius aedificii praestat pulchritudine. Quam auget et admirabiliorem reddit magna pietas fidelium, qui hoc venerabile templum a fundamentis excitandum et omnimode exornandum curarunt, quique, illuc turmatim convenientes, devoti celebrare non desinunt. Illustre ibidem Canonicorum Collegium, artefactis sedibus insidens, commisso sibi munere nomine Ecclesiae divinas laudes concinendi et sacra peragendi, assidue et decore perfungitur, ita ut debitus cultus, a sacerdotibus et fidelibus, qua par est devotione et sollemnitate, iugiter Deo tribuatur. Haec Nobis cum retulerit Venerabilis Frater Ioachim García Benitez, Archiepiscopus Medellensium, Metropolitanae Ecclesiae suae honorem augere, suorumque fidelium animos intima magnaque laetitia afficere exoptans, humiles et enixas Nobis adhibuit preces ut memoratum princeps templum Basilicae Minoris titulo insignire dignaremur. Quibus votis Nos benigne concedere volentes, ut supplicanti Archiepiscopo et Christifidelibus non solum archidioeceseos Medellensis sed etiam totius ditionis Columhianae gratificemur, Nostramque benevolentiam publice ostendamus, conlatis consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia et matura deliberatione Nostris atque Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Metropolitanam Medellensem, Deo in honorem Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis dicatam, honoribus ac privilegiis *Basilicae Minoris* decoramus atque afficimus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus ac statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illis-

que ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritum*que* ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Iunii, anno **MCMXLVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

DOMINICUS SPADA
a Brevibus Apostolicis

III

DELEGATIO APOSTOLICA DE « DAKAR » CONSTITUITUR

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Expedit et Romanorum Pontificum usu institutoque receptum est, ut quae prosperitate Christiani gregis in longisquis regionibus feliciter succrescentis eiusque regimini satius prospicere queant, ea sollicito studio decernantur ac promoveantur. Iamvero, quum in Africae et continentalis et insularis regionibus, subiectis Gallicae dicioni civili ac Sacrae Congregationis de Propaganda Fide potestati religiosae, fidelium numerus, hisce praesertim postremis annis, auctus sit, atque iisdem in locis Missiones plurimum susceperint incrementi ac profectus, nec non auctoritatem exerceant, ut earundem Pastoribus studium ac benevolentia Apostolicae Sedis praestentur, atque catholicae disciplinae unitati aptiore ratione consulatur, opportunum visum est consilium novam Delegationem Apostolicam pro memorata Africae parte, sicut iam pro aliis Africae territoriis provisum est, constituere. Quare, audito consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui negotiis Propagandae Fidei praepositi sunt, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi, pro paterna Nostra sollicitudine et, quem fovemus, amore erga Missiones illas, Delegationem Apostolicam Africae cum continentalis tum insularis, dicionis Gallicae, Sacrae de Propaganda Fide Congregationis potestati subiectam, vulgo « de Dakar » appellandam, erigimus atque constituimus, certa spe freti hanc novam Delegationem necessitatibus Mis-

sionum fideliumque bono melius atque utilius provisuram esse. Volumus autem ut haec Delegatio singulas attingat Missiones Sacrae Congregationis de Propaganda Fide potestati subiectas, exstantes in Africa continentali et insulari Gubernio Gallico subiecta, adiectis quoque Dioecesi Reunionis, tota Madascariensi Insula et aliis finitimis Insulis dicionis Gallicae, illis tamen exceptis Dioecesibus Africae Septemtrionalis, Carthaginensi nempe, Constantiniana, Algeriensi et Oranensi. Haec statuimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac fore; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his,, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum ex arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xxn mensis Septembris, anno MCMXXXXVIII,, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Subst. Secr. St.

IV

ECCLESIA CATHEDRALIS AUGUSTODUNENSIS, DEO IN HONOREM SANCTI LAZARI, EP. CONF., DICATA, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Aeduorum principem Civitatem Almae Urbi Romae suam, non sine providenti Dei consilio, arctissime intexuisse sortem, nemo est qui ignoret atque ex historicis patet monumentis. Etenim quae, a Romanis subiecta atque ab Augusto Imperatore et nomine donata et privilegiis aucta, « Soror et Aemula Romae)) gloriabatur, ipsa Augustodunensis Galliae Civitas, cito Evangelii praeconio honestata nec non Episcopali Cathedra, ac Sancti Symphoriani sanguine purpurata, insignes Sancti Lazari, quem « Christi amicum et discipulum » Martyrologium Romanum dicit, Reliquias recepit et « Aedua Christi Civitas » facta est ; labenti busque annis tam constantem erga hanc Beati Petri Cathedram ostendit observantiam, ut « Filia et Ancilla Romae» appellari maluerit et iure meritoque potuerit haberi. Pristinis exinde gloriae titulis, uberrimos per saecula Religionis ac

pietatis fructus edere non desistens, novas easdemque altiores, Christianas nempe, addidit laudes. Quae quidem, historicis memoriis onustae, in Ecclesiam Cathedralem, tamquam in cor, mire confluunt, ibique renident affabre clareque patent. Est enim Augustodunensis princeps Ecclesia grave antiquissimae illustrisque historiae religiosae ac civilis illius regionis monumentum atque tutum receptaculum : anno MCXXX a Decessore Nostro, fel. rec, Innocentio PP. II sollemniter consecrata,, vetustam solidamque pulchre servat architecturam « romanicam », etsi. magna ex parte serioribus ornatam structuris; plurimas saeculi xn sculpturas et celeberrimum tympanum ostendit, quod novissimum et universale Christi Domini Iudicium prae se fert. Tanta insuper huiu& Cathedralis Ecclesiae est moles, ut totam Augustodunensem Civitatem eiusque regionem superare videatur atque ad seipsam, veluti ad matrem, statutis diebus, fideles innumeros, quasi filios, peregrinantium more, sacrorum sollemnium splendore allicere. Quod sane potissimum evenit, hisce nostris temporibus, in Episcopali Augustodunensi Cathedra sedente, omnibus desideratissimo Cardinali Perraud, qui, peculiari Decessoris Nostri, rec. mem., Leonis PP. XIII benevolentia donatus,, pietate, doctrina, prudentia, pastorali sollicitudine feliciter enituit splendideque praefulsit. Cum autem hoc ipso anno millesimum tercentesimum quinquagesimum incidat anniversarium ex quo Sanctus Pontifex Gregorius Magnus sacrum Pallium, praeter tunc temporis consuetudinem, Sancto Syagrio, memoratae Civitatis Episcopo, ob praeclara erga Apostolicam Sedem eius merita, benigne concessit, Venerabilia Frater Lucianus Lebrun, Augustodunensibus Infulis ornatus, exoptans ut huius anni MCMXLIX, sacerdotibus efformandis et sanctificandis praecipue dicati, gratum exstaret «mnemosynon », nomine proprio nec non amplissimi Canonicorum Collegii, utriusque Cleri universique populi,, enixe a Nobis eiïïagitavit ut Augustodunensi memoratae Ecclesiae Cathedrali titulum et privilegia Basilicae Minoris benigne deferre dignaremur. Quibus omnibus mature perpensis, ne tam constans firmaque erga Apostolicam hanc Petri Sedem et Romanum Pontificem Augustodunensium fidelitas congruenti careat praemio, sed quo magis Episcopalis vetustissimae Dioeceseos Sedes Bomanae Cathedrae coniuncta sit, huiusmodi precibus annuendum libenti censuimus animo. Qua propter,, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente S. E. E. Cardinali Micara,, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam Augustodunensem Ecclesiam Cathedralem, Deo in

honorem Sancti Lazari, Episcopi et Confessoris, dicatam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afftcimus atque decoramus, cum omnibus iuribus ac privilgegiis rite competentibus. Contrariis quibuslibet non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc •et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VIII** mensis Aprilis, anno **MOMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Subst. Secr. St.

V

BEATA MARIA VIRGO, SUB TITULO ((IN VIA)) CIVITATIS ET TOTIUS ARCHIDIOECESIS CAMERINENSIS CAELESTIS APUD DEUM PATRONA AEQUE PRINCIPALIS CUM SANCTO VENANTIO, MARTYRE, CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Camertes, quorum germanae fidei et erga Deum magnae pietatis plurima exstant atque conspicua in eorum urbe monumenta, singulari omni tempore prosecuti sunt devotione, una cum Sancto Venantio, adolescente cive atque Christi Martyre clarissimo, Beatissimam Virginem Mariam, « in Via » appellatam, cuius vetusta et clara prodigiis in tabula picta est Imago. Hanc in Templo, Deo in Eius honorem dicato, atque ex munificentia Cardinalis Giori, Camerinensis, mirifice exstructo, Prioris Parochi et aliquot Cappellanorum curis concredito, ipsi Camertes, pluribus a saeculis, pro acceptis beneficiis gratias referentes, pro concedendis in posterum supplicantes, venerantur et colunt. Cum autem, superiore anno, memorata Sacra Imago per totam Camerinensem Archidioecesim « peregrinata » est, ut aiunt, Archiepiscopo saepe comitante, Clero et populo singularum Paroeciarum oppidorumque plaudentibus et orantibus atque pompam ducentibus, magis magisque a patribus quasi haereditate acceptus, erga tenerrimam Caelestem Ma-

treni et Reginam filiorum subditorunique feliciter crevit amor, vividior pietas, maior accensa est fides, uberrimi christianarum virtutum fructus collecti sunt. Inde unum omnium, Sacrorum Antistitis in primis, Optimatium, Cleri et Christi fidelium, votum : ut Sanctissima Deipara, <(in Via » nuncupata, Patrona aeque principalis ac Sanctus Venantius Martyr, « dux ac decus Camertium », civitatis et Archidioeceseos Camerinensis, ex Apostolico indulto, eligeretur atque constitueretur ; ut feliciter peractae « Peregrinationis Mariae », quam dicunt, perenne exstaret in posterum memoria, utque dictae Sacrae Imaginis, ab Oriente, uti fertur, opera Camerinensium cruce signatorum, translationis, saeculo sexto mox pleno, quae apparatur celebratio sollemnior evaderet. Nos autem, quibus maxime cordi est ut Christianae plebis pietas erga Sanctissimam Dei Genetricem in dies augeatur, huiusmodi votis, quae Venerabilis Frater Ioseph D'Avack, Cameriuensis Archiepiscopus, nomine quoque Cleri et christifidelium omnium suae curae concreditorum Nobis deprompsit, ultro libenterque annuere decrevimus. Quare, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, P>eatam Mariam Virginem, sub titulo « in Via », civitatis et totius Archidioecesis Camerinensis Caelestem apud Deum Patronam aeque principalem una cum Sancto Venantio Martyre constituimus ac •declaramus, omnibus additis honoribus et privilegiis liturgicis, quae principalibus locorum Patronis de iure competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; eisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die vni mensis Ianuarii, anno **MCML**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

VI

DELEGATIO APOSTOLICA INDONESIAE AD INTERNUNTIATURAE APOSTOLICAE GRADUM EVEHITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Id maxime Nostrum est Nobisque perquam optandum ut Sanctae Sedis et Nationum mutuis rationibus commode decoreque Legationes Nostrae consulant. Quapropter, cum in praesenti publica officiorum vincula inter Apostolicam Sedem et Foederatas; Indonesiae Civitates intercedentis postulent ut Apostolica Legatio necessitudines inter eas aptius foveat, firmioremque reddere queat religiosae ac civilis auctoritatis invicem concordiam et operam, in eam mentem venimus loco Delegationis Apostolicae, quae usque adhuc inibi viguit, Internuntiaturam Apostolicam constituere. Quam ob rem, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae- potestatis plenitudine, harum Litterarum vi, in Foederatis Indonesiae- Civitatibus Internuntiaturam Apostolicam erigimus, cuius sedem in civitate ((Diakarta » appellata collocamus. Eidem igitur sic per Nos erectae Internuntiaturae omnia et singula deferimus officia, privilegia atque indulta, quae huiusmodi Legationum propria sunt. Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; ipsique Legationi constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis: Martii anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis;

GILDO PRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. MAXIMUM TIT. SANCTAE MARIAE IN PORTICU S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM MASSIMI, SUPREMI SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNALIS PRAEFECTUM EUNDEMQUE SACRI COLLEGII CAMERARIUM, QUINQUAGESIMUM SACERDOTII ANNUM FAUSTE CELEBRATURUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Decem sacerdotii lustra, egregiis operibus mentisque plena, sunt profecto inter praeclara Dei beneficia referenda. Ex quo enim primum divina hostia perlitasti, ex Eucharistico sacrificio èt convivio lucem ac robur ad totam vitam tuam illustrandam alendamque iugiter sumpsisti. In ipso quidem fiorente aevo, solida pietate, litteris doctrinisque sacris, iurisprudentia canonica et civili probe institutus, in Pontificio ad Sancti Apollinaris Athaeneo Romanum ius per sexdecim annos tradidisti et Sacrae Romanae Rotae Tribunali in causis agendis definiendisque diuturnum studium operamque navasti, partes praesertim Promotoris iustitiae, Auditoris et Decani quoque sustinendo. Interea ad Romani iuris scientiam et catholicam doctrinam latius evulgandas, plura edidisti volumina, et sententiarum pondere et maiestate verborum insignia. Comperta autem est heic in Urbe et plane cognita illa adulescentium Congregatio ad Sancti Claudii a te instituta, in qua, praelucente tuarum virtutum exemplo, divinum verbum declarando, sacramenta administrando totamque educationis religiosae rationem moderando, animarum bono ac profectui tot annorum decursu ipse incubuisti. Postquam vero Civitas Vaticana condita est, Decessor Noster ven. mem. Pius XI te elegit Praesidem Commissionis, quam vocant, de Constitutione tribunalium et ratione procedendi in causis civilibus eiusdem Civitatis, novis normis ordinandis, deinde in amplissimum Ecclesiae Senatum cooptavit ac Praesidem Sacri Consilii ad Codicem Iuris Orientalis redigendum nominavit. Nos autem, qui te quondam habuimus condiscipulum et eximia tua erga Ecclesiam merita semper magni aestimavimus, Cardinalium coetui ad Codicis canones authentice interpretandos libenter praeposuimus et Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali praefecimus. Nunc autem, iucundam faustitatis proximae nacti occasionem, tibi, Dilecte Fili Noster, de sacro ministerio tam diu actuoseque peracto ex animo gratulamur, Deum be-

nignissimum exorantes, ut te seros in annos, meritorum similiter plenos, ad animarum bonum Ecclesiaeque utilitatem volens propitius tueatur ac sospitet. Caelestium denique munerum praenuntia praecipuaeque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, tuisque in studiis laboribusque adiutoribus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vi mensis Aprilis, in Coena Domini, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. PAULUM GIOBBE, ARCHIEPISCOPUM TIT. PTOLEMAIDENSEM IN THEBAIDE AC NUNTIUM INTERNUNTIUM IN HOLLANDIA APOSTOLICUM, QUINQUE A SUSCEPTO EPISCOPATU LUSTRA FELICITER IMPLBNTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis, Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Concordem Hollandiae episcopatum recens libenti animo intelleximus in eo iam esse, ut quintum ac vicesimum annum tecum concelebret, ex quo ipse ad dignitatem archiepiscopalem feliciter evectus es. Quae quidem iucunda sacrorum Antistitum conspiratio, proximam eiusmodi sollemnitatem exspectantium, luculenter sane demonstrat quanta istic gaudeas existimatione, quantaque veneratione boni Batavi te prosequantur, non modo ob praeclarum officium, quo fungeris, verum quoque ob egregia animi tui ingeniique ornamenta. Haec profecto in flore tuae iuventutis primum enituere, praesertim quum Sacro de Propaganda Fide Consilio studium operamque navasti ipsumque Collegium Urbanum actuose rexisti. Deinde archiepiscopali auctus dignitate, antea Apostolicum Nuntium egisti in Columbiana Republica, decem post annos in praenobili isto Regno Bataviae. Cuius quidem cives in primisque auctoritates probe sciunt inter cetera, quanta ipse sollicitudine, partena Nostra vota fideliter persolvens, adlaboraveris, ut, infando bello desaeviente ac premente nóstica militum occupatione, asperae populi conditiones temperarentur et vulnera exacti belli demulcerentur. Nos igitur, praecipua merita tua suavi memoria repetentes, de constanti sedulitate atque industria in obeundo Legati munere ex animo palamque gratulamur et sacri eventus celebrationem secundis faustisque ominibus adaugemus. Quo interea auspicati diei sollemnia utiliora fideli populo evadant, tibi

ultro facultatem largimur, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas plenariam indulgentiam iisdem proponens, peculiaribus servatis normis ad Sacrum Iubilaeum pertinentibus. Caelestis denique praesidii in auspicium, inque praecipuae caritatis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, itemque tuis laborum sociis peramanter in Domino impertimus.

Datum, Romae apud Sanctum Petrum, die ix mensis Aprilis, Dominica Resurrectionis D. N. I. C, anno **MDCCCCCX**, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVMUM P. IOANNEM BAPTISTAM JANSSENS, SOCIETATIS IESU PRAEPOSITUM GENERALEM : DE CONGREGATIONIBUS MARIANIS PROVEHENDIS.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Cum audiverimus Romam undique convenisse « Promotores », qui dicuntur, Marianarum Congregationum, quae a Societate Iesu pendent, ut consilia inter se conferrent de fovendis provehendisque iisdem Congregationibus ad optata Nostra saepius antehac, praesertim vero in Constitutione Apostolica *aBis saeculari* » declarata *(A. A. 8.,* XL, pp. 399-402), noluimus opportunam hanc praetermittere occasionem, quin cum carissimis Nostris hisce filiis paternam assensionem probationemque Nostram per has litteras communicaremus.

Probe novimus id genus Consociationes, quae a vobis reguntur exiguo quidem esse numero, si cum omnibus comparentur Sodalitatibus hodie in toto mundo exsistentibus ; at novimus quoque non raro apud vos Congregationes haberi, a quibus aliae exemplum sumant. Quod profecto incitamento vobis esse debet, ita quidem ut omnes vestrae Sodalitates dignae revera sint et digniores in dies fiant, quae tamquam exemplar adspiciatur. Etsi enim Sodalitates, ad « Primam Primariam » Collegii Romani aggregatae, quiddam sunt non unius Societatis Iesu proprium, sed Ecclesiae universae commune, negari tamen haud potest, ut alias animadvertimus (.4. *A. 8.,* XL, p. 397), eas, iam inde ab origine ac deinceps aetatum decursu, e Societate Iesu suum excellentioris sanctimoniae et ardentioris apostolatus spiritum hausisse ; atque etiam nunc eas iure

exspectare posse ex sacra Ignatiana militia perfectissimum exemplum et efflcacissimam impulsionem.

Hac de causa ad vos quoque, filii Societatis Iesu, tum ferebatur cogitatio Nostra, cum vehemens Nostrum desiderium manifestabamus ut hae spiritales copiae quam latissime per orbem propagaretur ac feliciter florerent *(A. A. S.,* XL, p. 399) et cum praeterea declaravimus hoc praesertim tempore, si umquam alias, eas necessarias esse *(A. A. 8.,* XL, p. 395), cumque ediximus eis « notarum nullam, quibus Actio Catholica insignitur, esse denegandam» *(A. A.* XL, p. 398), cum Ecclesia « potius multiformi unitati faveat in apostolicis operibus gerendis, per fraternam utique conspirationem, Episcopis moderatoribus, in unam metam viribus unitis dirigendis » *(A. A. S.,* XL, pp. 398-399). Id enim prae oculis habebamus, cum Sodalitates Marianas incitavimus ut hoc sibi proprium tribuerent munus, efformandi nempe et ad actionem ducendi electissimos manipulos apostolorum, qui sese tamquam salem terrae et caeleste inter homines virtutis veluti fermentum praeberent *(A. A. 8.,* XL, pp. 395, 401; *A. A. 8.,* XXXIX, p. 632). Nec dubitamus haec vota Nostra vobis plane perspecta esse, et, pro vestra sueta obediendi voluntate, vos ardenter velle ea pro viribus ad effectum deducere. Placet autem heic iterum declarare Christi Vicarium in hac tam magnifica progressione et dilatatione apostolatus laicorum, nostris temporibus peculiari, Sodalitates Marianas non sine summo animi gaudio ac solacio intueri quasi conspicuo in loco collocatas; et Eundem a vestrae Societatis filiis exspectare, ut pro sui Instituti indole impigre in easdem Sodalitates excolendas et provehendas operam suam impendant. Ecclesia multum a vobis exspectat, atque optat ut ubique Congregationes Mariales suum teneant locum ; ut Actio nempe Catholica pleno iure nominari possint sub Beatissimae Virginis tutela, atque eodem ordine polleant, ac ceterae Consociationes, quae apostolatus opera provehunt sub una Ecclesiasticae Hierarchiae auctoritate *(A. A. 8.,* XL, p. 402).

Placet vero ea vobis inculcare, quae iam diximus de Sodalitatibus « Primae Primariae » aggregatis, quaeque propterea iis peculiaribus notis praeditae esse debent, quas descripsimus in Constitutione Apostolica <(*Bis Saeculari* » : ediximus nempe has peculiares notas « nullo esse impedimento quominus Congregationes Marianae pleno iure dici possint Actio Catholica B. M. Virgine auspice et afilante suscepta » *{A. A. S.,* XL, p. 398) ; atque iisdem tribuere, in Actionis Catholicae agminibus, partes certo notabiles ; immo etiam utilissimas et fere omnino necessarias. Congregationes enim Mariales, qua sunt historia et indole, pecu-

liariter designantur ad fovendas pulcherrimas has notas : notam imprimis sanctimoniae, quae vera ac solida sanctimonia sit, et quae optima dici possit pro cuiusque Sodalis condicione vitae *(A. A. 8.,* XL, pp. 394-395) ; notam praeterea christianae Sodalium conformationis qua eorum revera unusquisque fiat exemplum suorum aequalium in vita tum familiari tum sociali *(A. A. 8.,* XL, p. 407) ; notam postremo plenae et perpetuae obedientiae observantiaeque Christo Domino et Eius Ecclesiae, Beatissima Virgine Maria quasi praelucente ac duce ; quod quidem auspicium felicissimum dici debet hoc nostro saeculo, mariali nomine insiriendo, cui contigit experiri praesentiorem tutelam Matris Dei eiusque validissimum patrocinium.

Quae cum ita sint, vos cohortamur ut hac vestra via haud trepidi pergatis, etsi interdum per eam impedimenta varia non deerunt. Dei Eiusque Matris auxilio freti, conscii desideriorum et iussorum Vicarii Iesu Christi, depositaque quavis dubitatione cunctationeque, urgete animose opus Congregationum Marialium, prouti earum indoles et leges requirunt : imprimisque severam cooptandorum selectionem curate, eos tantum adlegendo, qui ad altiora revera adspirent ac studium apostolicum combibere cupiant; ac praeterea praecipuas apud vos partes habeat interior animorum formatio, sine qua inanis, vel suspecta vobis esse debet quaelibet exterior tantum operositas. Haec autem solida animorum conformatio, et apostolica operositas inde permanans, indolem omnino marialem prae se ferre debent; siquidem pia illa animi propensio in Beatissimam Virginem colendam et amandam, qualem Sodalitates vestrae semper professae sunt, ubique et perpetuo veluti tessera ac peculiaris nota habeatur verae fidei veraeque doctrinae. Nec nimium vobis cordi sit assensum multitudinis haurire : etenim vos, ad exemplum Christi Domini, non venistis ad blandiendum mundanis auribus sed ad testimonium reddendum veritati. Ne timeatis denique hoc efiicacissimum sanctimoniae et apostolatus instrumentum adhibere praesertim apud illos coetus, qui quidem hoc christiano imbui spiritu magis indigent, vel eum magis possunt per venas humanae societatis infundere; atque in primis apud opifices, itemque apud eos, qui altiorum disciplinarum studiis vacant. Haud ignoramus labores huiusmodi non leves esse, nec paucas praebere difficultates ; at novimus etiam vos consuevisse non facilioribus laboribus vos addicere, sed fructuosioribus ad maiorem Dei gloriam; ac praeterea cum magnum vobis a Deo donum concreditum sit, quales sunt Congregationes Marianae, monitionem illam tamquam vobis

a Iesu Christo impertitam habeatis : *Cui multum datum est multum requiretur ab eo* (Luc., 12, 48).

At necessarium non videtur Nobis adhortationi huic Nostrae diu multumque immorari, cum Nobis apprime nota sit vestra erga Episcopos locorumque Ordinarios observantia, atque iisdem habenda obtemperatio ; neque minus exploratum Nobis sit sincera vos percupere voluntate ceteris apostolatus coetibus adiutricem fraterna consensione praestare operam secundum normas per Apostolicam Constitutionem « *Bis saeculari* » a Nobis datas.

Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, universisque Societatis Iesu religiosis viris, peculiarique modo iis, qui Congregationibus Marialibus provehendis moderandisque navant operam eorumdemque alumnis Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decima quinta mensis Aprilis, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. IOSEPHUM VII GHANIMA, PATRIARCHAM BABYLONENSEM CHALDAEORUM QUINTUM AC VICESIMUM EPISCOPATUS ANNUM FAUSTE CELEBRATORUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Proximo Maio mense, ut libenter agnovimus, quinque a suscepto episcopatu lustra ipse iuvante Deo perficies. Quae quidem iucunda sacri eventus commemoratio praeclaram Nobis praebet opportunitatem persequendi faustitatem tuam secundis votis ominibusque et benevolentiam erga te Nostram publice confirmandi. Iamdiu profecto nota sunt beneficia, quae in animarum salutem contulisti, quum in ipso iuventutis flore clericorum Seminarii rectorem in isto patriarchatu egisti et Vicarii ipsius partes deinde alacriter sustinuisti. Episcopali vero auctus dignitate, antea Auxiliaris Iosephi Emmanuelis Thomas, Patriarchae Babjdonensis Chaldaeorum, aetate provecti, postea duos quidem annos, tamquam Patriarcha, regimini pastorali, inter plures rerum temporumque difficultates, totus incubuisti. Egregia enim pietate ac sacra nitens doctrina, plures callens sermones dicendique arte praeditus, sollertem assiduam-

que operam animarum saluti tribuisti. Constanti autem fide et caritate cum Apostolica hac Sede coniunctus, peculiares curas attulisti ad ecclestiasticas vocationes colendas tuendasque, ad dissidentes in sinum catholicae Ecclesiae revocandos, ad fovendum omni studio prudentiaque patriarchatus istius incrementum. Nos itaque, laetitiae tuae tuorumque cumulum addere cupientes, de pastorali officio diuturne naviterque gesto ex animo tibi gratulamur, instantique prece Deum exoramus, ut longa evitatem salutaribus donis mentisque affatim exornatam in utilitatem istius gregis tibi benigne largiri velit. Quo interea sacri eventus celebratio in maiorem cedat animarum profectum, tibi ultro potestatem damus, ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, peculiaribus servatis normis ad Sacrum Iubilaeum pertinentibus. In caelestium denique munerum auspicium, inque caritatis Nostrae testimonium, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, itemque clero ac populo tuae curae demandato peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Aprilis,, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

Ad Excmum Virum H. E. Snkardjo Wiryopranoto, Reipublicae Statuum Foederatorum Tndonesiae Legatum extra ordinem liberis cum mandatis:, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem. *

Mr. Minster :

Today brings an addition to the Diplomatic Corps accredited to the Holy See, which, as all true friends of peace will recognize, is highly significant and filled with promise for the advancement of happy relations between peoples and governments. As a new and fully qualified member of the comity of nations, the United States of Indonesia deemed' it important not to let pass the first year of its freedom and independence without giving proof of its friendly attitude towards the Holy See by establishing diplomatic relations. Fully conscious of what this step means, to Your Excellency, to whom the President has confidently

* Habita die 25 Maii mensis a. 1950.

entrusted the post of Envoy Extraordinary and Minister Plenipotentiary, We extend Our hearty welcome.

Occupying a corner of the globe which, while offering great and unusual possibilities of development, is also exposed to manifest difficulties and dangers, a people of seventy million citizens, in its struggles to consolidate and strengthen its freedom, deserves the fraternal assistance and encouragement of all, who are sincere in their purpose no longer to withhold from nations and international society the blessings and fruits of a just and lasting peace.

This goal, object of the deepest longing and most earnest prayer of all men of good will, is worthy of man's finest efforts, and no one is more laboriously intent on its attainment than We. Our paternal heart is heavy with anxiety, as the whole tragic story of international disunion unfolds before Our eyes, and We gaze on the results in the material and especially the moral order of the present phase of a persistent policy to retard and to block and to menace the peace of the world.

Mr. Minister, at your first solemn entrance upon your high Mission, speaking in the name of your countrymen, you have paid tribute to the ultimate and richest source of true and genuine peace. In the basic principles proclaimed by your nascent State in the « Pantjasila » the name and the supreme authority of the Almighty hold a foremost place. Where the primacy due to God and to Him alone is recognized and upheld, men, nations, democracy and a right social consciousness naturally and in forceful, fruitful harmony, find their proper place in the hierarchy of values; and though external circumstances and human weakness and liability to err may at times hinder progress, as long as the goal and the path that leads to it remain substantially unchanged, the way is open to a bright and hopeful future.

God who knows all things, knows how sincere is Our wish, that the Indonesian people so dear to Our heart may in this hour of their existence make rapid strides towards happiness, progress and prosperity. This is the wish of all who share Our faith and convictions; and We are sure that the children of the Church working in Indonesia will yield to none in their ambition to serve their country and fellow-citizens with devoted unselfishness in the fields of education, charity and civic duty. This is their duty as members of the great human family and as Catholics.

We recall here with pleasure the words of His Excellency the President of the Republic pronounced when Our Inter-Nuntius was received in the Spring of this year. Referring to the cultural activity of Catholics in Indonesia, he declared that this was assured for the future under the

guaranty of « Pantjasila ». Those words hare thrown a bridge of confidence across vast stretches of land and sea to link your distant country with the Holy See. You have been entrusted with the noble charge to ensure its strength and stability. Nor have We any doubt that from this first day of your mission Your Excellency will carry through that charge in a way to bring keen satisfaction to your own high moral sense and enrichment and blessing to your country and its folk.

In this spirit of happy anticipation We beg you to extend Our greetings to His Excellency the President, to the members of the goverment and to all classes of the Indonesian people. Let all be assured that We shall rejoice always in being witness to the progress achieved by your .State, young but conscious of its lofty destiny, in a temper of self-reliance, wisdom and moderation, until it takes its place in the council of nations, where its endeavours for national prosperity and greatness will be found to harmonize effectively with a united service dedicated to the universal good of all mankind. God grant it.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

MONTIS REGALIS IN PEDEMONTE ET CUNEENSIS

DECRETUM

DE IMMUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Ad fines dioecesium Montis Regalis in Pedemonte et Cuneensis dno» Communia exsistunt, vulgo *Morozzo* et *Montanera* nuncupata, quorum incolae cum nimis absint a sua paroeciali Ecclesia, aliam adeunt, quae propior exstat sed ad alienam dioecesim pertinet.

Ut praedictum incommodum amoveatur, Excellentissimi Patres Dominus Sebastianus Briacca, episcopus Montis Regalis in Pedemonte et Dominus Iacobus Rosso, episcopus Cuneensis, collatis consiliis, pro sua quisque dioecesi novas paroecias erigere decreverunt in locis *Riforano* dioecesis Montis Regalis in Pedemonte, et *Gonsovero,* dioecesis Cuneensis.

Nunc vero praedicti Excellentissimi locorum Ordinarii, bono animarum consulere cupientes, ab Apostolica Sede expostularunt ut in praedictis locis dioecesani fines aliquantulum immutarentur ita ut incolae adscribi valeant illi paroeciae cui propiores exsistunt.

Porro haec Sacra Congregatio Consistorialis, rei opportunitate perpensa, vi specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Pp. XII tributarum, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, vi praesentis Consistorialis Decreti, perinde valituri ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, statuit ut a dioecesi Montis Regalis in Pedemonte dismembretur et Cuneensi dioecesi attribuatur ea pars territorii quae continetur intra fines qui in sequentibus describuntur : « a sud-est il confine parrocchiale dei Trucchi (canale detto del Terzo), il confine comunale di Margarita, la strada comunale Margarita-Riforano fino all'altezza della villa Perlascotto, il canale detto del Bruciato ed anche del prato selvatico e la sua ulteriore

diramazione a nord fino al canale dei Boschetti; il medesimo canale col nome di *Fosso della Tronassa* ed infine, risalendo ad ovest, il corso del suo primo affluente, fino a raggiungere il confine comunale di Castelletto Stura, attuale confine di diocesi » ; et vicissim a Cuneensi dioecesi distrahitur ac dioecesi Montis Regalis in Pedemonte aggregetur sequens territorium : « tra gli attuali confini ed una linea che partendo dal punto di intersecazione della strada comunale di Morozzo-Montanera col confine di Morozzo raggiunge il canale della nuova centrale elettrica del primo salto al sottopassaggio della diramazione del canale Bealerasso, segue questa diramazione, quindi il fontanile di Ambasio per il suo corso maestro fino a raggiungere il confine opposto di Montanera S. Albano Stura, sulla strada dei Tetti Nuovi », mutatis, hac ratione, utriusque dioecesis finibus.

Ad haec autem exsecutioni mandanda eadem Sacra Congregatio deputat Exc. P. D. Iacobum Rosso, ipsique tribuit facultates necessarias et opportunas, ad effectum de quo agitur, etiam subdelegandi quemlibet virum ecclesiasticum in dignitate consitutum, facto onere mittendi quamprimum ad Sacram Congregationem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis. Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 19 Ianuarii 1950.

Fr. A. I. Card. **PIAZZA**, Ep. Sabinen, et Mandelen., *a Secretis.*

L. © S.

I. Ferretto, *Substitutus.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

i

MBEYAËNSIS-KAREMENSIS

DECRETUM

DB VICARIATUUM FINIUM MUTATIONE

Cum, in territorio Tanganyikensi Africae Orientalis Britannicae, Vicariatus Apostolicus Mbeyaënsis, Patribus e Societate Missionariorum Africae (vulgo Pères Blancs) concrediti, aliqua pars, ad meridiem occi-

dentem versus sita atque ad regionem, cui nomen « Unyamwanga)), pertinens, iisdem Patribus per magnam anni partem, ingenti saltu interiecto, impervia maneat, visum est Emis ac Revmis Patribus huius Sacrae Congregationis regimini praepositis, quo aptius evangelizationis, operi prospiceretur, ad limitum immutationem ibidem procedere.

Quamobrem, in plenariis comitiis die 30 Ianuarii vertentis anni habitis, re mature perpensa, memoratam regionis de « Unyamwanga » partem, ad. districtus civiles de Chunya et de Mbeya spectantem, ab Apostolico Mbeyaënsi Vicariatu distrahendam et Vicariatui Apostolico Karemensi, iisdem Patribus e Societate Missionariorum Africae commisso,, ita ut montes quos memoravimus, etiam in territorii parte, de qua agitur, deinceps limitem inter utrumque Vicariatum constituant, adnectendam censuerunt.

Sacra igitur haec Congregatio, de mandato Ssmi D. N. Pii Div. Prov-Papa XII, vigore facultatum sibi ab Ipso specialiter concessarum, limitum mutationem, ut supra dictum est, Vicariatum Mbeyaënsem inter et Karemensem decrevit, atque praesens ad rem Decretum expediri iussit..

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 2 Februarii mensis anno D. 1950.

P. Card. **FTJMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

L. & S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius-*

II

DJAKARTAN.

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS BATAVIAE DEINCEPS ((D J AK ARTANU S)) APPELLABITUR

Cum recenti Statuum Foederatorum Indonesianorum constitutione nomen urbis Bataviae, quae est caput eorundem Statuum, mutatum sit in Djakarta, Sacra haec Congregatio, attento etiam voto Excmi ac Revnii Domini Georgii de Jonghe d'Ardoye, Archiepiscopi tit. Misthiensis et Apostolici in Archipelago Indonesiano Delegati, loco hodiernae denominationis Vicariatum Apostolicum Bataviae Djakartanum Vicariatum appellandum in posterum censuit.

Quapropter eadem Sacra Congregatio, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papa XII concessarum, sta-

tuit ut Vicariatus Apostolicus Bataviae deinceps nuncupetur « Djakartanus » Vicariatus et praesens ad rem Decretum expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide, die 7 mensis Februarii anno D. 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

L. & S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis Decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando Ssmus Dnus Noster Pius div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum :

die 8 Martii 1950. — Titulari episcopali Ecclesiae Cabasitanae Exc. P. D. Patritium Lyons, hactenus Episcopum Christopolitanum, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Normanni Thomae S. R. E. Cardinalis Gilroy, Archiepiscopi Sidneyensis.

die 12 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Saccaeotenae R. P. Dominicum Hoang-van-Doan, Ordinis Praedicatorum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Bac-Ninh.

— Titulari episcopali Ecclesiae Siguitanae R. P. Petrum Kelleter, Congregationis Sancti Spiritus, quem constituit Vicarium Apostolicum de Bethlehem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Stectorenae R. D. Owen Me Cann,, e clero saeculari, quem constituit Vicarium Apostolicum de Capetown.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aegeaensi R. D. Michaelem Bernard, Congregationis Sancti Spiritus, quem constituit Vicarium Apostolicum Konakriensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thebanae in Phtiotide R. D. Franciscum Santos Santiago, Instituti Hispanici S. Francisci Xaverii, quem constituit Vicarium Apostolicum Sancti Georgii.

IV

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit :

die 18 Novembris 19l¡9. — R- D. Paulum Ly, e clero saeculari sinensi, *Praefectum Apostolicum de Lintsing.*

die 21 Novembris. — R. P. Ignatium Iosephum Waterschoot, Ordinis Praemonstratensis sodalem, *Praefectum Apostolicum de Lolo.*

die 25 Decembris. — Exemum P. D. Albertum Soegijapranata, Episcopum tit. Danabenum, Vicarium Castrensem Indonesiae.

die IS Ianuarii 1950. — R. P. Iosephum Kuo, Congregationis Discipulorum Domini, *Praefectum Apostolicum Taipehensem.*

die 27 *Ianuarii.* — R. P. Eduardum Gabrielem Quint, Ordinis Fratrum Minorum, *Praefectum Apostolicum de Wei-HaiWei.*

die 17 Martii. — R. P. Mauritium Le Mailloux, Congregationis Spiritus Sancti sodalem, *Praefectum Apostolicum Kanhanensem.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

URBI SetO RBIS

DECRETUM

Edita a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XII Apostolica Constitutione *Sacramentum Ordinis* die 30 Novembris anno 1947 (A. *A. S.,* 1948, p. 5), in qua determinatur forma sacramentalis Ordinum: Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, Sacra Rituum Congregatio, pontifìcio mandato obsequens, variationes atque addenda in rubricis Pontificalis Romani, necnon rationem qua sacramentales formae sunt typis edendae, ut evidentiores fiant, disposuit, atque mandat ut haec in novis Pontificalis Romani editionibus inserantur; interim vero in folio separato edantur in Episcoporum commodum, ea ratione qua in annexis foliis continetur. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, die 20 Februarii 1950.

83 C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

f A. Carinci, Archiep. Seleucien., *Secretarius.*

VARIATIONES IN RUBRICIS PONTIFICALIS ROMANI

PARS I

CAPUT II

De Ordinibus conferendis

In Rubricis generalibus, ante collationem Sacrorum Ordinum positis, deleantur haec verba :

« Moneat ordinandos, quod instrumenta, in quorum traditione character imprimitur, tangant ».

DE ORDINATIONE DIACONI

Omnia ut in Pontificali Romano usque ad Praefationem.

Prœfatio

Per omnia saecula saeculorum.

Ef. Amen.

t. Dominus vobiscum.

Rf. Et cum spiritu tuo.

f. Sursum corda.

Rf. Habemus ad Dominum.

f. Gratias agamus Dómino Deo nostro.

Rf. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Dómine sancte, Pater omnipotens, aetérné Deus, honorum dator, ordinúmque distributor, atque officiorum dispósitor, qui in te manens innovas omnia, et cuncta dispónis per verbum, virtutem, sapientiamque tuam, Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia praéparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam videlicet tuam, caelestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam distinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis unitam, in augmentum templi tui créscere, dilataríque largíris : sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens; electis ab initio Levi filiis, qui in mysticis operatiónibus domus tuae fidelibus excubiis permanentes, haereditatem benedictionis aeternae sorte perpétua possidérent. Super hos quoque fámulos tuos, quaesumus Dómine placátus intènde, quos tuis sacris altaribus servituros in officium

Diaconatus suppliciter dedicámus. Et nos quidem tamquam homines, divini sensus et summae rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, aestimamus. Te autem Dómine, quae nobis sunt ignòta non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor es secretorum : tu scrutator es cordium. Tu horum vitam caelesti poteris examinare judicio, quo semper praevales, et admissa purgare et ea, quae sunt agènda, concedere.

His solus Pontifex, manum dexteram extendens, ponit super caput cuilibet ordinando, dicens cuilibet, sine cantu :

Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, et ad resistendum diàbolo, et tentationibus ejus. In nomine Domini.

Postea, extensam tenens manum dexteram, dicit verba formen sacramentalis, sine cantu :

Emitte in eos, quaesumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exsequendi septifórmis gratiae tuae munere roborentur.

Et prosequitur usque in finem Praefationis, extensam tenens manum dexteram (quae extensio non est de valore) :

Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiae puritas, et spiritualis observantia disciplinae. In moribus eorum praecepta tua fulgeant ; ut suae castitatis exemplo imitationem sanctam plebs acquirat : et bonum conscientiae testimonium praeferéntes, in Christo firmi et stabiles perseverent ; dignisque succéssibus de inferióri gradu per gratiam tuam capere potiora mereantur.

Quod sequitur, dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus possit audiri.

Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Rj. Amen.

Post hæc Pontifex, sedens cum mitra, cuilibet ordinato ante se genuflexo stolam, quam singuli in manu habent, imponit, successive super humerum sinistrum, dicens singulis :

Accipe stolam cándidam, etc... .

Caetera quae sequuntur ut in Pontificali Romano.

DE ORDINATIONE PRESBYTERI

Omnia ut in Pontificali Romano usque ad Praefationem.

Præfatio

Per omnia saecula saeculorum.

rJ. Amen.

tf. Dominus vobiscum.

R;. Et cum spiritu tuo.

f. Sursum corda.

rJ. Habemus ad Dominum.

f. Gratias agamus Dómino Deo nostro.

rt. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere : Dómine sancte, Pater omnipotens, aetérne Deus, honorum auctor et distributor omnium dignitatum ; per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmántur, amplificátis semper in melius naturae rationalis incrementis, per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et Sacerdotales gradus, atque officia Levitar um, Sacramentis mysticis instituta creverunt : ut cum Pontifices summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adjuméntum, sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prüdentium mentes, Móysi spiritum propagasti; quibus ille adjutóribus usus, in pópulo innúmeras multitudines facile gubernávit. Sic et Eleázarum et Ithamárum filios Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti ; ut ad hostias salutares, et fréquentions officii Sacramenta, ministerium sufficeret Sacerdotum. Hac providentia, Dómine, Apostolis Filii tui Doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis praedicationibus implevérunt. Quapropter infirmitati quoque nostrae, Dómine, quaesumus, haec adjuménta largire ; qui quanto fragilióres sumus, tanto his pluribus indigemus.

Postea dicit verba formæ sacramentalis, quas dici debet sine cantu, extensis ante pectus manibus :

Da, quaesumus, omnipotens Pater in hos fámulos tuos presbyterii dignitatem; innova in visceribus eorum spiritum sanctitatis; ut acceptum a te, Deus, secundi mèriti munus obtineant, ceusurámque morum exemplo suae conversationis insinuent.

Et prosequitur cum cantu :

Sint próvidi cooperatores ordinis nostri; eluceat in eis totius forma justifiée, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae reddituri, aeternae beatitudinis praemia consequantur.

Quod sequitur, legat submissa voce, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit.

Per eumdem Dominum nostrum .Iesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Rj. Amen.

Caetera quae sequuntur ut in Pontificali Romano, mutatis tamen quibusdam rubricis, ut sequitur :

Intonato Hymno « Veni Creator » ponatur haec Rubrica :

Surgit Pontifex, et facit ut in fine Hymni habetur, interim schola prosequitur Hymnum : qui, si propter ordinatorum multitudinem necesse fuerit, repetatur, omisso primo Versu.

In Rubrica posita post Hymnum, loco illorum verborum : « . . . et singuli ordinandi successive... » ponantur haec verba:

«... et singuli ordinati successive... ».

Rubrica posita post manuum unctionem sic immutetur :

((Pontifex producit manu dextera signum crucis super manum ordinati, et prosequitur : »

Et in fine formulae unctionis ponatur :

« Et quilibet ordinatus respondeat : Amen ».

DE CONSECRATIONE EPISCOPI

Ubicumque in Rubricis occurrunt verba « Episcopi Assistentes » legatur :

((Episcopi Conconsecrantes».

Immediate ante Praefationem, Rubricae « Deinde Consecrator et Assistentes Episcopi... » haec alia substituatur:

Deinde Consecrator ambobus manibus caput Consecrandi tangit, dicens : « Accipe Spiritum Sanctum », *quod successive faciunt Episcopi Consecratores, qui non solum debent utraque manu caput Electi tangere, dicentes* : « Accipe Spiritum Sanctum », *verum etiam, facta opportuno tempore mentis intentione conferendi episcopalem consecrationem una simul cum Episcopo Consecratore, orationem quoque* « Propitiáre » *recitare cum integra sequenti Praefatione, itemque, universo ritu perdurante, ea omnia submissa voce legere quœ Consecrator legit vel canit, exceptis*

tamen precibus ad pontificalium indumentorum benedictionem praescriptis, quce in ipso Consecrationis ritu sunt imponenda.

Quo facto, Consecrator stans, deposita mitra, dicit :

Propitiáre, Dómine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc fámulum tuum cornu gratiae sacerdotalis, benedictionis tuae in eum eirunde virtutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus :

Deinde extensis manibus ante pectus, dicit :

Per omnia saecula saeculorum.

Amen.

f. Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

t. Sursum corda.

Habemus ad Dominum,

f. Gratias agamus Dómino Deo nostro.

Rf. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Dómine sancte, Pater omnipotens, aetérne Deus, honor omnium dignitatum, quae gloriae tuae sacris famulántur ordinibus. Deus, qui Móysen fámulum tuum secréti familiaris affátu, inter cetera caelestis documenta culturae, de habitu quoque induménti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiae sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinae tuae ulli deesset aetati. Cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum, quam aenigmata figurarum. Illius namque Sacerdotii anterioris habitus, nostrae mentis ornatus est, et Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia et illa, quae tunc carnálibus blandiebántur obtútibus, ea **p o** - tius quae in ipsis erant, intelligenda poscébant. Et idcirco huic fámulo tuo quem ad summi Sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quaesumus, Dómine, gratiam largiáris, ut quidquid illa velámina in fulgóre auri, in nitóre gemmar um, et in multimodi operis varietate signábant, hoc in ejus moribus actibúsque clarescat.

Postea dicit verba formae consecrationis episcopalis, quce dici debent sine cantu, extensis ante pectus manibus :

Compie in sacerdote tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorifieatiónis instructum, caelestis unguènti rore sanctifica.

Si in Curia Romana fit Consecratio, Subdiaconus Apostolicus, vel unus ex Capellanis Pontificis ligat caput Consecrati cum una ex longioribus mappulis de octo superius dictis, et Consecrator, flexis genibus, versus ad altare incipit, cwteris pro sequentibus, hymnum:

Veni, Creator Spiritus,

et dicitur usque ad finem, prout habetur supra in Ordinatione Presbyteri.

Finito primo versu, surgit Pontifex; et sedet in faldistorio ante medium altaris; capit mitram; deponit annulum et chirothecas; resumit annulum, et imponitur ei gremiate a ministris. Tum pollicem suum dexterum intingit in sanctum Chrisma et caput Consecrati coram se genuflexi inungit, formans primo signum crucis per totam coronam, deinde reliquum coronas liniendo, interim dicens :

Ungátur, et consecretur caput tuum, caelesti benedictione, in órdine Pontificali.

Et producens manu dextera tertio signum crucis super caput Consecrati, dicit :

In nomine Pa£gtris, et Fi££jlii, et Spiritus £B Sancti.

Rj. Amen.

f. Pax tibi.

Rj. Et cum spiritu tuo.

Et si plures sint consecrati, hoc in persona cuiuslibet singulariter repetit.

Expleta unctione, Pontifex pollicem cum medulla panis paululum abstergit; et finito Hymno praedicto, deposita mitra, surgit et in pristina voce prosequitur dicens :

Hoc, Dómine, copióse in caput ejus influat, hoc in oris subjecta decurrat ; hoc in totius corporis extréma descendat, ut tui Spiritus virtus et interiora ejus repleat, et exteriora circúmtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciósi munere tuo pedes ejus ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da ei, Dómine, ministerium reconciliationis in verbo, et in factis, in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo ejus, et praedicatio, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Da ei, Dómine, claves regni caelorum, ut utatur, non gloriétur potestate, quam tribuis in aedificationem, non in destructionem. Quodcumque ligáverit super terram, sit ligatum et in caelis, et quodcumque **solverit** super terram, sit solutum et in caelis. Quorum retinuerit pec-

cata, retenta sint, et quorum remiserit tu remittas. Qui maledixerit ei, sit ille maledictus, et qui benedixerit ei, benedictionibus repleátur. Sit fidelis servus, et prudens, quem constituas tu, Dómine, super familiam tuam, ut det illis cibum in tempore opportuno, et exhibeat omnem hominem perfectum. Sit sollicitudine impiger, sit spiritu fervens, oderit supérbiam, humilitatem ac veritatem diligat, neque eam umquam deserai, aut laudibus aut timóre superátus. Non ponat lucem ténebras, nec ténebras lucem : non dicat malum bonum, nec bonum malum. Sit sapientibus et insipiéntibus debitor; ut fructum de profectu omnium consequatur. Tribuas ei, Dómine, cathedram episcopalem, ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem sibi commissam. Sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica super eum bene^dictiónem et gratiam tuam : ut ad exorándam semper misericordiam tuam tuo munere idoneus et tua gratia possit esse devotus.

Deinde submissa voce dicit legendo, ita quod a circumstantibus audiri possit :

Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Amen.

Post hæc Consecrator inchoat, schola prosequente, Antiphonam : Unguéntum in capite etc...

Incepta Antiphona ante Psalmum, imponitur ad collum Consecrati alia ex longioribus mappulis, de octo supradictis. Consecrator sedet; accipit mitram; et Consecrato ante ipsum genuflexo inungit ambas manus simul juncias cum Chrismate in modum crucis, producendo cum pollice suo dextero intincto duas lineas; videlicet a pollice dexteræ manus usque ad indicem sinistræ, et a pollice sinistrée usque ad indicem dexteræ; et mox inungat totaliter palmas Consecrati, dicens :

Ungántur manus' istae de óleo sanctificáto, et Chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David Regem et Prophétam, ita ungántur, et consecrentur.

Et producens manu dextera ter signum crucis super manus Consecrati, dicit :

In nomine Dei Pa^tris, et Finiri, et Spiritus Sancti, facientes...

Cetera quae sequuntur ut in Pontificali Romano.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Giovedì, 25 maggio 1950, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dott. H. E. SUKARDIO WIRYOPRANOTO, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica degli Stati Uniti di Indonesia, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato nominare :

4 giugno 1950. I Reverendissimi Monsig. Carlo Fruhstorfer, Sacerdote Bernardo Giovanni Alfrink e Padre Pietro Gerardo Duncker, 0. P., *Consultori della Commissione Pontificia per gli Studi Biblici.*

7 » » Gli **Illud** e Revmi Monsignori Silvio Sericano e Carlo Grano, *Consultori della Sacra Congregazione Concistoriale.*

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato conferire :

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile :

26 giugno 1948. Al sig. conte de Meeus Stanislao, dell'arcidiocesi di Malines.

14 luglio » Al sig. Ancey Giuseppe, dell'arcidiocesi di Marsiglia.

» » » Al sig. Borgialle Clemente, della medesima arcidiocesi.

7 agosto » Al sig. Müller-Tierret Pietro, della diocesi di Lussemburgo.

21 » » Al sig. Culot Paolo Maria, della diocesi di Tournai.

24 » » Al sig. Dejardin Leone Emanuele, della diocesi di Liegi.

» » » Al sig. Dessard .Natale Renato, della medesima diocesi.

» » » Al sig. Henrard Paolo G. M., della medesima diocesi.

9 dicembre 1948. Al sig Guelpa Venerando, dell'arcidiocesi di San Paolo del Brasile.

19 » » Al sig, Morganti Elio, della diocesi di San Carlo de Pinhal.

5 marzo 1949. Al sig. De Jonghe Leopoldo G., dell'arcidiocesi di Malines.

7 » Al sig. Flandin Enrico, della diocesi di Nevers.

12 » Al sig. Traglia Emilio (Roma).

30 aprile Al sig. Kosatic Francesco, dell'arcidiocesi di Olomouc.

» » Al sig. Vykopal Luigi, della medesima arcidiocesi.

6 maggio Al sig. Van Put Emilio, dell'arcidiocesi di Malines.

9 giugno Al sig. Schumacher Uberto, della diocesi di Lussemburgo.

17 » Al sig. Gabriel Gustavo, della diocesi di Gand.

» Al sig. Gielen Lamberto, della diocesi di Liegi.

Al sig. Roberti de Winghe Giulio, dell'arcidiocesi di Malines.

» » » Al sig. Verbist Alfonso, della medesima arcidiocesi.

3 » » Al sig. Ora ven Giuseppe A., della diocesi di Denver.

» » » Al sig. Tynan Tommaso J., della medesima diocesi.

» » Al sig. Walsh Giuseppe J., della medesima diocesi.

» Al sig. Young T. Raimondo, della medesima diocesi.

31 luglio » Al sig. Buonocore Luigi, dell'arcidiocesi di Salerno,

28 agosto » Al sig. de Kerchove d'Exaerde Roberto, dell'arcidiocesi di Malines.

17 settembre » Al sig. Cingolani Marino, della diocesi di Recanati e Loreto.

23 » Al sig. Boon Giovanni, dell'arcidiocesi di Malines.

» » Al sig. Brifaut Valentino, della medesima arcidiocesi.

» » Al sig. Cardon de Lichtbuer Norberto, della medesima arcidiocesi.

20 ottobre Al sig. Consonni Egidio, della diocesi di Cali.

Al sig. Marino Cordoba Luigi, della medesima diocesi.

Al sig. Mercato Antonio Giuseppe, della medesima diocesi.

12 novembre Al sig. Santagostino Carlo, dell'arcidiocesi di Milano,

19 » Al sig. de Terlinder Carlo, dell'arcidiocesi di Malines.

24 » Al sig. Davey Frend Bernardo, dell'arcidiocesi di Boston.

11 dicembre Al sig. De Brito Manuel Gaetano, dell'arcidiocesi di San Luigi del Maragnano.

20 » Al sig. Di Blasi Antonino, dell'arcidiocesi di Catania.

» » Al sig. Priore Angelo Antonio, dell'arcidiocesi di Taranto.

» Al sig. Lajole Leone, della diocesi di Trois-Rivières,

20 dicembre 1949. Al sig. Laurin Maurizio, della medesima diocesi.
5 gennaio 1950. Al sig. Franchini Valfré, dell'arcidiocesi di Firenze.
» » » Al sig. Palumbo Luigi, dell'arcidiocesi di Napoli.
» » » Al sig. Baldissarre Marco, della diocesi di Pinerolo.
» Al sig. Lo Guzzo Pietro (Roma).
25 » » Al sig. Stori Dino, della diocesi di Adria.
» Al sig. Falivene Achille, della diocesi di Alife.
» Al sig. Arizaga Toral Enrico, dell'arcidiocesi di Quito.
» » » Al sig. TJribe Francesco, della medesima arcidiocesi.
4 febbraio » Al sig. Zolli Mario, dell'arcidiocesi di Benevento.
15 » » Al. sig. conte Piloni Luigi (Roma).
25 » » Al sig. Introna Francesco, dell'arcidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Beretta Pietro, della diocesi di Padova.
1 marzo » Al sig. Boustani Fouad, dell'arcidiocesi di Beirut dei Maroniti.
» » » Al sig. Tyan Emilio, della medesima arcidiocesi.
» Al sig. Caspar Edmondo, dell'arcidiocesi di Beirut.
» » » Al sig. Corm Charles, della medesima arcidiocesi.
» Al sig. Cosmidis Ferdinando, della medesima arcidiocesi.
» Al sig. Khayat Alberto, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Meguerdiche Basilio, della medesima arcidiocesi.
» Al sig. Maggear Giuseppe, dell'arcidiocesi di Beirut dei Melchiti.
1.7 » » Al sig. Virzi Baldassarre, della diocesi di Ascoli Satriano.

La *Commenda dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe militare :*

20 ottobre 1949. Al sig. col. Carrizosa Pardo Riccardo, dell'arcidiocesi di Bogota.
12 maggio » Al sig. col. Gonçalves Dagoberte, dell'arcidiocesi di Porto Alegre (Brasile).

Il Cavalierato dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe civile :

14 luglio 1948. Al sig. Bergasse Luigi, dell'arcidiocesi di Marsiglia.
» » » Al sig. Combes Giovanni Battista, della medesima arcidiocesi.
)) » » Al sig. Jacquet Giulio, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Maurin Giovanni, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Melizan Paolo, della medesima arcidiocesi.
25 agosto » Al sig. Himmer Renato, della diocesi di Namur.
18 settembre » Al sig. Perrini Nicola, della diocesi di Troia.
9 dicembre » Al sig. Smulders Giovanni, della diocesi di Haarlem.
23 » » Al sig. Beckers Uberto, della diocesi di Breda.

23	dicembre	1948.	Al sig. Vroom Giuseppe Leopoldo, dell'arcidiocesi di Utrecht.
29	»	»	Al sig. Delhougne Giuseppe Edmondo, della diocesi di Ruremonda.
28	gennaio	1949.	Al sig. Schaap Giovanni Guglielmo M., della diocesi di Haarlem.
30	»	»	Al sig. Hoosemans Francesco, dell'arcidiocesi di Malines.
		»	Al sig. Hankart Maurizio, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Al sig. Bartels Francesco E. A., dell'arcidiocesi di Utrecht.
3	febbraio		Al sig. Le Roy Jean, della diocesi di Blois.
			Al sig. Oeulemans Giuseppe, dell'arcidiocesi di Malines.
4			Al sig. Limoni Angelo (Roma).
17	»		Al sig. Rigaud Casimiro, dell'arcidiocesi di Aix.
»			Al sig. Eras Leonardo Giacomo M., della diocesi di Breda.
	»		Al sig. Geerdes Ranieri Enrico M., della diocesi di Haarlem.
			Al sig. Jousse Pietro, della diocesi di Le Mans.
»			Al sig. Turba Enrico, della diocesi di Orléans.
»			Al sig. Van de Kar Guglielmo **J. J.,** della diocesi di 's-Hertogenbosch.
19	»	»	Al sig. Lochet Pietro, dell'arcidiocesi di Reims.
5	marzo	»	Al sig. Sweens Giuseppe Cornelio M., della diocesi di Breda.
»	»		Al sig. De Roy Luigi, dell'arcidiocesi di Malines.
			Al sig. Lambrechts Francesco, della medesima arcidiocesi.
7			Al sig. Haindl Giorgio, della diocesi di Augusta.
			Al sig. Morie Francesco, della diocesi di Nevers.
»	»		Al sig. Ethier Giuseppe A. C, della diocesi di Sherbrooke.
»			Al sig. Laberge **J.** Armando, della medesima diocesi.
23	»		Al sig. Huibers Pietro Leonardo, della diocesi di Haarlem.
»	»	»	Al sig. Goeman Renato, dell'arcidiocesi di Malines,
12	aprile	»	Al sig. de Jong Enrico W. J. M., della diocesi di Haarlem.
		»	Al sig. Koning Bernardo Gerardo, della diocesi di 's-Hertogenbosch.
26		»	Al sig. Ijsselmniden Giuseppe G. G., dell'arcidiocesi di Utrecht.
30	»		Al sig. Steegmans Enrico, della diocesi di Ruremonda.
12	»		Al sig. Kauflfer Gastone M. G., della diocesi di Fréjus.
6	maggio		Al sig. Dessard Roberto, della diocesi di Liegi.
			Al sig. Boever Giulio M., della diocesi di Namur.

6 maggio 1949, Al sig. Gillet Giuseppe, della medesima diocesi.

9 giugno Al sig. Mario Travassos Alua, del patriarcato di Lisbona.

» Al sig. de Castro Simas, del medesimo patriarcato.

» » Al sig. Jost Carlo, della diocesi di Lussemburgo.

» Al sig. Rock Giovanni B., della medesima diocesi,

17 Al sig. Perrot Giovanni, dell'arcidiocesi di Malines.

25 » Al sig. Atilano Giuseppe T., della diocesi di Zamboanga.

28 agosto Al sig. Van Caillie Francesco, della diocesi di Bruges.

17 settembre Al sig. Boggetti Leonardo (Italia).

2 ottobre Al sig. Osimani Alessandro, della diocesi di Recanati.

20 » Al sig. Garrido Alfonso, della diocesi di Cali.

» Al sig. Gutiérrez Ignazio, della medesima diocesi.

Al sig. Loreto Gustavo, della medesima diocesi.

» Al sig. Ocampo Gonzalo, della medesima diocesi.

» Al sig. Scarpetta Mario, della medesima diocesi.

9 Al sig. Mylod Giacomo Patrizio, dell'arcidiocesi di Newark.

» » » Al sig. Martin Collins Lorenzo, della diocesi di Paterson.

28 » » Al sig. De Biasi Carlo, della diocesi di Brooklyn.

24 novembre » Al sig. De Biasio Eugenio, dell'arcidiocesi di Benevento.

» » » Al sig. Benatti Antenore, della diocesi di Guastalla.

» » » Al sig. Carugo Carlo Pietro, dell'arcidiocesi di Milano.

14 dicembre » Al sig. Dumont Giorgio L., della diocesi di Bathurst.

» » » Al sig. Paulin Ernesto, della medesima diocesi.

20 » » Al sig. Mansi Francesco, della diocesi di Campagna.

25 gennaio 1950. Al sig. Condemi Pietro, dell'arcidiocesi di Napoli.

» » » Al sig. Baldini Nicola (Roma).

» febbraio » Al sig. Trân-van-Triêm Giuseppe, del vicariato apostolico di P hat-Diem.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe militare :

12 maggio 1949. Al sig. cap. Monteiro Sefvein Silano, dell'arcidiocesi di Porto Alegre.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa :

2 ottobre 1945. Al sig. Sheridan Giuseppe, del vicariato apostolico di Zanzibar.

25 agosto 1948. Al sig. Beckers Enrico, della diocesi di Aquisgrana.

24 ottobre » Al sig. Ruwet Giovanni L., della diocesi di Liegi.

28 » » Al sig. Uribandeau Armando, dell'arcidiocesi di Parigi.

» gennaio 1949. Al sig. Martins Avellino Geraldo, della diocesi di Jaboticabal.

20	febbraio -	1949.	Al	sig. De Biase Pietrangelo, della diocesi di Spirito Santo.
12	aprile	»	Al	sig. De Bauw Anatolio, dell'arcidiocesi di Malines.
30	»	»	Al	sig. Tanaglia Vittorino (Roma).
9	giugno	»	Al	sig. Caput Carlo, della diocesi di Namur.
17	»		Al	sig. Li Gotti Salvatore, della diocesi di Mazara del Vallo.
»	»	»	Al	sig. Siena Luigi, della medesima diocesi.
8	luglio	»	Al	sig. Arts Antonio, dell'arcidiocesi di Malines.
»	»	»	Al	sig. Van Ackere Alberto, della medesima arcidiocesi.
31	»		Al	sig. Rinaldi Arturo, dell'arcidiocesi di Salerno.
12	ottobre		Al	sig. Squintani Carlo, della diocesi di Cremona.
»	»	»	Al	sig. Salmareggi Giuseppe, della diocesi di Foligno.
		»	Al	sig. Balton Herbert Eugenio, della diocesi di Monterey Fresno.
»	»		Al	sig. Silvestri Francesco (Roma).
24	»	»	Al	sig. Magarotto Antonio, della diocesi di Padova.
10	dicembre	»	Al	sig. De la Torre Vitalio (Roma).
20	»	»	Al	sig. Acinni Raffaele, dell'arcidiocesi di Catania.
»	»	»	Al	sig. Gerosa Paolo, dell'arcidiocesi di Milano.
»	»	»	Al	sig. Azarias Germano, della diocesi di Trois Rivières.
»	»	»	Al	sig. Crête Giovanni, della medesima diocesi.
»	»	»	Al	sig. de Cobret J. Enrico Renato, della medesima diocesi.
»	»	»	Al	sig. Milot Omero E., della medesima diocesi.
3	gennaio	1950.	Al	sig. Mazzucca Gerardo, della diocesi di Montefeltro.
5	»	»	Al	sig. Costa Carlo, della diocesi di Alba.
»	»	»	Al	sig. Vico Carlo, della medesima diocesi.
»	»	»	Al	sig. Danelon Francesco, dell'arcidiocesi di Gorizia.
»	»	»	Al	sig. Martello Tommaso, della diocesi di Macerata e Tolentino.
»	»	»	Al	sig. Nabacino Daniele, dell'arcidiocesi di Rossano.
19		»	Al	sig. Manfredi Luigi, della diocesi di Alessandria.
20	»	»	Al	sig. Tamburrano Luciano, della diocesi suburbicaria di Frascati.
»		»	Al	sig. Cunietti Mario, dell'arcidiocesi di Milano.
»	»		Al	sig. Crivelli Giuseppe (Roma). -
»	»	»	Al	sig. Mattioli Riccardo (Roma).
»	»	»	Al	sig. Parola Erminio (Roma).
»	»	»	Al	sig. Vastano Michele (Roma).
»	»	»	Al	sig. Scrocca Pasquale, della diocesi di Sessa Aurunca.
»	»	»	Al	sig. Berti Giovanni, della diocesi di Tortona.
23	»	»	Al	sig. De Luca Luigi (Roma).

23	gennaio	1950.	Al sig. Maffuccini Guido, dell'arcidiocesi di Trani.
25		»	Al sig. Viglietta Antonio, della diocesi di Biella.
»	»	»	Al sig. Marsili Remo, della diocesi di Cremona.
»		»	Al sig. Giachetti Alberto, dell'arcidiocesi di Firenze.
			Al sig. Calvanese Carlo, dell'arcidiocesi di Napoli.
»	»	»	Al sig. Russo Antonino, dell'arcidiocesi di Quito.
»			Al sig. Lucci Cesare, della diocesi di Rimini.
»			Al sig. Bellardo Bernardo, dell'arcidiocesi di Torino.
27	»	»	Al sig. Arrighi Aristide, della diocesi di Ales e Terralba.
			Al sig. Marini Mario, della medesima diocesi.
		»	Al sig. Minghetti Filippo, della medesima diocesi.
4	febbraio	»	Al sig. Cucurullo Francesco, della diocesi di Agrigento.
»	»	»	Al sig. Gentile Ugo, della diocesi di Marsi.
			Al sig. Moscatelli Olinto, della diocesi di Teggiano.
15	»		Al sig. Paternostro Umberto, della diocesi di Bisceglie.
	»	»	Al sig. Cinotti Cesare (Roma).
»		»	Al sig. Mondo Michele, dell'arcidiocesi di Torino.
		»	Al sig. Pappolla Giuseppe, dell'arcidiocesi di Trani.
[illegible]	»		Al sig. Cornini Aurelio (Roma).
»	»	»	Al sig. Di Meola Gennaro (Roma).
»	»	»	Al sig. Sambusida Giuseppe (Roma).
25	»	»	Al sig. Mazzarella Francesco, dell'arcidiocesi di Bari.
		»	Al sig. Tinelli Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
»			Al sig. Gaetani Tavella Samuele, dell'arcidiocesi di Milano.
»	»		Al sig. Fogliano Luigi, dell'arcidiocesi di Napoli.
»	»		Al sig. Rinaldini Guglielmo, della medesima arcidiocesi.
1	marzo	»	Al sig. Charles Giuseppe, del vicariato apostolico di Aleppo.
5	»	»	Al sig. Iannini Ascenso, dell'arcidiocesi di L'Aquila.
17		»	Al sig. Reguitti Silvio, della diocesi di Brescia.

Il Cavalierato dell'Ordine di 8. Silvestro Papa:

24	ottobre	1948.	Al sig. Bonnet Fernando E., della diocesi di Liegi.
»		»	Al sig. Brisbov Giulio G., della medesima diocesi.
»		»	Al sig. Masset Giulio, della medesima diocesi.
»	»	»	Al sig. Moreau Giovanni, della medesima diocesi.
5	marzo	1949.	Al sig. Philippen Giuseppe, dell'arcidiocesi di Malines.
30	aprile	»	Al sig. Vernacchia Valerio (Roma).
17	giugno	»	Al sig. Hanssens Giov. Battista, dell'arcidiocesi di Malines.
»	»	»	Al sig. Rodts Giuseppe P. M., della medesima arcidiocesi.
31	luglio		Al sig. Antignani Gerardo, dell'arcidiocesi di Salerno.

31	luglio	1949.	Al	sig. Postiglione Alberto, della medesima arcidiocesi.
28	agosto	»	Al	sig. De Prêter Gustavo, dell'arcidiocesi di Malines.
»	»	»	Al	sig. Van den Bossche Edmondo, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Al	sig. Iemmolo Michele, della diocesi di Noto.
23	settembre	»	Al	sig. Casali Ferruccio, dell'arcidiocesi di Milano.
12	ottobre		Al	sig. Cavallaro Nicola, dell'arcidiocesi di Catania.
20	»	»	Al	sig. Botero Salazar Giuseppe, della diocesi di Cali.
28	»	»	Al	sig. Cardyn Giulio, dell'arcidiocesi di Malines.
»			Al	sig. Peremans Willy, della medesima arcidiocesi.
12	novembre		Al	sig. Falez Stefano, dell'arcidiocesi di Gorizia.
»	»	»	Al	sig. Raggi Luigi, dell'arcidiocesi di Newark.
21		»	Al	sig. Napoli Paolo, dell'arcidiocesi di Salerno.
»	»	»	Al	sig. Trucillo Vincenzo, della medesima arcidiocesi.
24		»	Al	sig. Calistri Carlo Alberto, della diocesi di Orvieto.
»		»	Al	sig. Sarra Vincenzo, dell'arcidiocesi di Matera.
»		»	Al	sig. Daverio Franco, dell'arcidiocesi di Milano.
»	»	»	Al	sig. Daverio Giancarlo, della medesima arcidiocesi.
12	dicembre	»	Al	sig. Schaedel Antonio (Roma).
»		»	Al	sig. Steinhausen Guglielmo (Roma).
14			Al	sig. Ryan Giuseppe L., della diocesi di Bathurst nel Canada.
20	»	»	Al	sig. Saladini Giuseppe (Roma).
»	»	»	Al	sig. De Julio Umberto, della diocesi di San Severo.
3	gennaio	1950.	Al	sig. Francioni Cornelio, della diocesi di Montefeltro.
o		»	Al	sig. Motteran Angelo, della diocesi di Adria.
»	»	»	Al	sig. Danese Isacco, della diocesi di Andria.
			Al	sig. Fuzio Girolamo, della medesima diocesi.
»	»	»	Al	sig. Fabbri Giuseppe, della diocesi di Faenza.
»	»	»	Al	sig. Jaboni Raffaele, dell'arcidiocesi di L'Aquila.
»	»	»	Al	sig. Rizzo Renato, della medesima arcidiocesi.
		»	Al	sig. Pisani Carlo, dell'arcidiocesi di Milano.
	»	»	Al	sig. Mingucci Giuseppe, della diocesi di Rimini.
	»	»	Al	sig. Blasetti Amedeo (Roma).
		»	Al	sig. Gori Medoro (Roma).
20	»	»	Al	sig. Caramello Lorenzo, dell'arcidiocesi di Firenze.
»	»	»	Al	sig. Capurro Giuseppe, dell'arcidiocesi di Genova.
			Al	sig. Magi Gennaro, della diocesi di Lecce.
		»	Al	sig. Zaccarelli Staglieno, dell'arcidiocesi di Urbino.
23	»		Al	sig. Bonacini Cesare, dell'arcidiocesi di Modena.
»			Al	.sig. Bonvicini Elio, della medesima arcidiocesi.
25			Al	sig. Attanasio Giuseppe, dell'arcidiocesi di Milano.
»			Al	sig. Miniuchi Alberto, della diocesi di Pesaro.

25 gennaio 1950. Al sig. Ferraris Paolo, dell'arcidiocesi di Torino.
27 » » Al sig. Grimaldi Piero, della diocesi di Ales e Terralba.
29 » » Al sig. Badoni Mario (Roma).
4 febbraio » Al sig. Frasca Achille, della diocesi di Teggiano.
» » » Al sig. Malagodi Pietro (Roma).
15 » » Al sig. Barracchia Antonio, dell'arcidiocesi di Barletta.
» » » Al sig. Tato Francesco, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Morroni Ugo (Roma).
« » » Al sig. Croce Antonio (Roma).
» » » Al sig. Torretta Eugenio, dell'arcidiocesi di Torino.
» » » Al sig. Sorrenti Francesco, dell'arcidiocesi di Trani.
25 » » Al sig. Zavala Enrico, della diocesi di Ssma Concezione in Paraguay.
» » » Al sig. Sanvido Gino, della diocesi di Padova.
» » » Al sig. Hao-Mêm Pietro, del vicariato apostolico di Phat-Diem.
)) » » Al sig. Nguyên-Rât Simone, del medesimo vicariato apostolico.
17 marzo » Al sig. Ieralla Vittorio, della diocesi di Trieste e Capodistria.

NECROLOGIO

22 aprile 1950. Monsig. McMcolas Giovanni Timoteo, Arcivescovo di Cincinnati.
25 » » Monsig. Joffily Giovanni Ireneo, Arcivescovo tit. di Anasarta.
18 maggio » Monsig. Shaughnessy Gerardo, Vescovo di Seattle.
22 » » Monsig. McDonald Andrea Giuseppe, Arcivescovo di Sant'Andrea ed Edimburgo.
25 » » Monsig. Glaser Marco, Vescovo tit. di Cesaropoli.
2 giugno » Monsig. Kidd Giovanni Tommaso, Vescovo di London.
3 » » Monsig. Droulers Alberto, Vescovo di Amiens.

An. et vol. XXXXII 22 Iulii 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATAE IOANNAE VALESIAE/GALLIAE REGINAE, IN VATICANA BASILICA DIE XXVIII MENSIS MAII A. MDCCCCX. HABITA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara y Praefecto S. Rituum Congregationis, Rmus D. Antonius Bocci, ab Epistulis ad Principes, Summi Pontificis nomine, haec respondit :

Iesu Christi Vicarius, Divino aspirante Flamine, iam in eo est ut Ioannam, Galliae Reginam, sanctitatis fulgoribus decoret. Eius patria gaudeat, christianae virtutis feracissima tellus; gaudeat Ecclesia universa, quae nova redimita gloria, nova filiis suis imitanda proponit animi granditatis humilitatisque exempla.

Tum Beatissimus Pater, in Cathedra sedens, sic definivit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum No

strörum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Ioannam, Galliae Reginam, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, quarta nempe Februarii, inter Sanctas nec "Virgines nec Martyres, pia devotione recoli debere. In nomine Paggtris et FiÇglii et Spiritus *ffc* Sancti. Amen.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

« Discite a me, quia mitis sum et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris ».[1] Haec Divini Redemptoris sententia menti Nostrae succurrit, dum vitae cursum recogitamus S. Ioannae, Galliae Reginae, cui summos decrevimus tribuendos sanctitudinis honores. Mitissima siquidem atque humillima ea fuit; sed christiana: illa animi demissione, quae non mentis hebetatio est, non debilitas voluntatis, sed veri nominis virtus. Virtutem dicimus, quae ob illatas iniurias, etsi atrocissimas, pertúrbalos animi motus comprimere, temperare ac dirigere valet; virtutem, quae mortalibus dominium sui praebet; quae tranquillitatem, serenitatem ac pacem donat; quae in tristibus laetisve rebus oculos ad Caelum con vertere iubet, tibi unusquisque post terrestre hoc exsilium praemium tam excelsum assequi poterit, ut humanae omnes amplitudines ac dignitates res caducae prorsus, inanes ac vacuae videantur.

Regio genere orta, inde a puerilibus annis non Aulae fastos, non saeculi pompas, non effusas suae aetatis laetitias in deliciis habebat, sed potius umbratili vacare vitae, pietatem colere erga Deum et Deiparam Virginem, ac benignissimam, quotiescumque poterat, in egenos praebere largitatem.

Adhuc puella in matrimonium tradita, parentibus demisso

[1] MATTH. XI, 14.

animo obtemperavit; attamen in coniugio, in quo duos ac viginti annos vixit, non placidam illam iucunditatem assecuta est, non materni munerjs gaudia, quibus plerumque huius in vitae adiunctis frui licet, sed poenas, sed spinas acutissimas, ac postremo sui viri neglectionem amplissimaeque frustrationem dignitatis suae.

Ioanna hisce in acerrimis aerumnis adversisque rebus excelsa fortitudine, una cum humilitate ceterisque animi ornamentis coniuncta, mirabili quodam modo praedita apparuit; serenam reclinavit frontem; atque hominibus nobilitate illa eximia pepercit, quam christiana virtus adauget, atque internus externusque exornat divinae gratiae nitor. Itaque dilabenti a suis oculis terrestri regno pacate libenterque vale dixit, ut facilius atque impensius ad Dei Regnum assequendum ac dilatandum allaborare posset. Religionis ac caritatis operibus se dedidit totam, suasione praesertim atque exemplo permota S .Francisci a Paula; atque ita evenit ut quae dilectissimo populo suo regia dignitate praeire non posset, praeclarissimae virtutis splendore antecelleret ac praeluceret.

Quod autem iam diu sua mente versabat consilium, sacrarum nempe virginum Ordinem constituendi, quae longe a terrenarum rerum tumultu serenam in claustris vitam agerent, quae precibus caelestibusque contemplationibus vacarent, atque sponte ultroque susceptis corporis castigationibus ac cruciatibus suas proximorumque labes expiarent, id tandem aliquando, cum iam proxima esset ab extremo terrestris sui exsilii exitu, suavissima cum animi voluptate ad effectum deducere potuit. Quod quidem ab se conditum Ordinem Deiparae Virgini dicatum voluit, quam tantopere inde a tenella aetate adamabat ac venerabatür.

Ac praeterea, ut intimam suam, qua Deo donante fruebatur, animi serenitatem cum ceteris pro facultate participaret, virorum ac mulierum consociationem condidit; quam idcirco a pace nuncupatam voluit, ut omnes, qui institutum huiusmodi amplecterentür, in id potissimum totis viribus contenderent, ut

illa, quae e Caelo oritur, veri nominis pax in hominum animis, in sermonibus, in ipsaque agitatione vitae, summa cum privata ac publica utilitate reapse et efficaciter vigeret. Quod quidem institutum nemo est qui non videat quam opportunum illis temporibus fuerit, quibus nimio saepius acerrima odia populos perturbabant, domesticos convictus in contrarias distrahebant partes, ac vel ipsa humanae societatis fundamenta discordiis, contentionibus, ac non raro bellicis etiam conflictationibus subruere minabantur.

At si tempestate illa peropportunum erat, non minus profecto hac nostra aetate perutile est; quandoquidem haud leviora, ut omnes vident, incumbunt discrimina, haud minores dissensiones simultatesque animos disiungunt, atque operosam civium vitam tumultuarie saepenumero commovent non sine magno cum communis utilitatis detrimento.

Id igitur nobis conciliet suis exemplis suisque monitis haec Sancta novensilis, id nobis a Deo impetret e caelesti solio, ubi sempiternis laetatur gaudiis, ut omnes restinctis odiis se invicem ament; ut, mutuis asperrimisqüe discidiis iustitia et caritate feliciter compositis, fraterna tandem actuosaque conspiratione cuncti populi coniungantur; ut Nationes denique, detrimentosis ac perniciosis sedatis pacatisque discordiis ac peculiaribus cuiusque suis concordatis rationibus, quasi unam efficiant magnamque familiam, quae, animis ac viribus quasi consertis, ad communem omnium procedant assequendam prosperitatem ac pacem.

At hoc potissimum, hoc imprimis impetret rogamus, sine quo cetera omnia nihil possunt, nihil valent; ut nempe mortalium animos divinus refoveat amor, christiana erga omnes impellat caritas, atque evangelica praecepta tempèrent, moderentur et dirigant.

In eius vitam intueantur omnes, ab eaque intellegant non humanas amplitudines, non divitias, non saeculi voluptates felicitatem hominibus impertire posse, sed virtutem solummodo, qua « nihil est., formosius, nihil pulchrius, nihil ama-

bilius ».[2] Ad eam igitur potiundam, divina suffulti gratia, contendamus omnes; atque ita aliquando poterimus sempiternam illam attingere beati tatem, quae nescit occasum. Amen.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

CARTHAGINENSIS IN HISPANIA CONCHENSIS - ORIOLENSIS

(ALBASITENSIS)

A CARTHAGINENSIS IN HISPANIA, CONCHENSIS ET ORIOLENSIS DIOECESIUM TERRITORIO PARTES SEIUNGUNTUR AD NOVAM ERIGENDAM DIOECESIM ALBA SITEN - SEM; HUIUSQUE CATHEDRALE CAPITULUM CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

inter praecipua et maxima Romani Pontificis munera illud profecto recensendum est omni studio curare ut maiori dominici gregis bono et utilitati faciliorique eius regimini prospiciatur, novas aliquando e dismembratis dioecesium amplissimis territoriis dioeceses erigendo, aliorum sollerti Sacrorum Antistitum curae concredendas.

Quum itaque a Nobis expostulatum sit ut, dismembratis dioecesium Carthaginensis in Hispania, Conehensis et Oriolensis seu Àloniensis territoriis, novam exinde dioecesim constituere decernamus, Nos, praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Caietani Cicognani, Archiepiscopi titularis Ancirani et in Hispania Nuntii Apostolici, atque annuentibus praef atar um dioecesium Episcopis, Michaele de los Santos Diaz y Gomara, modo vita functo, Innocentio Rodríguez Diaz et Ioseph Garcia Goldáraz, Iubenti animo oblatis Nobis precibus annuendum censuimus. Quapropter de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, suppleto, quatenus opus sit, aliorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, praesentium Litterarum vi, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a dioecesi Carthaginensi in Hispania Vicariatus foraneos, sicut nunc constituuntur, quorum nómina vulgo: *Albacete, Almansa, Casa Ibamez, Chinchilla, E ellin, Gorquera* et *Teste,* seiungi-

[2] Cic. ***Farn.,*** IX, 14.

mus ; a Conehensi dioecesi archipresbyteratum *La Boda,* qui octo constat paroeciis, nempe : *La Roda, Fuensanta. Madrigueras, Minaya, Gasas de Roldan, Montalvos, Tarazona de la Mancha, Villalgordo del Jucar;* ab Oriolensi porro dioecesi *Gaudete* urbem dismembramus ; territorium exinde, omnes praefatos vicariatus, paroecias et urbem complectens, in novam dioecesim erigimus et constituimus, *Albasitensem* nuncupandam, eique patronam caelestem constituimus B. Virginem Mariam sub titulo *Los Llanos.* Novae igitur dioecesis Albasitensis unes attingent : ad septentrionem dioecesim Conchensem ; ad orientem archidioecesim Valentinam; ad meridiem dioecesim Oriolensem et Carthaginensem in Hispania et ad occidentem dioecesim Giennensem et archidioecesim Toletanam. Illius autem sedem episcopalem in *Albacete* urbe fìgimus, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur; templum vero paroeciale, Deo in honorem S. Ioannis Baptistae ibidem exstans dicatum, ad cathedralis gradum et dignitatem evehimus, eique et pro tempore Episcopis Albasitensibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores, quibus ceteri in orbe terrarum gaudent Praesules; et eos iisdem oneribus et obligationibus adstringimus, quibus ceteri obstringuntur.

Quoad autem clerum peculiariter spectat, mandamus ut unusquisque sacerdos incardinatus sit dioecesi illi in cuius territorio beneficio aut ofiicio ecclesiastico potitur. Ceteris vero sacerdotibus fas erit optare novae dioecesis incardinationem, si in eius territorio quocumque munere funguntur.

Quod autem attinet ad novae dioecesis regimen et administrationem, ad dioecesani Seminarii erectionem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem et ad clericorum fideliumque iura et onera, rite servari iubemus quae sacri canones praescribunt.

Mensa episcopalis Albasitensis dioecesis constituetur Curiae emolumentis, dote a civili Gubernio assignanda, fundationibus, quae in eiusdem territorio constitutae sunt, quarum dotatio ad pretium inane nongenta quadraginta septem pesetarum millia et sexcentarum viginti, occupatum syngraphis aeris alieni civitati contracti et tandem quarta parte summae in aerario dioecesis Carthaginensis in Hispania sepositae, quae ad centum quinquaginta novem pesetarum millia et trecentas septuaginta quinque ascendit.

Volumus insuper ut documenta omnia et acta, novam dioecesim respicientia eiusque clericos et fideles, a Curiis episcopalibus Carthaginensi in Hispania, Conehensi et Oriolensi, cum primum fas erit, ad Curiam Albasitensem transmittantur, in huius archivo diligenter asservanda.

Iisdem porro praesentibus Litteris eademque suprema auctoritate Nostra in cathedrali ecclesia, uti supra constituta Canonicorum Capitulum erigimus, cui eadem tribuimus iura, privilegia et praerogativas, quibus alia Capitula Cathedralia in natione Hispanica iure communi fruuntur, iisdemque oneribus et obligationibus illud adstringimus, quibus alia capitula adstringuntur. Quod quidem Albasitense Capitulum quinque constabit Dignitatibus, idest : Decano, Archipresbytero, Archidiacono, Cantore et Magistro Scholae; quatuor Canonicis de Officio, quorum alter ad Theologi, alter ad Paenitentiarii officium deputabitur; et septem canonicatibus simplicibus; quibus addi possunt duodecim beneficiarii minores seu mansionarii.

Dignitatum collatio ad iuris tramitem Sedi Apostolicae reservatur, nominatio vero Canonicorum vel mansionariorum, servatis de iure servandis et reservationibus manentibus de quibus in canone 1435 Codicis Iuris Canonici, ad Episcopum spectabit. Vestis choralis Canonicorum et beneficiatorum erit quae usuvenit in Capitulo cathedrali Carthaginensi in Hispania.

Praebendae autem Canonicorum constituentur dote a Gubernio civili ad signanda. In ceteris omnibus iuris praescripta adamussim serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda quem supra memoravimus Apostolicum Nuntium in Hispania, vel eum qui in exsecutionis actu Nuntiaturae praesit, deputamus et ei necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcógitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus,

generalibus imiversalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel ofiicio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae ex Arce Gandulphi, anni Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die secunda Novembris mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro **S. R. E.** Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton Apost.*

Bernardus De Felicis, *Proton Apost.*

Loco £ß Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. 11. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE!

I

IN URBE PACENSI IN BOLIVIA, ECCLESIA DEO IN HONOREM S. FRANCISCI ASSISIENSIS DICATA BASILICAE MINORIS TITULO AC DIGNITATE AFFICITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Fausto quidem omine totius Bolivianae Ditionis caput a pace est appellatum, in quo, uti accepimus, praeclarum exstat Templum, Sancto Francisco Assisiensi'dicatum, qui praeprimis Domini hortationem ac promissum est secutus : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur ». Quae Ecclesia, inter vetustiores urbis illius recensenda, anno **MDXLIX** est excitata, attamen, saeculo exinde nondum transacto, collapsa ruinis, pietate invicta fideliumque ampla munificentia est restituta et in melius reparata, nec non saxis quadratis

firmiter substructa atque ingenti molitione lapidibus tota exaedificata, ea ratione ut genus « Romanicum », quod dicunt, ac Tuscum inter se aptissime convenirent. Templi eiusdem frons artifìcio et expolitione admodum est venusta, quod opus praestantissimum indigenae affabre ac scite perfecerunt. Aedes ipsa divisa est in partes tres, in quibus Imagines sacrae satis multae, quas inter Effigies Divini Redemptoris, flagris impiorum obiecti, Beatissimae Virginis Mariae Perdolentis Eiusdemque salutis sequestrae praedicentur, maxime refulgent. Digna quoque sunt quae eommemorentur, tria altaria marmorea, auro plane obducta, atque suggestus, cuius columnis quattuor emblemata cedrina eaque inaurata sunt affixa, usque ad hoc tempus servata incorrupta. Hoc igitur alterum Templum, anno **MDCCLXXXIX** consecratum, in gloriam cedit atque laudem Pacensis urbis ipsumque incolae et advenae demirantes invisere consueverunt atque oraturi adire crebriores. Quo ergo huic Ecclesiae plus ornamenti accederet et honoris, Venerabilis Frater Abel Isidoras Antezana y Roias, Archiepiscopus Pacensis, enixas adhibuit Nobis preces ut Templum memoratum ad dignitatem Basilicae Minoris evehere benigne dignaremur. Nos autem, publicum luculentumque benevolentiae Nostrae pignus venerandae Aedi illi volentes impertire, ejusmodi vota ultro libenterque censuimus excipienda. Quapropter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum tenore perpetuumque in modum, Ecclesiam Deo in honorem Sancti Francisci Assisiensis dicatam in urbe Pacensi, Ditionis Bolivianae, honoribus ac privilegiis *Basilicae Minoris* aificimus et decoramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere.; memorataeque Ecclesiae, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXIII** mensis Ianuarii, anno **MCMXLVIII**, Pontificatus Nostri nono.

De speciali. Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
Io. **BAPT. MONTINI**
Subst. Secr. St,

II

SANCTUS IOSEPH, CONFESSOR, B. MARIAE VIRGINIS SPONSUS, MORELIENSIS URBIS PRAECIPUUS APUD DEUM PATRONUS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ut castissimum Dei Genetricis Sponsum Sanctum Ioseph christifideles omnes maiore in dies veneratione colerent plures Romani Pontifices Decessores Nostri, decursu temporis, omni studio adlaboraverunt. Quos inter in peculiarem revocandi sunt memoriam Xystus Pp. IV, qui in Breviario et Missali Romano diem decimam nonam mensis Martii Sanctissimo Patriarchae dicari voluit; Gregorius XV, qui anno **MDCXXI** eundem diem festum duplici praecepto in universo orbe recolendum mandavit; Clemens X, qui anno **MDLXX** eidem festo ritum secundae classis concessit; Clemens XI, qui suo Decreto diei iv mensis Februarii anno **MDCCXIV** Ofiicio et Missa integre propriis festum praedictum condecoravit; ac denique Benedictus XIII, qui nomen Sancti Dei Filii Nutricii, anno **MDCCXXVI** Sanctorum Litaniis addi iussit. Quorum Pontificum devotionem erga praeclarissimum Almae Familiae Praesidem aemulatus, Pius Pp. IX, qui in gravissimis tunc Ecclesiae aerumnis, quo efficacius Dei miserationem per merita et intercessionem Sancti Ioseph impetrarci, Decreto diei x mensis Septembris **MDCCCXLVII** ad universam Ecclesiam ritu duplici secundae Classis celebrandum extenderat festum Patrocinii Eius, quod jam pluribus in locis speciali Sanctae Sedis indulto celebrabatur, Decreto Sacri Consilii legitimis ritibus cognoscendis diei **VIII** mensis Decembris anno **MDCCCLXX**, Sacrorum Antistitum et fidelium totius orbis votis obsecundans, inclytum Patriarcham Beatum Ioseph Catholicae Ecclesiae Patronum sollemniter declaravit, Litteris vero Apostolicis sub anulo Piscatoris die **VII** mensis Iulii anno **MDCCCLXXI** datis, idem immortalis memoriae Decessor Noster, tam Natalis quam Patrocinii eiusdem Sancti festum liturgicis honoribus auxit. Nec minorem fidelium pietatem erga Domini Nostri Iesu Christi putavimus Patrem excitandam curavit Leo XIII, qui suis Litteris Encyclicis *Quamquam pluries* die xv mensis Augusti anno **MDCCCLXXXIX** datis, vehementer Episcopos et fideles hortatus est ut, tantis difficultatibus objectis, una cum Patrocinio Virginis Deiparae a Rosario, praesertim mense Octobri illud quoque S. Ioseph implorarent oratione, indulgentiis ditata, ad hoc ab ipso Pontifice exarata. Pius X festum Patrocinii S. Ioseph ad sollemnitatem ritu duplici primae Classis cum octava celebrandam e ve-

.xit et Benedictus Pp. XV anno **MCMXX**, quinquagesimo ex quo castissimus Virginis Deiparae Sponsus et Verbi Incarnati Nutricius Joseph Ecclesiae Catholicae Patronus declaratus fuerat, suo *Motu proprio* diei **XXV** mensis Iulii, mandavit ut toto in orbe catholico faustum anniversarium sollemni ritu commemoraretur et nomen eiusdem Sancti in laudibus, italico sermone. in fine Missae privatae dicendis, insereretur. Haec animo repetentes, Nos, non minus quam tot Decessores Nostri peculiari erga Sanctum Ioseph devotione affecti, magna eum laetitia comperimus ex testimonio Venerabilis Fratris Aloisii Mariae Altamirano Bulnes, Archiepiscopi Moreliensis in Mexicana ditione, iam a multo tempore in Metropolitana Civitate Morelia dignissimum Beatae Virginis Sponsum ferventissime coli. Anno enim **MDCLII**, ab Episcopo, tunc temporis Michoachano, Marco Ramirez del Prado, Collegio Canonicorum probante, Clero et populo universo plaudente, Sanctus idem advocatus apud Deum contra fulgura et tempestates sollemni ritu declaratus fuit. Bonae memoriae Sánchez de Tagle, Sacri Clericorum Seminarii fundator, anno **MDCCLX** in honorem Sancti Patriarchae amplum Templum aedificandum curavit, ubi assiduus Eidem cultus exhibitus fuit, et Metropolitanum Capitulum, prae sibi imminentibus calamitatibus, eundem potentissimum Sanctum in suum Patronum anno MDCCCLXXi elegit eiusdemque opem numquam frustra imploravit. Constituta denique Pia Unione cultus perpetui Sancti Ioseph a rec. men. Ignatio Arciga anno **MDCCCXCIX**, mirabiliter crevit in universa Archidioecesi Moreliensi devotio erga Sanctae Ecclesiae Protectorem, quem patresfamilias vigilantiae et paternae providentiae praestantissimam formam, coniuges fidei coniugalis perfectum specimen, virgines integritatis virginalis praeclarum exemplum habuerunt et habent. Quae omnia persuadent Nobis ut ad preces, quas memoratus Moreliensium Archiepiscopus nomine proprio, Metropolitano suffragante Canonicorum Collegio, singulorum urbis Sacerdotum et fidelium conspirante voto, adhibuit Nobis, ultro libenterque accedamus ut Morelienses omnes magis magisque in dies vigilantissimum Incarnati Verbi Custodem venerentur fidentique invocent animo. Quare, omnibus rei momentis attento seduloque studio perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Sanctum Ioseph, Confessorem, Beatae Mariae Virginis Sponsum, urbis Moreliensis caelestem apud Deum praecipuum Patronum declaramus, constituimus, renuntiamus, cum omnibus iuribus et privilegiis locorum Patronis competentibus. Haec edicimus et mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces

iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt; nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xix mensis Martii, anno **MCMXXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Subst. Secr. St.

III

PAROECIALIS ECCLESIA SANCTAE FRANCISCAE XAVERIAE GABRINI, IN OPPIDO VULGO « S. ANGELO LODIGIANO)) DIOECESIS LAUDENSIS, BASILICAE MINORIS HONORIBUS PRIVILEGIISQUE DECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Antiquum a Romanis Pontificibus, Decessoribus Nostris, traditum morem quarundam Sacrarum Aedium dignitatem, quae peculiari ratione inter ceteras excellant, titulis augendi atque privilegiis, iure merito retinemus ac servamus. Iamvero apud Christianum populum singulari esse in honore accepimus Templum, quod, Sanctae Franciscae Xaveriae Cabrini, Virgini, sacrum oppidum, « Sant'Angelo Lodigiano » vulgo appellatum, atque intra fines Laudensis dioeceseos positum, decorat haud mediocriter. Haec enim «mulier fortis », utpote ibidem edita in lucem, natali solo eidem amplissimum adiunxit honorem sive celsa senctitudine vitae sive memorabilium gestorum laude, nomenque Ecclesiae ac patriae vel in dissitis regionibus illustravit tamquam caritatis administra indefatigata. Huc accedit ut Templum, licet non ab antiquiore repetatur aetate, cum sit recens exstructum, satis etiam artis operibus commendetur, marmore perfectis, atque imaginibus pictis, quibus vita eiusdem Sanctae Franciscae Xaveriae Cabrini, municipis, coloribus aspectatur expressa. Neque minus haec Ecclesia, quam etiam paroecialem esse novimus, divinis enitet officiis, quae Praepositus aliique Sacerdotes naviter obeunt. His permotus et ob instantem celebrationem semel saecularis memoriae ortus clarissimae

huius civis, hodiernus Praepositus, nomine quoque moderatorum oppidi universaeque plebis Christianae, enixas Nobis adhibuit preces ut Templum, quod diximus, Basilicam Minorem dignaremur renuntiare. Nos vero, vitam et bene facta Sanctae Franciscae Xaveriae Cabrini reputantes, quam Sanctis Caelitibus Ipsimet ascripsimus, atque oppidum, in quo nata est, aliquo cupientes honore ornare, huiusmodi vota, Venerabilis Fratris Petri Calchi Novati, Episcopi Laudensis, commendatione suffulta, libenti animo decrevimus explere. Quapropter, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam paroecialem Sanctae Franciscae Xaveriae Cabrini, in oppido vulgo dicto « Sant'Angelo Lodigiano », intra fines Laudensis dioeceseos, exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus ac decoramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Templis, hoc honore insignibus, rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque eflicaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die iv mensis Martii, anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGXOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatious expediendis.

EPISTULA

AD EXCMUM P. D. EMMANUELEM MIGNONE, EPISCOPUM ARRETINUM : NONO EXEUNTE SAECULO AB OBITU GUID0NIS **ARRETINI.**

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Dum nonum exit saeculum, postquam Guido Monachus, Arretii decus, ad mortalis vitae exitum pervenitesi omnes, quibus patriae gloriae ac

liberalium artium incrementa cordi sunt, tanti nominis virum celebrare gestiunt, non minus profecto ejus recolere memoriam Catholica exoptat Ecclesia, quandoquidem ipse versatili atque acuto ingenio suo tantum cuntulit ad recte ac perspicue signandos moderandosque peculiari ratione sua sacros concentus, qui quidem non modo liturgicos ritus divinumque cultum exornant, sed christianam etiam pietatem excitant ac refovent. Quamobrem iis lectissimorum virorum coetibus, qui per hos dies ad hoc eventum digne commemorandum suae doctrinae copiam ac sua musices historiaeque pervestigationum studia conferunt, gratulari cupimus, eorumque voci Nostram praeire. Obscura aetas, qua Guido Arretinus vixit, ea non sinit nos plena luce cernere, quae ille meditando, enitendo experiundoque hoc in genus reum invexit ; novimus tamen eum aliquid omnino novum in usum induxisse, quo modulationes tutiore ciarioreque ratione describi possent ; ita quidem ut a non paucis doctisque veterum nostrorumque temporum viris musicae artis restauratur ac quasi inventor appellatus sit. Ac Decessor Noster fel. rec. Ioannes XIX, cum Guido Arretinus ex Pomposiano coenobio, ubi monasticae vitae institutum amplexus erat, Romam advenit, eum libenter, ut memoriae traditur,, coram admisit. « Multum itaque — ut Guido ipse scribit — Pontifex meo gratulatus est adventu, multa colloquens, nostrumque veluti quoddam prodigium saepe revolvens antiphonarium prefixasque ruminans regulas... » (Epist. *Beatissimo atque dulcissimo fratri Michaeli).* Ex quo luculenter profecto patet claro iam ipsum floruisse nomine, eiusque de musica arte inventa apud Romanum etiam Pontificem magno fuisse in pretio.

Praecipuum autem propositum, quo Guido Monachus in suis studiis in suisque pervestigationibus provehendis ducebatur, hoc erat, ut nempe certiore aptioreque quo posset modo divini cultus decori per sacros concentus recte modulandos consuleret. Ita enim Arretino Episcopo Theobaldo <(sacerdotum ac praesulum dignissimo » scribebat : « Offero solertissimae paternitati tuae musicae artis regulas, quanto lucidius et brevius potui explicatas, ... id solum procurans, quod Ecclesiae opportunitati nostrisque subveniat parvulis » (Epist, ad Theobaldum). At dum sacrorum rituum dignitati ac pulchritudini potissimum prospicere enisus est, in universum etiam procul dubio musicae artis incrementum provexit, cum novum quasi iter eidem patefecisset. Quamobrem adulti saeculi nostri homines multum hoc in genere rerum pio studiosoque huic monacho debent; eumque omnes addecet exornare laudibus. Atque utinam ab eo etiam discant christianam illam virtutem imitari omnes, qua ipse per mortalis suae vitae cursum ad evangelicam perfectionem contendit;

ita quidem ut publicae ac privatae res rationesque convenienter, consone ac quasi modulate ex musicae artis legibus, ad « concordi varietate compactae bene ordinatae civitatis... unitatem » (S. Aug., *De Giv. Dei,* 1.17, c. 14) feliciter conformentur.

Quandoquidem autem ex sagaci Guidonis Arretini opera id evenit, ut melodici praesertim liturgiae cantus translaticiam integritatem suam aptius ac tutius servare possent incolumem, ac facilioribus rationibus exprimi, fore confidimus ut qui hodie sacrae musices studia e jusque incrementa provehunt, hisce ex saecularibus celebrationibus auspicia sumant ad hoc tantae gravitatis utilitatisque inceptum alacrius usque promovendum.

Quae quidem effuso animo ominantes, caelestium munerum conciliatricem Nostraeque benevoletiae testem, cum tibi, Venerabilis Frater, tum universo gregi tuis curis concredito, itemque iis omnibus, qui monasticum Guidonis Arretini institutum amplectuntur, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Maii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

*Ad christifideles qui Romae convenerant ad canonizationem Beati Antonii Mariae Clar et celebrandam.**

Desde casi todas las regiones de España habéis venido, amados hijos, para asistir al solemne triunfo de aquel cuyo nombre está queriendo brotar en estos momentos de los labios de todos : de San Antonio María Olaret. Y Nos, al acogeros con la mayor cordialidad y el más paternal afecto, deseamos daros la bienvenida y expresaros la satisfacción con que hemos otorgado los máximos honores de los altares a tan eminente figura, honra de su Patria y de la Iglesia.

No es de aquellos a quienes la gloria va a descubrir, por haber vivido ignorados o escondidos. Antonio María Olaret, hijo de padres cristianísimos, pero modestos, en su infancia y en su juventud trabó conocimiento con el telar y el taller; pero muy pronto, lös muchos dones que

* Mabita die 8 Maii mensis a. 1950.

el Creador había depositado en su alma privilegiada, y la generosidad con que él correspondió à la voz divina, le elevaron sobre el nivel común.

Eran tiempos difíciles y confusos; por eso su primer ministerio en su patria chica — Sallent — no fué tan sencillo ; y más aún si se considera que también en su alma ardiente fraguaba algo que él mismo no acababa de ver con claridad; de aquí su primer viaje a Roma, su tentativa misional y su regreso iluminado con un ideal, que pronto se concretaría en su obra principal, sus Misioneros Hijos del Inmaculado Corazón de María, que habían de ser los herederos de su celo insaciable, de su fervor altísimo y de su amor a las almas.

Cualidades tan excelsas requerían más amplio escenario, y Nuestro gran Predecesor Pío IX vio en él un « pastor según el corazón de Dios », eligiéndole para la sede metropolitana de Santiago de Cuba, donde Antonio María Claret fué el prelado ejemplar, enamorado de su clero y de su Seminario, favorecedor de nuevas Instituciones religiosas para el bien de su grey, heroico entre los terrores del terremoto y del cólera, celador incansable de la pureza de la vida cristiana entre sus ovejas, a las que dejó el mejor testimonio, el de su propia sangre derramada en atentado sacrilego.

Pero la Providencia le quería en lugar aún más visible, confesor y consejero de una Reina ; y en tan delicada posición Antonio María Claret siguió siendo el de siempre : fervoroso, mortificado, pobre, prudente, y sobre todo amantísimo de esta Sede Apostólica, por cuyo amor abandonó voluntariamente su codiciable puesto con la misma fidelidad con que, en el ocaso de su vida, haría vibrar de emoción — aquí en esta misma Basílica — a todo el Concilio Vaticano, al escuchar la vigorosa defensa de la infalibilidad pontificia, hecha por aquel anciano y prestigioso compeón de la fé.

Alma grande, nacida como para ensamblar contrastes : pudo ser humilde de origen y glorioso a los ojos del mundo; pequeño de cuerpo, pero de espíritu gigante ; de apariencia modesta, pero capacísimo de imponer respeto incluso a los grandes de la tierra ; fuerte de carácter, pero con la suave dulzura de quien sabe el freno de la austeridad y de la penitencia ; siempre en la presencia de Dios, aun en medio de su prodigiosa actividad exterior; calumniado y admirado, festejado y perseguido. Y entre tantas maravillas, como luz suave que todo lo ilumina, su devoción a la Madre de Dios.

No son nuestros tiempos menos difíciles que los del Santo Arzobispo de Cuba, confesor de la Reina de España y fundador insigne; por eso juzgamos providencial el poder hoy ponerle como modelo para todos,

pero especialmente para vosotros — sus paisanos y devotos —; y más en especial para sus celosos hijos e hijas, cuyos respectivos Institutos, con todas sus obras y con todas las almas que de ellas se benefician, queremos paternalmente bendecir.

Que la Benedición de Dios Omnipotente descienda, hijos amadísimos, sobre todos vosotros, sobre todos aquellos qué recordáis y que amáis, sobre vuestra querida patria, sobre vuestras santas intenciones y justos deseos, y que permanezca para siempre.

II

Ad christifideles qui Romae convenerant ad canonizationem Beatae Joannae, Galliae Reginae, celebrandam. *

La Pentecôte! la Pentecôte de P Année Sainte, année d'effusion, extraordinairement abondante, de l'onction divine : *spiritalis unctio!* Quelle fête! quelle joie pour l'univers chrétien, pour les pèlerins accourus des quatre points cardinaux à la Ville éternelle, autour de la Chaire du successeur de Pierre!

Mais quelle fête et quelle joie spéciales pour vous, chers fils et filles de France, de la nation qui vient de voir couronner du diadème lumineux et impérissable de la sainteté une de ses reines, une reine qui s'était, avec la majesté d'une incomparable humilité et d'une incomparable dignité, laissée frustrer de la couronne terrestre, dont Bossuet, citant les paroles mêmes de saint Grégoire le Grand, disait qu'elle était « autant au-dessus des autres couronnes du monde que la dignité royale surpasse les fortunes particulières ». [1]

Cette aifiuence, ce fleuve imposant de pèlerins, après tant d'autres déjà venus cette année de votre Patrie, porte aujourd'hui ses flots, dans un élan de gratitude, aux pieds de celui qui a eu l'honneur et la consolation de mettre au rang des saints de l'Eglise, près d'une demi millénaire depuis sa naissance, cette fille de sang royal, Jeanne de France. Peut-on n'y voir pas comme le plébiscite de la foi d'un peuple fier d'une galerie de saints, qui difficilement le cède en ampleur et en magnificence à celle de tous les autres pays du monde?

Qu'est-elle donc cette nouvelle sainte que, de toutes les provinces et diocèses, pèlerins de tous âges, de toutes conditions, de toutes profes-

* Habita die 29 Maii mensis a. 1950.

i ***Oraison funèore d''Henriette-Marie de France;*** cfr. ***S. Gregorius I CMldeoerto, regi Francorum,*** 595 sept., 1. VI, ep. 6; ***Monum. Germaniae Mst. Epist., t.*** I, p. 38&.

sions, prêtres, religieux, laïques, vous êtes venus honorer et vénérer ici dans la capitale de la Chrétienté? Elle est une de ces héroïnes silencieuses, dont la silhouette, d'une grandeur morale exceptionnelle, loin de s'estomper au cours des âges, semble commencer seulement à prendre dans la lumière de l'histoire des contours plus nets, un coloris plus éclatant.

Telle est Jeanne de France. Elle est du nombre de ces saints, dont la lumière, naissante et croissante à l'écart du monde, était restée, au cours de leur vie d'ici-bas, presque entièrement cachée sous le boisseau. Mais cette lumière, aujourd'hui, élevée sur le flambeau, rayonne aux yeux de tous les fidèles ; elle marche, elle monte, entraînant dans son sillage de clarté tous ceux qui savent encore regarder, comprendre, apprécier les vraies valeurs de la vie ; Jeanne prend place en reine glorieuse sur un trône que jamais ses contemporains n'eussent songé à lui assigner. Et voici que ce temple même, où viennent de se dérouler les cérémonies solennelles de sa canonisation, est, en ce moment, témoin de l'affectueuse rencontre du Père de la grande famille chrétienne avec sa fille aînée, la France catholique!

Aussi, tout rempli encore de l'émotion de cette inoubliable matinée, Nous sentons Notre cœur se dilater et Nos lèvres s'ouvrir pour un paternel souhait de bienvenue, qui spontanément se mue aussitôt en une prière ardente et une tendre exhortation. Nous vous disons à tous : Ecoutez et suivez l'appel intérieur de cette sainte de la terre de France, le message qu'elle adresse à l'âme et à la conscience de tous ceux qui, vivant dans une ambiance, trop souvent hélas! bien éloignée du Christ, prennent au sérieux leur dignité de chrétiens.

Il Nous semble voir la vie et l'œuvre de Jeanne de France marquée d'un triple sceau divin : dons intérieurs, dont l'Esprit Saint l'enrichit dès sa prime jeunesse — intelligence exceptionnellement pénétrante de la vie et de l'action efficace de la Vierge Mère du Rédempteur — et, fruit de l'union de sa vie avec la vie de la Mère de Dieu, union d'autant plus étroite avec le Christ, sans limite ni réserve, haussée d'un élan généreux au-dessus de toutes les épreuves et de toutes les humiliations, victorieuse de toutes les amertumes et de toutes les douleurs.

Chers fils et chères filles, de retour dans votre Patrie, si belle et, quand même, secouée par les troubles de l'heure présente, restez imperturbablement fidèles à l'héritage que le Christ vous a confié et transmis par la longue chaîne de vos saints. Restez fidèles à l'Esprit que l'Eglise invoque en cette fête de Pentecôte : Sans le secours de votre divin pouvoir, l'homme n'a plus rien en lui, plus rien qui ne soit pour son mal et sa perte : *sine tuo numine, nihil est in homme, nihil est innoxium.*

Regardez-le notre temps, avec ses misères et ses angoisses, avec ses erreurs et ses égarements, avec ses soulèvements et ses injustices : ne vous offre-t-il pas une trop fidèle peinture de l'horreur qui menace l'humanité tout entière et chacun des individus qui la composent, dès qu'ils prétendent se soustraire au joug aimable de l'Esprit de Dieu? Seule une France docile à cet Esprit divin, purifiée, obéissante à son essentielle vocation, appliquée à valoriser toujours davantage ses plus belles ressources, sera capable d'apporter à l'humanité, à la chrétienté, en toute plénitude, une contribution digne d'elle pour l'œuvre' de réconciliation et de restauration.

La profonde pénétration de Jeanne de France dans la vie de la bienheureuse Mère de Dieu, la totalité absolue de sa consécration à Marie, le reflet resplendissant des sentiments et des vertus mariales dans sa propre vie et dans son Ordre de « *Y*Annonciade », donnent de nos jours à> ses exemples et à ses règles l'aspect d'un nouveau Message à la France. Dans les grandes luttes spirituelles de ces temps, où les tenants du Christ et ses négateurs se trouvent confondus dans la foule, la dévotion à la Mère de Jésus est une pierre de touche infaillible pour discerner les uns des autres. Catholiques de France, votre histoire, dont toute la trame est tissue des grâces et des faveurs de Marie, vous fait un devoir tout spécial de veiller sur l'intégrité et sur la pureté de votre héritage mariai. Défendez-le contre ceux, qui ont rompu leurs liens avec vos antiques et glorieuses traditions, par votre courageuse persévérance dans la poursuite de vos intérêts les plus sacrés, unie à l'exemple du respect des justes lois et de l'ordre légitime de l'Etat. Vous allez quitter ces lieux, où vous venez d'assister au triomphe de votre sainte ; vous allez de nouveau fouler la terre, qui tant de fois a éprouvé les effets de la protection etr de l'intercession puissante de Marie : faites alors monter vers le ciel d'azur et de lumière le grand désir de votre cœur, l'ardente prière de votre âme : Vierge sainte, rendez-nous forts dans le combat contre vos ennemis: *Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos!*

La vie de Jeanne porte enfin le sceau de son union avec le Christ. Cette union l'imprègne, jusque dans les profondeurs de son âme, de grandeur héroïque. Sa naissance de sang royal, sa destinée de reine, fille, sœur, épouse de rois, réservaient à la pauvre créature disgraciée aux yeux du monde, mais toute gracieuse de charmes divins, un sort des plus douloureux. De bien rares éclairs de joie et d'honneur allaient faire descendre un peu de lumière dans la nuit d'une vie de douleur et d'humiliation; à peine quelques gouttes de douceur allaient atténuer un peu l'amertume de son .calice d'affliction. Quel cœur resterait impassible à

mesurer la distance de la félicité, qui aurait dû être la sienne, à l'abîme de tribulations, où s'est écoulée son existence mortelle. Elle traverse la vallée de larmes et gravit les sommets avec la sérénité de ceux, qui, formés à l'école sublime de la folie de la Croix, ont su y tremper et affiner leurs esprits.

Au cœur des femmes de France, à qui dans les conjonctures actuelles, incombe une mission de souveraine importance, daigne Dieu, le Seigneur tout-puissant, infuser en une mesure riebe et débordante, le courage dans la souffrance et dans la lutte, par où s'est héroïquement signalée la vie intérieure de Jeanne de France.

Elle est admirable la part des femmes dans l'histoire de la France. Clotilde la délivre de l'infidélité et de l'hérésie, et par le baptême de Clovis elle est donnée au Christ! Blanche de Castille est l'educatrice de saint Louis, « le bon sergent du Christ »! Jeanne d'Arc rend à la France sa place dans le monde, et son étendard porte les noms de Jésus et de Marie! La glorification, aujourd'hui, de Jeanne de France n'est-elle pas un présage que son message de paix, resté si longtemps, comme le grain, enfoui dans la terre et stérile en apparence, va germer enfin et monter en épis dorés, dont porteront joyeusement les gerbes, pour la France et pour le monde, ceux qui l'avaient semé dans les larmes et dans leur sang?

A une condition! que la femme française continue de répondre à sa vocation, de remplir sa mission. Ces héroïnes providentielles ont rempli la leur par la sagesse de leur esprit, la force de leur volonté, la sainteté de leur vie, la générosité dans le sacrifice total d'elles-mêmes, en somme par l'imitation des vertus de Marie, trône de la Sagesse, femme forte, servante du Seigneur, Vierge compatissante au cœur percé du glaive, Mère de l'Auteur de la Paix et Reine de la Paix. Soyex telles, femmes de France. Par votre sollicitude maternelle, par la dignité de votre vie chrétienne, privée et sociale, vous ferez plus encore pour la vraie, la grande paix que ne pourraient faire, sans vous, les conquérants, les législateurs, les génies.

C'est dans cette pensée et avec cet espoir que Nous appelons sur la France, par l'intercesison de sainte Jeanne, les plus belles faveurs de Dieu, en gage desquelles Nous vous donnons de tout cœur Notre Bénédiction Apostolique.

III

Participantibus Conventui internationali Studiorum rerum socialium et Conventui Sodalitatis internationalis socialis christianae, Romae habitis. *

Nous vous adressons Notre salut de bienvenue, membres du Congrès international d'études sociales et de l'Association Internationale sociale chrétienne, et Nous éprouvons un plaisir tout particulier à vous l'exprimer ici, en l'Année Sainte. Cette rencontre est plus qu'une heureuse coïncidence : elle est, de votre part, la manifestation de vos propres dispositions; elle est, pour Nous, le fondement d'une joyeuse espérance, que vos délibérations et vos résolutions contribueront, dans une large mesure, à faire mûrir les beaux fruits que Nous Nous promettons de cette année de retour et de réconciliation universelle, à savoir, le renouvellement et l'épanouissement, dans la grande communauté humaine, de l'esprit de justice, d'amour et de paix.

C'est, en effet, dans l'absence ou le déclin de cet esprit qu'il faut voir une des principales causes des maux dont souffrent, dans la société moderne, des millions d'hommes, toute l'immense multitude de malheureux, que le chômage affame ou menace d'affamer. C'est sur leur misère, sur leur découragement, que table l'esprit du mal, en vue de les détourner du Christ, le vrai, l'unique Sauveur, de les jeter dans le courant de l'athéisme et du matérialisme, pour les engager dans des mécanismes d'organisations sociales en contradiction avec l'ordre établi par Dieu. Eblouis par la lumière aveuglante de belles promesses, par l'audacieuse affirmation de succès incontrôlables, ils sont bien tentés de s'abandonner à de faciles illusions, qui. ne peuvent manquer de les mener à de nouvelles et effroyables déflagrations sociales. Quel réveil leur ménagé la réalité après ces beaux rêves dorés!

Seule, la coalition de tous les gens de bien du monde entier pour une action de grande envergure, loyalement comprise et en parfait accord, peut apporter le remède. Plus de ces œillères qui rétrécissent le champ visuel et réduisent le vaste problème du chômage à tenter simplement une meilleure distribution de la somme des forces physiques individuelles de travail dans le monde!

Il faut regarder bien en face, dans toute son ampleur, le devoir de donner à d'innombrables familles, dans leur unité naturelle, morale.

* Habita die 3 Junii mensis a. 1950.

juridique, économique, un juste espace vital répondant, fût-ce dans une mesure modeste, mais tout au moins suffisante, aux exigences de la dignité humaine.

Arrière les préoccupations égoïstes de nationalités et de classes, qui puissent gêner le moins du monde une action loyalement entreprise et vigoureusement menée, dans la conspiration de toutes les forces et de toutes les possibilités sur toute la surface du globe, dans le concours de toutes les initiatives et de tous les efforts des individus et des groupes particuliers, dans la collaboration universelle des peuples et 'des Etats, chacun apportant sa contribution respective de richesses : en matières premières, en capitaux, en main d'oeuvre. Enfin, tous les participants de cet effort commun doivent apprécier le secours que lui apporte l'Eglise.

Le voilà la grand problème social, celui qui se dresse à la croisée des chemins à l'heure présente! Qu'on l'achemine vers une solution favorable, fût-ce aux dépens d'intérêts matériels, au prix de sacrifices de tous les membres de la grande famille humaine : c'est ainsi qu'on éliminera un des facteurs les plus préoccupants de la situation internationale, celui qui, plus qu'aucun autre, alimente aujourd'hui la ruineuse « guerre froide », et menace de faire éclater, incomparablement plus désastreuse, la guerre chaude, la guerre brûlante.

Bien attardé se montrerait quiconque, dans les vieux pays d'industrie, penserait que, aujourd'hui, comme il y a un siècle ou même seulement un demi siècle, il ne s'agit que d'assurer à l'ouvrier salarié, dégagé des liens féodaux ou patriarcaux, outre la liberté de droit, celle aussi de fait. Pareille conception manifesterait la complète méconnaissance du nœud de la situation actuelle. Voilà déjà des dizaines d'années que, dans la plupart de ces pays, et souvent sous l'influence décisive du mouvement social catholique, s'est formée une politique sociale, marquée par une évolution progressive du droit du travail et, corrélativement, par l'assujettissement du propriétaire privé, disposant des moyens de production, à des obligations juridiques en faveur dé l'ouvrier. Qui veut pousser plus avant la politique sociale dans cette même direction, heurte contre une limite, c'est-à-dire, là où surgit le danger que la classe ouvrière suive à son tour les errements du capital, qui consistaient à soustraire, principalement dans les très grandes entreprises, la disposition des moyens de production à la responsabilité personnelle du propriétaire privé (individu ou société) pour la transférer sous la responsabilité de formes anonymes collectives.

Une mentalité socialiste s'accommoderait fort bien d'une telle situation. Celle-ci ne serait pourtant pas sans donner de l'inquiétude à qui

sait l'importance fondamentale du droit à la propriété privée pour favoriser les initiatives et fixer les responsabilités en matière d'économie.

Pareil danger se présente également lorsqu'on exige que les salariés, appartenant à une entreprise, aient le droit de co-gestion économique, notamment quand l'exercice de ce droit relève, en fait, directement ou indirectement, d'organisations dirigées en dehors de l'entreprise. Or, ni la nature du contrat de travail, ni la nature de l'entreprise ne comportent nécessairement par elles-mêmes un droit de cette sorte. Il est incontestable que le travailleur salarié et l'employeur sont également sujets, non pas objets de l'économie d'un peuple. Il n'est pas question de nier cette parité ; c'est un principe que la politique sociale a déjà fait valoir et qu'une politique organisée sur le plan professionnel ferait valoir plus efficacement encore. Mais il n'y a rien dans les rapports de droit privé, tels que les règle le simple contrat de salaire, qui soit en contradiction avec cette parité fondamentale. La sagesse de Notre Prédécesseur Pie XI l'a clairement montré dans l'Encyclique *Quadragesimo anno* et, conséquemment, il y nie la nécessité intrinsèque d'ajuster le contrat de travail sur le contrat de société. On ne méconnaît pas pour autant l'utilité de ce qui a été jusqu'ici réalisé en ce sens, de diverses manières, au commun avantage des ouvriers et des propriétaires ;[1] mais en raison des principes et des faits le droit de co-gestion économique, que l'on réclame, est hors du champ de ces possibles réalisations.

L'inconvénient de ces problèmes c'est qu'ils font perdre de vue le plus important, le plus urgent problème, celui qui pèse, comme un cauchemar, précisément sur ces vieux pays d'industrie; Nous voulons dire l'imminente et permanente menace du chômage, le problème de la réintégration et de la sécurité d'une productivité normale, de celle qui, par son origine comme par sa fin, est intimement liée à la dignité et à l'aisance de la famille considérée comme unité morale, juridique et économique.

Quant aux pays, dont on commence aujourd'hui à envisager l'industrialisation, Nous ne pouvons que louer les efforts des Autorités ecclésiastiques en vue d'épargner aux populations vivant jusqu'ici dans un régime patriarcal ou même féodal, et surtout en des agglomérations hétérogènes, la répétition des fâcheuses omissions du libéralisme économique au siècle dernier. Une politique sociale conforme à la doctrine de l'Eglise, soutenue par des organisations garantissant les intérêts matériels et spirituels du peuple, et adaptées aux présentes conditions de vie : une telle politique devrait être assurée du suffrage de tout vrai catholique sans aucune exception.

[1] ***Acta Apostolicae Sedis,*** vol. XXIII, p. 199.

Même dans l'hypothèse de ces nouvelles industrialisations, le problème demeure tout entier et la question se pose encore à leur sujet : contribuent-elles, qui ou non, à la réintégration et à la sécurité de la saine productivité de l'économie nationale? ou bien, ne font-elles que multiplier encore le nombre des industries toujours à la merci de nouvelles crises? Et puis, quel souci aura-t-on de consolider et de développer le marché intérieur, rendu productif en raison de l'importance de la population et de la multiplicité de ses besoins, là où le placement des capitaux n'est dirigé que par l'appât d'avantages éphémères et là où une illusoire vanité de prestige national détermine les décisions économiques?

On n'a que trop fait l'essai de production en masse, d'exploitation jusqu'à l'épuisement de toutes les ressources du sol et du tréfonds; surtout, on n'a que trop durement sacrifié à ces essais la population et l'économie paysannes. Egalement aveugle est la confiance quasi-superstitieuse dans le mécanisme du marché mondial pour équilibrer l'économie, et celle dans un Etat-Providence chargé de procurer à chacun de ses ressortissants, et dans toutes les circonstances de la vie, le droit à des exigences, au bout du compte irréalisables.

Devant le devoir pressant, dans le domaine de l'économie sociale, de proportionner la production à la consommation, sagement mesurée aux besoins et à la dignité de l'homme, la question de l'ordonnance et de l'établissement de cette économie sur le chapitre de la production se présente aujourd'hui au premier plan. Il ne faut en demander la solution ni à la théorie purement positiviste et fondée sur la critique néokantienne des (dois du marché », ni au formalisme tout aussi artificiel de la « pleine occupation ». Voilà le problème sur lequel Nous voudrions voir théoriciens et praticiens du mouvement catholique social concentrer leur attention et faire converger leurs études.

En gage de l'intérêt paternel que Nous portons à vos recherches et à vos travaux, sous les auspices de l'Esprit Saint, que Nous prions de vous combler de ses dons, Nous vous accordons de tout cœur, à vous, à toas les sociologues catholiques, dans la grande effusion de Notre cœur, Notre Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIO™

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

i

NOTIFICATIO

Cum Sac. Stanislaus Bojan, natus « Nowy-Targ » in Polonia die 27 Iulii a. 1919, ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus fuerit falsas exhibens litteras dimissorias, Suprema Sacra Congregatio S. Officii, in Plenario Consessu Feriae IV habito die 29 Martii 1950, decrevit eundem sacerdotem Stanislaum Bojan habendum esse tamquam laicum quoad omnes iuris effectus, solutum ab omnibus obligationibus ex sacra ordinatione contractis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 14 Iunii a. 1950.

Petrus Vigorita, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

DECRETUM
PROSCRIPTIS LIBRI

Feria IV, die 31 Maii 1950

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Elmi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, praedamnatum esse declararunt, vi canonis 1399 C. I . C , atque iii Indicem librorum prohibitorum inserendum mandar unt librum a Curtió Malaparte conscriptam, cui titulus « *La Pelle.* Storia e racconto » (Roma-Milano, Ed. Aria d'Italia, 1949).

Et Feria V, die 15 Iunii 1950, Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Excmo ac Revmo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Officii, die 16 Iunii a. 1950.

Petrus Vigorita, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

III

DECRETUM

PROSCRIPTIO LIBRI

Feria IV, die 5 Iulii 1950

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur :

BRUNO UGHI, *La Via,* I^A edizione, Istituto Editoriale Cisalpino Milano-Varese, 1948 ; 2ª edizione accresciuta, Firenze, CYA Editore, 19-19.

Et die 16 eiusdem mensis et anni, Ssfilus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Excmo ac Revmo Domino Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi Eñiorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 18 Iulii a. 1950.

Petrus Vigorita, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

ROMANA **SEU** HANGIOMEN.
(OLIM SHENSI MERIDIONALIS)

BEATIFICATIONIS SEU DECLARATIONIS MARTYRII VENERABILIS SERVI DEI ALBERICI CRESCITELLI, MISSIONARII APOSTOLICI IN ODIUM FIDEI INTEREMPTI.

SUPER DUBIO

An constet de martyrio et causa martyrii nec non de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.

Maxima virtutum est caritas, cuius autem manifestatio nulla evidentior martyrio, quo tormenta quaeque ipsaque mors cuicumque peccato praefertur.

Dei Servus Albericus Çrescitelli, a divinae gloriae amore motus infi-

deliumque saluti consulere volens, Christum daturus aut sanguinem, Missionalem ad exteros vitam selegit martyriumque, quod generose optaver at, est assecutus.

Altavillae Hirpinae, in Beneventana Archidioecesi, die 30 Iunii a. 1863 natus, Romae in Seminario Ss. Petri et Pauli pro missionibus ad exteros philosophicis theologicisque studiis celebratis, vix sacerdotio die 4 Iunii a. 1887 auctus, asiatica lue in patrio oppido grassante, huc advolavit, tantoque zelo erga morbo affectos omne spernens periculum, se impendit, ut non modo a concivibus sed et a civili auctoritate merita laude, diplomate firmata, fuerit honestatus.

Ad Apostolicum Vicariatum de Shensi Meridionali missus, duodecim per annos missionalibus muniis in exemplum functus est, uti eius Vicarius Apostolicus ceterique testes affirmant. Boxeres quos vocant, qui tunc Sinense imperium infestabant, in christianos odio flagrantes, imperatricis eiusque ministri principis auctoritate freti, igne et caede provincias atrociter miscebant pluraque christianorum milia diabolico furore trucidar unt; quos inter Servus Dei Albericus Crescitelli est annumerandus. Ipse enim noluit, uti bonus pastor, suas oves relinquere, ne sine pastore, persecutione ingruente, hae remanerent, licet Vicarius Apostolicus eum, ut se absconderet et a turbine declinaret, consiliaretur. Quando autem, omnibus perpensis adiunctis, sibi persuasum fuit suam in oppido praesentiam non modo inutilem sed nocivam fore, aufugere tentavit. Verum, ut videtur, proditus, captus, fere ad mortem verberatus graviter vulneratus, in terra per totam noctem relictus, sui cura heroice deposita, amicum rogavit ut alio transferretur, ne ob suam mortem oppidani punirentur.

Translatus non fuit atque horrende et nefande, admota quoque corpori flamma, torquetur. Sequenti mane, eum per saxosum callem ad fluminis ripam, medio circiter chilometro distantem, carnifices raptant; quo perventi, caput cultro secant, corpusque membratim abscindunt et in flumen abscissa proiciunt. Tot inter diutina eff er ataque tormenta nullum edidit lamentum, omnia haec, divinae voluntati penitus subiectus, pro Dei amore, suique gregis salute fortissime perferens. Consummata haec sunt die 21 Iulii mensis anno sacro 1900.

Märtyrern conclamarunt non modo christiani immo plures quoque pagani, qui de eodem veneranter loquuntur.

De insigni hoc martyre Seminarium Sanctorum Petri et Pauli et Ss. Ambrosii et Caroli ut Beatificationis causa pertractaretur curavit. Servatis itaque de iure servandis, die 21 Decembris a. 1927 Pius Papa XI commissionem Introductionis causae Sua manu signavit. Apostolicis in-

quisitionibus peractis, quorum iuridica vis die, 16 Iulii a. 1941 recognita fuit, Antepraeparatoria Congregatio super martyrio, die 13 Iulii a. 1948 coram infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto atque Causae Relatore, habita est; Praeparatoria vero die 24 Martii sequentis anni, Generalis vero, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 28 nuper elapsi mensis, in qua idem Cardinalis dubium proposuit disceptandum : *An constet de martyrio eiusque causa et de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales Officiales Praelati Patresque Consultores suam aperuerunt mentem. Beatissimus vero Pater, his votis auscultatis, sententiam edere parumper distulit ut Suis astantiumque precibus divinam voluntatem clarius agnoscere mereretur. Praesenti vero die electo, infrascriptum Cardinalem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque Secretarium arcessivit, atque, divino sacrificio pie litato, edixit : *Ita evidenter constare de martyrio et causa martyrii Alberici Crescitelli, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione, procedi possit ad ulteriora.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 5 Martii anno sacro 1950.

8 3 C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. © S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

II

ROMANA **SEU** ANAG-NINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE DE MATTIAS, FUNDATRICIS SORORUM ADORATRICUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Morum levitati, divinae legis ignorantiae et contemptui ceterisque malis, quae saeculo decimoctavo atque decimonono ineunte christianam societatem infecerunt, miserentissimus Deus occursare volens, sicut in Gallia, ita et in Italia plures viros et mulieres suscitavit, e quibus nonnulli altarium honoribus honestati iam sunt, alii vero ad eandem gloriam videntur elevandi ; quia sanctitate vitae, sacra doctrina civilique erudi-

tione pueros atque adulescentes instituerunt, atque per Instituta ab eis plerumque condita saluberrimum hoc opus prosequuntur.

Quos inter non ultimum locum Venerabilis Maria De Mattias habere meretur, quae in oppido v. d. Vallecorsa, intra Caietanae Dioecesis fines, .anno 1805 nata, virtutibus florescens, intimae animi inclinationi ad religiosam vitam in approbata religione amplexandam obsecundare quidem optabat, Beati tamen Gasparis Del Bufalo consilio obtemperans, Servo Dei Ioanne Merlini moderante, nonnullis optimis puellis secum ^ascitis, in oppido v. d. Acuto in Hernicis, primum ludum constituit; atque ita prima instituti Sororum Adoratricum Pretiosissimi Sanguinis fundamenta iecit, quod nunc plures domos pluresque Sorores per orbem diditas enumerat.

Felix Instituti propagatio Fundatoris plerumque sanctitatem significat; iamvero quod Venerabilis Maria De Mattias in exercendis virtutibus excelluerit, ex decreto a Sacra hac Congregatione die .16 Februarii a. 1936, Summo Pontifice approbante, edito evidenter constat. Huic argumento divinum miraculorum testimonium accedit; duas enim miras sanationes prae ceteris causae actores examinandas Sacrae huic Congregationi tradiderunt, quarum altera in oppido v. d. Carbognano contigit die 13 Aprilis a. 1934; altera vero die 4 Septembris a. 1946 in nosocomio Lyciensi, quo infirma ex oppido Salve fuerat translata.

Super his Apostolici processus fuere constructi in Vicariatu Urbis et in Curia Uxentina. Cum nullus iuridicus defectus, saltem gravis, inventus sit, Summus Pontifex dispensationem a discussione super validitate actorum benigne, die 6 Februarii a. 1949, concessit.

I. Prior sanatio AdamNardocci, Quinti Pedica uxorem, respicit, quae a die 5 Aprilis bronco-pneumonite confluenti, influentialis naturae, fuit tam graviter attacta, ut die 12 a medente nullam vitae spem superesse edictum fuerit.

In quibus diagnosi ac prognosi duo officiales periti medicumque nostrae Congregationis Collegium conveniunt. Hisce in adiunctis Venerabilis Maria De Mattias ab infirma, a Sororibus Adoratricibus Pretiosissimi Sanguinis et a pueris asyli fuit unice invocata. Hora circiter secunda diei 13 infirmae, ut ipsa testatur, Venerabilis De Mattias apparuit, quae ei subrisit et disparuit. Ada perfecte sanatam illico se sensit, placidoque somno fuit correpta. Facto mane, medens, qui fere morientem antecedenti die inviserat, eam perfecte sanatam esse confirmavit. In recuperata valetudine Ada perseveravit. Unanimis est medicorum sententia, sanationem nullimode posse naturae viribus aut medicis remediis tribui.

II. Altera sanatio puellulam Mcolinam Corciulo respicit. Haec lin-

guam inter dentes habens, humi procumbit, mentum in terram vehementer illidit : dentes linguam ita diffringunt, ut haec discissa penderet ex parte tantum membro unita.

Oppiduli «Salve» medens, cum non praesto necessaria haberet ut convenienter tanto malo occurreret, ad nosocomium Lyciense puellulam transferri commonuit. Mater ante profectionem ab amica Venerabilis De Mattias imaginem accepit, eique tantum ferventes preces pro miraculo obtinendo effundere coepit ; quas per totum Lyciense iter est prosecuta. Hora circiter undecima, chirurgus princeps linguam invenit omnino sanatam, manente tantum cicatrice. Miraculum nostrae Congregationis medicum Collegium, periti ex officio atque medens conclamant.

De his sanationibus, post medici Collegii sententiam in Praeparatoria Congregatione die 5 Iulii a. 1949 est disceptatum atque in Generali, die 28 Februarii huius anni, coram Sslmo D. N. Pio Papa XII, in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores suum quisque edidit suffragium ; Beatissimus vero Pater, rem coram Deo religiose perpendere volens, collatis quoque astantium precibus, supremam sententiam ad hunc usque diem differre ratus est.

Arcessitis itaque Rmis Cardinalibus Ponente atque infrascripto S. R. C. Praefecto, necnon R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali meque Secretario, edixit : *Constare de duobus propositis miraculis. Venerabili Maria De Mattias intercedente, a Deo patratis,* nimirum *de instantánea perfectaque sanatione Adae P edica Nardocci a broncho-pneumonite bilaterali confluenti necnon puellae Wicolinae Corciulo a gravi vulnere in lingua, maiorem eius partem rescindente.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 5 Martii a. D. 1950.

83 C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus.*

L. **œ** S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius.*

ACTA OFFICIORUM

COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA

INSTRUCTIO

AT) EXCMOS ORDINARIOS LOCORUM ET SUPREMOS RELIGIONUM MODERATORES, REVMOS SEMINARIORUM RECTORES ET SACRAE SCRIPTURAE LECTORES: DE SCRIPTURA SACRA IN CLERICORUM SEMINARIIS ET RELIGIOSORUM COLLEGIIS RECTE DOCENDA.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, Summus Pontifex feliciter regnans, ut quinquagesimum post editas encyclicas litteras *Providentissimus Deus* digne recoleret exeuntem annum, litteras item encyclicas *Divino afflante Spiritu* d. d. 30 septembris 1943 edidit. Postquam Summus Pontifex luculenter demonstravit, quid Praedecessores sui bis decem lustris ad studia biblica promovenda naviter fecerint, omnes tam praesules quam fideles graviter monuit, quantum eadem in Ecclesia valeant, quaque ratione providendum sit, ut et ipsa haec studia prospere proficiant et ad regnum Dei inter homines dilatandum efficaciter iuvent, itemque sapienter statuit et praecepit qua via et ratione essent in dies magis colenda et perficienda.

Ut quae Summus Pontifex commendata et sancita voluit, summa cura et fidelitate ad effectum perducantur, Pontificia Commissio de Re Biblica opportunum censuit eadem proprio modo applicare ad disciplinas biblicas in Clericorum Seminariis ac Religiosorum Collegiis docendas, in quibus tradi nequeunt illa amplitudine qua in Facultatibus theologicis et Institutis peculiaribus proponuntur. In his enim illi formantur magistri quorum erit et futuros sacerdotes scientia sacra instituere et illas ipsas disciplinas profundius investigare, quae formatio propria erit paucorum. In Clericorum autem Seminariis et Religiosorum Collegiis ii parantur qui futuri sunt sacerdotes et gregis dominici pastores quorumque erit populum catholicum veritates fidei docere ac divinam revelationem contra incredulorum impetus tueri.

Non raro proximis decenniis Summi Pontifices disertis verbis inculcarunt, quanta cum cura Locorum Ordinarii et Supremi Religionum

Moderatores tam exhortatione quam auctoritate providere teneantur, ut in Clericorum Seminariis et Collegiis Religiosorum Sacrae Scripturae studia « iusto in honore consistant vigeantque »,[1] ut Leo XIII imm. m. scripsit, ibique Divinae Litterae ita tradantur, « quemadmodum et ipsius gravitas disciplinae et temporum necessitas admonent ».[2]

Nuper vero Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. XII felic. regn., decessorum admonitiones complectens suaque auctoritate confirmans, graviter monuit a sacerdotibus in cura animarum constitutis Libros Sacros neutiquam recte et cum fructu exponi et illustrari posse, ((nisi ipsimet, dum in Seminariis commorati sunt, Sacrae Scripturae actuosum ac perennem imbiberint amorem. Quare sacrorum Antistites, quibus Seminariorum suorum paterna incumbit cura, diligenter vigilent, ut in hac quoque re nihil omittatur, quod ad eiusmodi finem assequendum iuvare possit ».[3]

At illo tempore quo tot nationes calamitatum et ruinarum pondere opprimebantur, Ordinarii quoque locorum et Seminariorum Rectores, cotidianis vitae et incolumitatis curis distenti, huic negotio fortasse minus efficaciter operam dare potuerunt quam rei gravitas atque momentum postulant. Verum nunc, silentibus iam armis, haec Summorum Pontificum monita ac iussa in memoriam redigenda ac denuo inculcanda videntur, ut sollerti Moderatorum cura ac diligenti magistrorum opera futurorum sacerdotum de Sacris Libris institutio fervide instauretur ac promoveatur, quo efficacius fideles ad salubérrimos vitae christianae fontes reducantur mundusque tam dire afïïictus denuo imbuatur ac perfundatur doctrina Christi qui, ipseque unus, fons est libertatis, caritatis, pacis.

I. DE MAGISTRO REI BIBLICAE

Ad studia biblica in Clericorum Seminariis et Collegiis Religiosorum rite instauranda et promovenda potissimum opus est magistris qui ad hanc disciplinam omnibus aliis sanctiorem et sublimiorem rite docendam omni ex parte sint idonei.

1. Vix opus est monere S. Scripturae magistrum debere inter ceteros vita et virtute sacerdotali excellere, immo etiam plus ceteris, cum Verbi Dei intima cotidie fruatur familiaritate.

2. Praeterea autem debita oportet instructus sit rerum biblicarum

[1] Litt. encycl. ***Providentissimus; Ench. Bïbl.*** n. 118.

[2] ***Ibidem*** n. 88; cfr. etiam n. 99; Pius X, Litt. apost. ***Quoniam %n re oiolica,* d. d.** 27 martii 1906; ***Ench. BiU.*** n. 155.

[3] Litt. encycl. ***Divino afflante Spiritu; A. A. S.,*** 35 (1943), p. 321.

scientia quam serio studio comparaverit et continuo labore conservet et augeat. [4]

a) De doctrinae rite comparatae copia et indole ut certius constare possit, id quod Pius XI s. m. sapienter statuit, hodie quoque ratum atque validum habetur, ne quis Sacrarum Litterarum in Seminariis magister sit, « nisi confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime sit ». [5]

b) Sed cum huius disciplinae ambitus tantus sit, ut paucorum annorum spatio obtineri quidem possit generalis eius conspectus, discendi et docendi ratio, aliquarum gravium quaestionum cognitio, reliqua autem *ulteriori magistri studio et diligentiae relinqui debeant,* insuper assiduo opus est proprio singulorum labore, quo scientia antea comparata augeatur, perficiatur solideturque, quaestiones quae de novo oriantur, scite examinentur et disputen tur, variae disciplinae partes quae clericis tradi debent, altius et profundius investigentur. Ad quod assequendum necesse est libros novos de rebus biblicis editos atque commentaria periodica studiose per legat, bibliothecas consulat, conventibus rei biblicae provehendae institutis intersit, atque etiam, si condiciones permittant, opportuno tempore iter in Terram Sanctam peragat, quo urbes et regiones cum Sacra Historia conexas propriis oculis conspiciat atque perlustret. Tantus enim scientiae biblicae est ambitus, tot ac tanti fiunt in explanandis Libris Sacris progressus, tot in auxilium vocandae sunt scientiae (nempe linguarum studium, historia, geographia, archaeologia, aliae), ut magister, nisi cotidie se dederit diligenti studio, mox arduo suo officio evadat impar neque ea praestare possit quae sacerdotes ministerio animarum dediti, immo ipsi quoque fideles iure ab eo expostulant.

c) His facile patet quantopere necesse sit, ut Sacrae Scripturae magister *totum se dare possit muneri suo,* « ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio omnique cura exsequi pergat». [6] Quare ne cogatur ut, praeter Sacrae Scripturae disciplinas, alias graviores in Seminario simul tradat. Disertis enim verbis in Codice Iuris Canonici curandum esse statuitur, « ut saltem *Sacrae Scripturae,* theologiae dogmaticae, theologiae moralis, et historiae ecclesiasticae, totidem habeantur distincti magistri ». [7] Ac ne extra Seminarium quidem

4 Cfr. LEO XIII, Litt. encycl. ***Providentissimus; Ench. Bibl.*** n. 88.

5 Motu proprio ***Bibliorum scientiam,*** 27 aprilis 1924; ***Ench. Bibl.*** n. 522.

6 Litt. encycl. ***Divino afflante Spiritu,*** 1. c. p. 324.

7 ***Cod. Iur. Can.*** can. 1366 § 3.

aliis gravibus officiis aut ministeriis oneretur, ne illis negotiis, quantumvis sanctis ac laude dignis, impediatur in iis, ad quae rite explenda et tempore indiget et mentis vigore atque animi pace.

II. DE RATIONE DOCENDI RES BIBLICAS

Iam quod ad ipsam Sacrae Scripturae in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis docendae rationem attinet, imprimis haec in memoriam videntur redigenda.

1. Magistri biblici munus est in alumnis, simul cum debita Sacrorum Librorum cognitione, ((*actuosum ac perennem eorundem amorem* »[8] excitare atque fovere. Hac enim institutione in futuris sacerdotibus alatur et in dies augeatur oportet illa erga verbum divinum veneratio, qua per totam vitam in eo inveniant praecipuum mentis cultum et animi occupationem, cordisque solatium ac delectationem.

a) Ad quem finem rite assequendum hodie quoque maxime confert *cotidiana Sacrae Scripturae lectio* quae olim clericis omnibus, tam sacerdotibus saecularibus quam religiosis, cotidianum erat exercitium non minus sacrum quam cotidiana meditatio, quin immo pia haec lectio ipsa eis erat meditatio.[9] Magister igitur discipulis inculcet, ut hanc cotidianam Sacrorum Librorum lectionem magni aestiment eamque humili cum fide et religiosa cum pietate peragant.[10] Eis commendet ut hoc exercitium adeo utile per totum studiorum tempus constanter ita continuent, ut totam Scripturam *identidem cursim perlegant,* sive versione Vulgata usi sive translatione aliqua recentiore e textu primigenio in linguam vulgarem confecta et a Superioribus ecclesiasticis rite approbata, nisi ipso textu primigenio melius iuventur. Quae Sacrae Scripturae lectio maiore cum fructu peragetur, si discipuli iam inde ab initio curriculi studiorum in Sacris Libris recte legendis scite instituantur et dirigantur proposito etiam brevi singulorum Librorum conspectu seu analysi, quemadmodum in « Introductione speciali » fieri solet.[11] Huiusmodi cotidiana lectione continuata et ordinatim concinneque facta sacerdotii candidati tam ad sacram liturgiam recte intellegendam et digne celebrandam quam ad ipsa studia sacrae theologiae cum fructu agenda egregie parabuntur. Haec autem Sacrae Scripturae cotidiana lectio ne

[8] Cfr. Pius XII, Litt. encycl. ***Divino afflante Spiritu,*** l. c. p. 321.

[9] Cfr. ***Ios.*** I, 8; **S.** HIER., ***In Titum* III,** 9; ***PL*** XXVI, col. 594 (al. 630); ***Ep.*** 52, 7. 8; ***PL*** XXII, col. 533 sq. ***(CSEL,*** vol. LIV, pp. 426, 428).

[10] Cfr. ***De Imitatione Christi,*** I, cap. V.

[11] Cfr. Pius X, Litt. apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** n. 169; Pius XI, ***L'Osservatore Romano,*** 1 ottobre 1930; cfr. ***Ench. Clericorum*** n. 1476.

inter feriarum quidem tempus omittatur, sive ab omnibus in commune sive a singulis domi suae peragatur, immo his maioris otii diebus etiam impensius fiat. Fidelitate illa qua magis magisque Sacram Scripturam intime cognoscere et gustare studebunt, clare patebit, quam sincerus sit eorum in Dei verbum amor et quantopere officiis a vocatione sacerdotali sibi impositis satisfacere nitantur.

2. In *ipsis scholis* habendis magister Sacrae Scripturae alumnis suis sollicite omnia ea praebere curet, quibus in futuro opere sacerdotali indigebunt tam ad vitam sancte agendam quam ad animas Deo lucrandas. Quare.

a) Sacra Scriptura in Clericorum Seminariis et Religiosorum Collegiis tradatur adeo scientifice ac solide et complete, ut eam totam et secundum omnes eius partes cognoscant, ut probe sciant quae quaestiones graviores hisce nostris temporibus de singulis libris biblicis agitentur, et quae obiecta et difiicultates contra historiam et doctrinam sacram opponi soleant, denique ut in pericopis biblicis populo explicandis validis innitantur scientiae fundamentis.

b) Cum tempus quod docendae Sacrae Scripturae suppetit, plerumque brevius sit quam ut ingens rerum biblicarum materia possit tota tradi, magister prae ceteris graviores quaestiones prudenter seligere curet, idque ita, ut non sua quaerat studia suasque animi propensiones, sed diligenter ante oculos habeat, quid utilitas postulet alumnorum qui futuri sunt verbi divini praecones. Huic autem utilitati tum tantum rite satisfiet, cum magister clare et perspicue monstraverit, quae sint praecipue *doctrinae* tam in Vetere quam in Novo Testamento a Spiritu Sancto propositae, quae revelationis a primis initiis usque ad Christum Dominum et Apostolos cernatur progressio, quae inter Vetus et Novum Testamentum intercedat ratio atque coniunctio; neque omittat apte ostendere, quanti momenti spiritalis, nostris quoque temporibus, sit Vetus Testamentum. Haec igitur sollerter declarare conetur, ubicumque sive in Introductione generali aut speciali sive in exegesi offeretur opportunitas. Utiliter etiam aptis historiae sacrae et profanae exemplis illustrabit, quanta Deus egerit, ut omnes salvos faceret et ad agnitionem veritatis perduceret, [12] et quomodo paterna eius providentia omnia sapienter disposuerit atque direxerit, ut cooperarentur «in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti». [13]

Dubium non est quin supernis his atque religiosis rationibus debito modo explanatis ac demonstratis in alumnorum mentibus profundior

12 cfr. *I Tim.* II, 4.
13 cfr. *Rom.* VIII, 28.

quidam Sacrorum Librorum amor maiorque existimatio exoritura sint, quibus faciliora et dulciora reddantur studia etiam magis arida, qualia sunt linguae bebraicae et graecae, quae quidem studia in Seminariis et Collegiis non plane omitti possunt, quin periculum oriatur, ne clerici linguarum ignoratione ab ipsis textibus primigeniis inspiratis arceantur ac ne translationes quidem recentiores recte intellegere et scite iudicare possint. [14] Quae linguarum atque etiam critices studia, etsi in Seminariis et Collegiis summis contineri debent argumentis, bac superna luce illustrata fecundiora et iucundiora reddentur maioresque ad Sacrorum Librorum sensum percipendum in dies fructus ferent.

In tradenda *Introductione generali,* ceteris quidem quaestionibus non plane omissis, maxime in doctrina inspirationis et veritatis Sacrarum Scripturarum et in legibus interpretationis (hermeneutica) immoretur ; in *Introductione vero speciali* cum in Vetus tum maxime in Novum Testamentum diligenter de Sacris Libris agat ac dilucide ostendat, quod singulorum sit argumentum, qui finis, a quo auctore sint scripti et quo tempore. [15] Qua in re, vitata omni vana de criticorum opinionibus eruditione quae alumnorum mentes magis perturbet quam excolat, ea potius proponat et nervose demonstret, quibus nostrae aetatis homines spiritalem utilitatem capiant et in quaestionibus et difficultatibus dissolvendis apte iuventur. Ut de omnibus Libris Sacris quantum satis est tractare possit, magister tempore quod ei conceditur, diligenter utatur neque in rebus inutilibus aut minoris ponderis immore tur.

In *exegetica* expositione, magister ne unquam obliviscatur *Ecclesiae* a Deo traditam esse Sacram Scripturam non solum custodiendam, sed etiam interpretandam, eamque non aliter esse explicandam nisi eiusdem Ecclesiae nomine et mente, quippe quae sit « columna et firmamentum veritatis». [16] Quare « sanctum habebit, numquam a communi doctrina ac traditione Ecclesiae vel minimum discedere : utique vera scientiae huius incrementa, quaecumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novator um commenta negleget » . [17]

In seligendis autem partibus quarum accuratiorem explicationem tradat, ne merae eruditionis rationem habeat, sed ea exponat quibus utriusque Testamenti *doctrina* declaretur ac definiatur, ne, ut ait S. Gregorius, corticem rodat, medullam autem non attingat. [18] Quare Veté-

is **Cfr.** Pius **X, Litt.** apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** **n. 165.**

[15] **Cfr.** Pius **X, Litt,** apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** **n. 159.**

iß / ***Tim.*** **III, 15.**

i[7] **Cfr.** Pius **X, Litt.** apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** **n. 168.**

is **Cfr.** ***Moralia*** XX, **9;** ***PL*** LXXVI, **149.**

ris Testamenti *praecipue* explanet doctrinam de generis humani primordiis, vaticinia messiana, Psalmos ; in Novo autem interpretando totius vitae Christi Domini ordinate tradat conspectum easque saltem Evangeliorum et Epistularum partes fusius explicet, quae diebus dominicis et festis in ecclesia publice leguntur ; praeterea tradat historiam passionis et resurrectionis Domini atque unam ad minimum ex praecipuis epistulis S. Pauli penitus exponat, non omissis ceterarum quoque epistularum iis locis qui ad doctrinam spectant.

Interpretationis autem munere magister ita fungatur, ut primo loco *sensum litteralem* qui dicitur clare et perspicue exponat, in auxilium adhibito, ubi res ferat, ipso quoque textu primigenio. In determinando autem sensu litterali textuum ne via illa incedat quam pro dolor hodie non pauci sequuntur exegetae, ut non habeat rationem nisi ipsorum verborum et proximi contextus, sed sedulo antiquas illas normas ante oculos habeat quas Summus Pontifex Pius XII gl. r. in Litteris encyclicis *Divino afflante Spiritu* denuo inculcavit, nempe ut accurate dispiciat exégeta quid Sacra Scriptura in aliis assimilibus locis doceat, quae eiusdem textus sit explicatio apud SS. Patres et in traditione catholica, quid ((analogia fidei» postulet, quid demum, si casus fert, ipsum Magisterium Ecclesiae de illo textu statuerit.[19] Quae omnia, ut rite facere possit, egregie versatus sit etiam in sacra theologia, magnoque et sincero sacrae doctrinae imbuatur amore, neque unquam, solis principiis criticis et litterariis innixus, munus suum exegeticum ab universa theologica institutione separet.

Spiritalem quoque verborum significationem, dummodo eam a Deo intendi secundum sapientissimas normas a Summis Pontificibus identidem statutas rite constet,[20] debito modo explicare curet. Sensum illum spiritalem a SS. Patribus et magnis interpretibus tanto studio et amore expositum magister eo facilius intelleget eoque religiosius discipulis proponet, quo maiore ipse ornatur cordis puritate, animi excellentia, spiritus humilitate, Dei revelantis reverentia et amore.

Difficultates et obscuritates quae interpreti in Sacrae Scripturae Libris non raro occurrunt, magister ne attenuet aut dissimulet, sed quaestione aeque et honeste exposita, pro viribus, accitis variarum disciplinarum subsidiis, rem enodare conetur. Ne tamen obliviscatur « Deum Sacros quos ipse inspiravit Libros, consulto difficultatibus adspersisse, ut et intentius ad eos evolvendos et perscrutandos excitaremur,

[19] Pius XII, Litt. encycl. ***Divino afflante Spiritu;*** 1. c. p. 310.

[20] Litt. encycl. ***Providentissimus; Ench. Bibl.*** n. 97; Litt. encycl. ***Spiritus Paraclitus; Ench. Bibl.*** nn. 498 s.; Litt. encycl. ***Divino afflante Spiritu;,!,*** c. p. 311.

et salubriter mentis nostrae limites experti, debita animi demissione exerceremur ».[21]

Omnia haec magister quantum fieri potest, ratione exponat *synthetica* quae dicitur, iis quae praecipua sunt accuratius tractatis, reliquis autem ea amplitudine eoque loco quae eisdem conveniant. Cui arti exponendi inde ab initio sollerter operam det in eaque in dies magis perfici studeat, id persuasum habens ab ea fructum et efficaciam docendi magna ex parte pendere.

3. *Quis sit finis, quae indoles* lectionum Sacrae Scripturae quibus Seminariorum et Collegiorum alumni instituantur, eo definitur quod illae non ad formandos « specialistas » quos dicunt, diriguntur, sed ad futuros sacerdotes et apostolos parandos. ^Sacerdotum autem formatio, quamvis ab universis vitae et ordinis Seminarii vel Collegii condicionibus pendeat, haud dubie rei biblicae studio et cognitione peculiariter iuvatur. His enim lectionibus potissimum obtinendum est, ut futuri sacerdotes intellegant sibique persuadeant Sacros Libros tam ad fovendam suam ipsorum propriam vitam sacerdotalem quam ad munera sacerdotalia cum fructu peragenda plurimum conferre. Quapropter magister alumnis suis, nequaquam contentus, ut rerum biblicarum notitias et cognitiones utiles et necessarias tradat, data occasione id quoque naviter ipsis ostendat, quomodo Sacrarum Scripturarum solida cognitione, assidua lectione, pia meditatione vitae propriae sacerdotalis sanctitatem alere, firmare, promovere[22] ministeriumque apostolicum, maxime sacrae concionis et institutionis catecheticae, fecundum reddere possint.[23]

III. CONSILIA ET NORMAE

Studia igitur biblica, cum ad pietatem sacerdotalem et muneris apostolici fructum tantopere valeant, summa diligentia esse peragenda et promovenda, nemo sane est quin videat, ideoque valde dolendum est eadem non semper in debito haberi honore, sed non raro aliarum disciplinarum studio indigne postponi, immo interdum perperam neglegi. Quare haec Pontificia Commissio de Re Biblica, variis ex diversis orbis partibus notitiis et votis commota, tam Excmis locorum Ordinariis Supremisque Religionum Moderatoribus quam Revmis Seminariorum Re-

21 Pius XII, Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu;* 1. c. p. 318:

22 Cfr. S. HIER., *Ep.* 130 in fine; *PL* XXII, col. 1224 [al. 1124] *(CSEL* LVI, p. 201).

23 Cfr. LEO XIII, Litt. *encycl.Providentissimus;* Ench. Bifol. n. 72; BENEDICTUS XV, Litt. encycl. *Spiritus Paraclitus;* ibid. nn. 496 Pius XII, Litt. encycl. *Divino afflante* Spiritu, 1. e. p. 320 s.

ctoribus ac rei biblicae Magistris enixe commendanda censuit quae sequuntur.

1. In Seminariorum et Collegiorum *bibliotheca, biblica,*[24] praeter Sanctorum Patrum et maiorum interpretum catholicorum commentarios, adsint meliora opera de theologia biblica et de archaeologia et historia sacra, atque etiam encyclopaediae seu léxica biblica atque periodicae de rebus biblicis ephemerides, quae quidem opera singuli magistri varias ob rationes non facile acquirere possunt, suo sane et alumnorum ingenti damno.

2. Pari autem cura ac diligentia Seminariorum et Collegiorum Moderatores provideant, ut *Clericis* quoque, praeter Sacrorum Bibliorum volumen reique biblicae librum manualem quibus singuli instruantur, in propria ipsorum bibliotheca illa praesto sint opera quibus ad lectiones in scholis auditas recolendas et apte complendas melius et efficacius iuvari possint.

3. Magister rei biblicae, ut officio suo laudabiliter satisfacere possit, totus *relinquatur muneri suo* neque alia ei graviora committantur negotia, et tanta cum cura a Superioribus, collatis pecuniae quoque subsidiis aliisque opportunis auxiliis foveatur, ut animo libenti, etiam per totam vitam, in docendi munere perseveret.

Prima enim studii biblici in Seminariis et Collegiis provehendi condicio ea est, ut magistro rei biblicae omnia illa librorum et pecuniae subsidia suppeditentur, quibus et ipse in scientia progredi et progredientem scientiam suam facere, conventibus studiorum causa instituendis interesse, data opportuna occasione Terram Sanctam invisere, laborum suorum fructus typis edere possit.

Consulitur vero ut, ubi maior est alumnorum numerus (immo etiam alibi, ut futuris necessitatibus mature provideatur), duo constituantur Lectores rei biblicae, alter Veteris, alter Novi Testamenti.

4. Magistro rei biblicae, discipulorum progressus studioso, enixe commendatur, ut *selectis alumnis maiore ingenio praeditis* peculiarem tradat cursum liberum, sive linguarum biblicarum aliarumque quae ad studia Sacrae Scripturae necessariae vel utiles sunt,[25] sive theologiae biblicae, historiae, archaeologiae aut cuiusvis alterius disciplinae auxiliaris. Quo in cursu tractare poterit etiam quaestiones peculiares, quae de singulis libris biblicis hodie magis agitantur quasque ipse sive proprio studio sive commentatiohum lectione accuratius investigaverit.

5. Magistro rei biblicae itidem suadetur, ut *melioris spei alumnos*

[24] Ofr. Pius X in Litt. apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** n. 173.

[25] Ita etiam Pius X, Litt. apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl. n.*** 165.

qui peculiarem erga Sacras Paginas amorem ostendant, cum prudentia et moderatatione, Superiorum consilia secutus, ad studia specialia praeparet, ita tamen, ut alias disciplinas neutiquam neglegant.[26] Quibus opportunitatem praebeat addiscendi linguas etiam recentes ad haec studia magis necessarias eosque ad cognoscenda et legenda instituat opera « de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus palaestinensibus ».[27] Probe enim meminerit grave detrimentum pati huiusmodi alumnos, cum sine iusta praeparatione, potissimum litterarum, ad studia specialia peragenda mittantur, sibique persuadeat unum ex praecipuis suis officiis esse, ut Seminario suo, propria experientia usus, optimos praeparet futuros praeceptores quorum opera res biblicae niagis magisque colantur et floreant.

6. Cum exiguo illo temporis spatio quod Sacrae Scripturae scholis plerumque assignatur, iis omnibus quae ad Clericorum theologicam et asceticam institutionem et ad rectum Sacrorum Librorum in liturgia ac contione usum docendum requiruntur, debito modo satisfieri vix possit, valde laudatur et enixe commendatur, ut iam ab ineunte altiorum studiorum curriculo, id quod in quorundam Ordinum Collegiis laudabiliter fieri novimus, *compendiaria quaedam tradatur introductio,* qua opportune stimuletur et dirigatur totius Sacrae Scripturae lectio ab alumnis studiorum tempore cursim facienda. Quod si rite factum erit, magister intra quadriennium curriculi theologici in doctrina biblica exponenda diutius immorari poterit.

7. Clerici theologi semel vel bis in anno *homiliam* de pericopa aliqua biblica componere teneantur quem laborem ipse magister dirigat et diligenter iudicet. Hac ratione alumni, iam inde a principio institutionis theologicae, homilías diebus dominicis et festis habendas congruo studio et pia meditatione parare accurateque scribere addiscent, atque Verbi Dei sensum verum ac proprium populo christiano e suggestu recte, apposite, reverenterque proponere et explanare.

8. Postremo ut studium Scripturae Sacrae etiam peracto theologiae curriculo debita ratione colatur et perficiatur ac deinceps per vitam fideliter continuetur, ad *examina* quae sacerdotes saeculares saltem per triennium, religiosi saltem per quinquennium, expleto studiorum curriculo, ex praescripto Iuris canonici de variis sacrarum scientiarum disciplinis subire tenentur,[28] singulis annis etiam quaestiones aliquae gra-

[26] Cfr. Pius X, Litt. apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** nn. 165. Ì67; Pius XI, Motu proprio ***Bibliorum scientiam; Ench. Bibl.*** n. 518 s.

[27] Cfr. Pius X, Litt. apost. ***Quoniam in re biblica; Ench. Bibl.*** n. 172.

a» ***Cod. Iur. Can.,*** can. 130. 590.

viores de Introductione generali et speciali et de exegesi parandae assignentur. Praeterea in *collationibus* seu *conferentiis* quae a Clero tam saeculari quam regulari ad normam eiusdem Iuris canonici statis temporibus de re morali et liturgica habendae sunt,[29] explicanda proponatur etiam — ut in quibusdam regionibus multa cum laude fit — pericopa aliqua biblica sive Veteris sive Novi Testamenti, quae a magistro rei biblicae Seminarii apte eligatur et ab eodem postea in periodicis commentariis dioeceseos, si casus fert, vel alibi ad rationem scientiae biblicae explicata evulgetur.

Excmos Ordinarios et Revnios Religionum Moderatores enixe rogamus, ut quae hisce exposuimus, ea qua moventur communis boni cura ac diligentia, ita accipiant et exsequi velint, ut futurorum nostrorum sacerdotum institutio in dies magis perficiatur atque solida illa sacra imbuantur scientia qua iam studii theologici tempore ac dein per totam vitam uti debent, idque non leviter et temere, nec proprio arbitrio et sensu, sed secundum scientiae sacrae normas, secundum Ecclesiae leges et praecepta, secundum genuinae traditionis catholicae regulas, ut Sacri Libri in propria vita spiritali alenda et excolenda eis sint quasi panis cotidianus, lumen et robur, in ministeriis autem apostolicis efficax auxilium quo adiuti quam plurimos ad veritatem, ad timorem et amorem Dei, ad virtutem et sanctitatem perducant. Sane non ignoramus, quot et quantae hodie obstent difficultates, quominus, quae commendavimus, brevi tempore et perfecte compleantur; at certum habemus Ecclesiarum Praesules et Religionum Moderatores, animis neutiquam fractis, nulli rei defuturos esse, ut Divinarum Litterarum stu**diuTU** et amor inter Clericos ac sacerdotes omnes novo floreant vigore atque in eorum animis et muneribus uberrimos ferant vitae et gratiae fructus.

Hanc autem Instructionem Ssmus Dominus Noster Pius PP. XII, in audientia die 13 Maii a. 1950 infrascripto Revino Consultori ab Actis benigne concessa, approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 13 Maii a. 1950.

Athanasius Miller, O. S. B., *Consultor ab Actis.*

29 *Ioid.* can. 131. 591.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

14 aprile 1950. S. E. Revma Monsig. Tosti Liberato, Arcivescovo tit. di Leucade, *Consultore della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

28 giugno » Il Revmo Monsig. Baggio Sebastiano, *Sostituto della Sacra Congregazione Concistoriale.*

6 luglio » Il Revmo Padre Binazzi Lorenzo, Ó. S. B., *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti, per le Cause di beatificazione e canonizzazione.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

14 agosto 1946. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Nasalli Rocca di Corneliano Giovanni Battista, *Protettore delle Suore Francescane dell'Immacolata di Palagano* (Modena).

26 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore della Congregazione dei Fratelli della Carità di Gand.*

12 novembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale De Jong Giovanni, *Protettore della Congregazione delle Suore di Carità di N. S. della Misericordia di Tilburg* fs-Hertogenboseh).

25 marzo 1947. L'Emo e Revmo Signor Cardinale De Jong Giovanni, *Protettore delle Suore di Nostra Signora di Amersfoort* (Utrecht).

11 giugno » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Lavitrano Luigi, *Protettore delle Suore Missionarie della Crociata Pontificia* (Buenos Ayres).

21 novembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Pro-*

tettore della Congregazione dei Fratelli di Nostra Signora della Misericordia di Tilburg ('s-Hertogenbosch).

12 luglio 1948. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore di Santa Elisabetta* (Lussemburgo).

15 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Oblate del S. Cuore di Gesù* (Moulins).

21 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Domenicane di Hardinghen* (Arras).

9 agosto » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Ospitaliere e Istitutrici del Terz'Ordine di S. Francesco, dette Francescane di Calais di St. Antoine Desvres* (Arras).

20 settembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Sette Congregazioni delle Suore della Presentazione* (Australia).

3 dicembre » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Griffin Bernardo, *Protettore delle Suore della Carità Ospedaliere di San Paolo* (Birmingham).

30 giugno 1949. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore delle Suore di Sant'Anna di Lachine* (Montréal).

18 agosto » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore di S. Felice del Terz'Ordine di S. Francesco di Assisi* (Cracovia).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Carmelitane di San Giuseppe di St. Martin-Belleroche* (Autun).

12 gennaio 1950. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Canali Mcola, *Protettore delle Suore Terziarie Regolari Francescane della Purissima Concezione* (Messico).

25 » » S. E. Revma Monsig. Confalonieri Carlo, *Segretario della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

30 » » S. E. Revma Monsig. Samorè Antonio, *Nunzio Apostolico in Colombia.*

31 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Francescane Elisabettine (vulgo Bigie)* (Napoli).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Pro-*

tettore delle Religiose di Nostra Signora della Mercede (Aix).

13 febbraio 1950. S. E. Revma Monsig. Lombardi Armando, *Nunzio Apostolico in Venezuela.*

20 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tedeschini Federico, *Protettore dell'Istituto Unito delle Oblate del Santissimo Bambino Gesù* (Roma).

16 marzo » S. E. Revma Monsig. De Jonghe d'Ardoye Giorgio, *Internunzio Apostolico negli Stati Uniti d'Indonesia.*

30 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore della Congregazione delle Serve del Sacro Cuore di Gesù di San Quintino* (Metz).

31 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore della Congregazione delle Suore dell'Educazione Cristiana* (Tournai).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Tisserant Eugenio, *Protettore dell'Istituto delle Suore della Sacra Famiglia di Villefrance de Rouergue.*

5 aprile » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato G., *Protettore dei Figli della Carità (Canossiani)* (Venezia).

26 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore dell'Istituto dei Fratelli delle Scuole Cristiane* (Roma).

1 maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Terziarie Francescane della Carità* (Buenos Ayres).

9 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato G., *Protettore della Congregazione delle Figlie della Chiesa* (Roma).

13 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Bonet Emanuele, *Prelato Uditore del Tribunale della Sacra Romana Rota.*

27 giugno » S. E. Revma Monsig. Ferretto Giuseppe, *Assessore della Sacra Congregazione Concistoriale.*

Assistenti al Soglio Pontificio :

27 giugno 1946. S. E. Revma Monsig. Arana Goigoras Bonaventura Giovanni Vincenzo, Vescovo tit. di Siniando, Amministratore Apostolico *ad tempus* di Vijayapuram (India).

24 settembre 1948. S. E. Revma Monsig. Dietz Giovanni Battista, Vescovo di Fulda.

•25 settembre 1948. S. E. Revma Monsig. MacDonald Giovanni U., Arcivescovo di Edmonton.

28 ottobre » S. E. Revma Monsig. Landerdorf er Simeone Corrado, Vescovo di Passavia.

25 gennaio 1949. S. E. Revma Monsig. Garcia Benitez Gioacchino, Arcivescovo di Medellin.

10 febbraio » S. E. Revma Monsig. Ibanez y Aparicio Celestino, Vescovo tit. di Ceciri.

25 maggio » S. E. Revma Monsig. Périer Ferdinando, Arcivescovo di Calcutta.

14 luglio » S. E. Revma Monsig. Lemmens Giuseppe Umberto Guglielmo, Vescovo di Rur emonda.

2 settembre » S. E. Revma Monsig. van Uytven Carlo Armando, Vescovo tit. di Megara, Vicario Apostolico di Buta.

29 » » S. E. Revma Monsig. de Filippis Francesco, Arcivescovo di Brindisi.

18 ottobre » S. E. Revma Monsig. McGrath Giuseppe Francesco, Vescovo di Baker City.

9 novembre » S. E. Revma Monsig. Molloy Tommaso Edmondo, Vescovo di Brooklyn.

» » » S. E. Revma Monsig. Caicedo Tellez Giulio, Vescovo di Cali.

26 dicembre » S. E. Revma Monsig. Rubén Berroa y Bernedo Francesco, Vescovo di Ica.

31 gennaio 1950. S. E. Revma Monsig. von Streng Francesco, Vescovo di Basilea e Lugano.

1 febbraio » S. E. Revma Monsig. Rosi Giovanni, Vescovo di Montefiascone.

28 marzo » S. E. Revma Monsig. Kidd Giovanni Tommaso, Vescovo di London.

Protone-tari Apostolici ad instar participantium :

2 gennaio 1946. Monsig. Hidalgo Alfredo, dell'arcidiocesi di S. José di Costarica.

19 marzo » Monsig. Delouvrier Carlo, dell'arcidiocesi di Parigi.

» » » Monsig. Brot Pietro, della medesima arcidiocesi.

» » » Monsig. Ledere Andrea, della medesima arcidiocesi.

22 » » Monsig. Baserga Giovanni, della diocesi di Como.

25 giugno » Monsig. Splaine Michele J., dell'arcidiocesi di Boston.

26 aprile 1947. Monsig. Molloy Giovanni M., dell'arcidiocesi di Dubuque.

12 settembre » Monsig. Leon Ortiz Edoardo, dell'arcidiocesi di Bogota.

25 gennaio 1948. Monsig. O'Sullivan Francesco J., della diocesi di Peterborough.

21 febbraio 1948. Monsig. Schmit Leone Ferdinando, della diocesi di Metz.
22 » » Monsig. Hamayon Marcello, dell'arcidiocesi di Parigi.
13 marzo » Monsig. Perez y Sánchez Antonio, dell'arcidiocesi di Panama.
14 giugno » Monsig. Russnak Mcola, della diocesi di Presov dei Ruteni.
29 » Monsig. Jauregui Bonaventura, della diocesi di Ibaguè.
2 settembre Monsig. Giraud Alessandro Stefano, della diocesi di Nizza.
22 novembre Monsig. Jarían Giulio Teodoro, dell'arcidiocesi di Albi.
3 dicembre Monsig. Loutil Edmondo, dell'arcidiocesi di Parigi.
22 » Monsig. Paravy Teófilo, dell'arcidiocesi di Chambery.
8 gennaio 1949. Monsig. Oihàk Giuseppe, dell'arcidiocesi di Praga.
25 » » Monsig. Mury Leone, della diocesi di Autun.
6 febbraio » Monsig. Leite Giovanni Nepomuceno Manfredo, dell'arcidiocesi di «San Paolo del Brasile.
22 » » Monsig. Cajs Giovanni, della diocesi di Budeiovice.
23 » » Monsig. Hudec Tommaso, dell'arcidiocesi di Olomouc.
» » » Monsig. Vasek Federico, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Oineck Francesco, della medesima arcidiocesi.
10 maggio » Monsig. Tomanócy Giuseppe, della diocesi di Scepusio.
20 » » Monsig. Caruso Francesco d'Assisi, dell'arcidiocesi di San Sebastiano di Rio de Janeiro.
5 giugno » Monsig. Miltenberger Francesco, della dioc. di Würzburg.
6 » » Monsig. Cabiro Andrea, dell'arcidiocesi di Bordeaux.
12 ottobre » Monsig. Lauriano Giovanni, della diocesi di Ribeirâo Preto.
30 dicembre » Monsig. Freddi Dante, della diocesi di Guastalla.
» » » Monsig. Ciocia Pasquale, delle diocesi di Molfetta, Giovinazzo e Terlizzi.
18 gennaio 1950. Monsig. Formiconi Mario, della diocesi di Macerata.
31 » » Monsig. Climaco Antimo, della diocesi di Ischia.
» » Monsig. Albano Francesco, della, medesima diocesi.
22 marzo » Monsig. Rizzardini Pietro, della diocesi di Belluno e Feltre.
2 aprile » Monsig. Collender Riccardo, dell'arcidiocesi di Sydney.
4 » » Monsig. De Sanctis Basilio, della diocesi di Rieti.
29 » » Monsig. Rivière Giovanni Pietro, della diocesi di Carcassona.
1 giugno » Monsig. Sandrini Paolo, della diocesi di Concordia.

Cappellani Comuni Pontifici Soprannumerari

20 marzo 1950. Monsig. Paganuzzi Quirino (Roma).
31 » » Monsig. Alufii Pentini Giuseppe (Roma).

31 marzo 1950. Monsig. Minelli Sergio (Roma).
» » » Monsig. Cicconardi Giacomo (Roma).
» » » Monsig. Petino Cosimo (Roma).

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire :

La Gran Croce dell'Ordine Piano :

29 giugno 1948. A S. E. il sig. Tovar de Lemos conte de Tovar Pietro, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario del Portogallo presso la Santa Sede.
22 marzo 1950. A S . E. il sig. Ruiz Gimenes Cortes Gioacchino, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario di Spagna presso la Santa Sede.
» » » A S. E. il sig. Martin Artajo Alberto, Ministro degli Affari Esteri di Spagna.

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano :

27 aprile 1950. Al sig. Scacchi Giuseppe, della diocesi di Como.
29 » » Al sig. Cardinali prof. Giuseppe (Roma).
» » » Al sig. Caronia prof. Giuseppe (Roma).

La Placca dell'Ordine Piano :

22 marzo 1950. Al sig. Pietromarchi nob. dei conti Camillo, Tenente della Guardia Nobile di Sua Santità.

La Commenda dell'Ordine Piano :

22 marzo 1950. Al sig. Salimei conte Pietro, Esente della Guardia Nobile di Sua Santità.

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno, elasse civile :

14 settembre 1949. Al sig. Guzman y Aspiazu don Lisimaco (Equatore).
7 marzo 1950. A S. E. il sig. van Cauwelaert Franz (Belgio).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

22 agosto 1944. Al sig. De Blesson Giacomo (Francia).
20 gennaio 1949. Al sig. Kasteel dott. Pietro (Haiti).
4 febbraio » Al sig. McCort Teodoro C, della diocesi di Steubenville.
» » » Al sig. Goldcamp Giorgio, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Bernert Raimondo H., della medesima diocesi.
22 maggio » Al sig. Viviano Salvatore, della diocesi di Pittsburg.

21 giugno 1949. Al sig. Affre de Saint-Rome eonte Luigi (Francia).
8 novembre » Al sig. Hébrard Carlo Francesco Emanuele, dell'arcidiocesi di Parigi.
20 gennaio 1950. Al sig. Ferrè Antonio, della diocesi di Ponce.
22 febbraio » Al sig. Ortiz Muñoz Luigi (Spagna).
» » » Al sig. Foscolo Ugo (Roma).
I marzo » Al sig. Chiba Michele, del vicariato apostolico di Aleppo.
» » » Al sig. Abela Carlo, del medesimo vicariato apostolico.
24 » » Al sig. Dumaine Giacomo (Francia).
5 aprile » Al sig. Ovio Giuseppe (Roma).
29 » » Al sig. Giannelli Aristide (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe militare :

20 gennaio 1950. Al sig. Keyes generale Geoffrey (Stati Uniti d'America).

La Placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile :

30 dicembre 1949. Al sig. Moorhead Lodovico, dell'arcidiocesi di Chicago.
19 aprile 1950. Al sig. Spada Massimo (Roma).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

16 luglio 1946. Al sig. Salat Rudi, della diocesi di Losanna, Ginevra e Friburgo.

La Gran Croce dell'Ordine di San Silvestro Papa :

12 ottobre 1949. Al sig. Droste zu Vischering conte Giorgio, della diocesi di Münster.
II novembre » Al sig. Raggi Gonippo, dell'arcidiocesi di Newark.
10 gennaio 1950. Al sig. Cagiano de Azevedo conte Antonio (Roma).
22 marzo » A S. E. il sig. Carrero Blanco Luigi (Spagna).
29 aprile » A S. E. il sig. Rivera Schreiber Riccardo (Perù).

La Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa :

3 gennaio 1948. Al sig. Tessier Vedasto, dell'arcidiocesi di Parigi.
» dicembre » Al sig. Pereira Figueira Emanuele, dell'arcidiocesi di Loanda.
28 luglio 1949. Al sig. Leemans Francesco L. G., dell'arcid. di Malines.
31 gennaio 1950. Al sig. Rolandi Giovanni, della diocesi di Ales e Terralba.
22 febbraio » Al sig. Nusiner Filippo (Roma).
» marzo » A S. E. il sig. De Ussia Antero (Spagna).
7 aprile » Al sig. Berkes Poljak Paolo (Spagna).

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa :

11 aprile 1946. Al sig. Ruffini Edoardo (Roma).

An. et vol. XXXXII 3 Augusti 1950 (Ser. IT, v. XVII) - N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: PUBLICAE ITERUM INDICUNTUR PRECES AD POPULORUM IMPETRANDAM PACEM ATQUE CONCORDIAM.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.— Summi maeroris non desunt Nobis summaeque laetitiae causae. Siquidem ex una parte cernimus multitudines undique gentium per Sacrum, qui volvitur, Annum Romam Confluere, ibique insigne communis fidei, fraternae concordiae incensaeqüe pietatis praebere spectaculum; idque tali peregrinantium numero, qualem per saeculorum decursum haec alma Urbs, tot celebérrimos experta eventus, umquam adhuc non vidit. Quas quidem innumeras multitudines amantissimo Nos excipimus animo, paterno recreamus alloquio ac novis praeclarisque propositis sanctitatis exemplis, ad morum renovationem christianaeque perfectionem vitae, non sine uberibus fructibus, revocamus.

Ex altera tamen parte oculis obversantur Nostris publicae eiusmodi populorum condiciones, quae graves Nobis sollicitu-

dines anxitudinesque afferant. De concilianda tandem optatissima pace utique a multis disseritur, scribitur, praedicatur; sed ea, quae solida huius pacis fundamenta esse debent, a nonnullis vel negleguntur, vel aperte repudian tur. Etenim, haud paucis locis non veritas, sed mendacium fucata quadam ratione effertur; non amor, non caritas fovetur, sed odium excitatur ac livida simultas; non civium concordia extollitur, sed seditiones commoventur ac turbae. Atqui, ut sinceri ac cordati homines fatentur, hoc agendi modo neque invicem discrepantes Nationum causae, quae in praesens acriter agitantur, recte componi possunt, neque proletariae classes ad meliorem fortunam, ut oportet, adduci. Nihil enim umquam boni peperit **odium**, nihil mendacium, nihil seditio. Opus est quidem indigentem plebem ad statum homine dignum evehi; non tamen vi, non tumultuati onibus, sed iustis legibus. Necesse quidem est controversias omnes, quae populos seiungunt ac dividunt, quam primum dirimere; sed veritate auspice, iustitia duce.

Dum tetris caelum infuscatur nubibüs, Nos, quibus Nationum omnium libertas, dignitas, prosperitas tantopere cordi sunt, facere non possumus quin omnes cives eorumque moderatores ad pacem, ad concordiam adhortemur. Considerent omnes quid bellum, ut experiundo novimus, afferat: ruinas, mortem omneque genus miseriarum. Progrediens aetas talia instruxit ac comparavit arma, immania ac letifera, quae possunt non modo exercitus ac classes, non modo urbes, oppida, pagos, non modo inaestimabiles religionis, artis, culturae thesauros ad interitum reducere, sed insontes etiam pueros, eorum matres, aegrotos debilesque senes. Quidquid pulchrum, quidquid bonum, quidquid sanctum hominum ingenium edidit, id omne, vel fere omne destrui potest. Si igitur bellum, nostris praesertim temporibus, sanae cuiusvis menti tamquam aliquid omnino horrificum atque mortiferum obversatur, fore sperandum est ut — probis omnibus enitentibus, iis praesertim, quorum in manibus populorum sunt sortes — obscurae ac minaces caeli nubes, quae

trépidos in praesens animos tenent, arceantur; ac gentibus tandem aliquando pax veri nominis illucescat.

Attamen, quandoquidem novimus « omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre (luminum »,[1] opportunum ducimus, Venerabiles Fratres, publicas iterum indicere supplicationes ad populorum impetrandam conciliandamque concordiam. Pastoralis vestrae sollertiae erit greges vobis concreditos non modo ad impensas Deo admovendas preces adhortari, sed ad piae etiam paenitentiae expiationisqüe opera excitare, quibus Aeterni Numinis maiestati, tam gravibus criminibus privatim publiceque laesae, grata praebeatur satisfactio.

Dum vero, pro officio vestro, hanc invitationem Nostram cum christifidelibus communicatum estis, eos etiam admonetote quibus ex principiis liceat rectam ac solidam haurire pacem, et quibus rationibus oporteat eam componere ac confirmare. Ea siquidem, ut probe nostis, ex christianis tantummodo principiis christianisqüe praeceptis, sincere religioseque in usum deductis, haberi potest. Haec enim homines ad veritatem, ad iustitiam, ad caritatem advocant; eorum cupidinibus modum imponunt; sensuum facultates compellunt ad rectae obediendum rationi, rationem autem movent ad obtemperandum Deo; omnes denique iubent, eos etiam qui civitates Nationesque regunt, debitam libertatem religioni agnoscere, utpote quae non modo ad sempiternam nos conducat assequendam salutem — quod quidem praecipuum est — sed ipsius etiam rei publicae fundamenta tueatur.

Ex. iis, quae diximus, facile cernitur, Venerabiles Fratres, quam longe ii absint a vera ac firma procuranda pace, qui sanctissima Catholicae Ecclesiae iura proculcent; qui sacros administros a suo officio libere obeundo prohibeant eosque etiam in vincula vel in exsilium coniciant ; qui litterarum ludos, scholas

[1] **Cfr.** IAC. 1, 17.

ceteraque instituta, quae christianis regantur normis, vel praepediant, vel omnino proscribant ac deleant; qui denique erroribus, calumniis atque obscenitatibus omne genus populum ac flexanimam praesertim iuventutem ab integritate morum, ab innocentia, a virtute ad corruptelarum vitiorumque oblectamenta pertrahant.

Ac patet etiam quam longe a veritate aberrent qui falso criminentur hanc Apostolicam Sedem ac Catholicam Ecclesiam percupere ut nova habeatur belli conflagrano. Numquam quidem defuere, neque remotis neque proximis temporibus, qui exercitibus subiugare populos conten der ent; at Nos a pace recte concilianda non destitimus umquam ; at Ecclesia non armis, sed veritate subicere gentes desiderat, easque ad virtutem et ad humanum divinumque cultum conformare. Etenim « arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo.»:.[2]

Haec omnia aperte doceatis oportet; quandoquidem tum solummodo, cum nempe christiana praecepta in tuto ponantur ac privatam moderentur publicamque vitam, tum solummodo sperare licet fore ut, humanis compositis rebus, civium classes, populi ac gentes fraterna concordia copulentur.

Impetrent a Deo communes, quae habebuntur, supplicationes ut incensa haec vota Nostra effecta dentur; ut nempe non tantum, divina adspirante gratia, omnium mores christiana virtute renoventur, sed publicae etiam populorum rationes ita quam primum ordinentur ut, iniusta restincta in ceteros dominandi cupidine, singulae Nationes debita fruantur libertate; quam quidem debitam libertatem et religioni sanctissimae et suis omnibus civibus concedant, quemadmodum divina humanaque iura postulant.

Qua spe freti, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum clero populoque vestro, iisque peculiari modo, qui hortationi huic Nostrae volenti obtemperabunt animo, Aposto-

[2] *2 Cor. 10,* 4.

licam Benedictionem, caelestium auspicem gratiarum Nostraeque benevolentiae testem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xix mensis Iulii, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATI VINCENTII MARIAE STRAMBI, EPISCOPI, IN VATICANA BASILICA DIE XI MENSIS IUNII A. MDCCCCL HABITA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sacri Consistorii;, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, ad Epistulis ad Principes, Summi Pontificis nomine, haec respondit:

Sacrum Antistitem Vincentium Mariam Strambi, morum integritate, invicta fide, apostolico studio in exemplum praestantem, Iesu Christi Vicarius sanctitudinis infula decoraturus est. Oraculum prona mente audiamus; ac caelesti illa luce, quae eius excelsae virtutis nuntia e supernis sedibus panditur, per christianae perfectionis semitas ducamur omnes.

Tum Beatissimus Pater, in Cathedra sedens, sic sollemniter pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatum Vincentium Mariam Strambi, Confessorem Pontificem, Sanctum esse decernimus et definimus ac Sanctorum Ca-

talogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe Kalendis Januariis, pia devotione recoli debere. In nomine Pa £g tris et Fi *Cß* Iii et Spiritus £B Sancti. Amen.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Episcopus, « si ... praeceptis obediens erit, id est, si doctrinae opportunitate et veritate infirma confirmet, disrupta consolidet, depravata convertat, et verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispendat atque haec agens hisque immoralis deprehendatur, gloriam a Domino tamquam dispensator fidelis et villicus utilis consequetur: id est in Dei gloria collocabitur, quia nihil sit ultra, quod melius erit ».[1] Haec S. Hilarii Pictaviensis sententia menti obversatur Nostrae, dum cupimus meritissimis celebrare laudibus sacrorum Antistitem Vincentium M. Strambi, cui quidem Nobis licuit, Divino adspirante Numine, sanctorum caelitum decernere honores. Is enim quae hisce verbis declarantur ac commendantur pastoralis muneris normae, eas ad extremum usque vitae halitum sollerti cura impensoque studio ad rem feliciter deducere enisus est.

Hoc procul dubio idcirco peragere potuit, quod, cum episcopalem suscepit dignitatem, iam ad sanctitatis fastigium pervenerat; atque adeo rebus omnibus perfectione illa operabatur, quae ex divina gratia oritur, cui generosa respondeat voluntas. Huius autem sanctitatis auspicia, qua tam uberes potuit pastoralis sollertiae fructus edere, ac tam acerrimas rerum asperitates sereno fidentique animo superare, inde a novella eius aetate luculentissime enituere. Siquidem iam a puero inter aequales suos candida praestitit honestate morum innocentisque vitae munditia; cumque superno quodam instinctu ad

[1] **S.** HIXAR. ***Vim., Comm. in Matth.,*** cap. **XXVII;** MIGNE. ***PL.,*** **X. 1058-1059.**

sacra capessenda munia se vocatum sensisset, et in Montis Faiisci seminarium adscitus esset, animum suum, divina favente gratia, tam impense actuoseque exornare contendit, ut non modo sodalibus, sed moderatoribus etiam suis admirationi exemploque esset.

Aliquot tamen post annos maioris usque perfectionis studio permotus, humillime petiit ut in Congregationem a Passione D. N. Iesu Christi cooptaretur. Qua quidem in religiosa Sodalitate ad excelsae illius sanctimoniae verticem, quam in ipso legifero Patre ac Conditore Paulo a Cruce admirabundus cognoverat, citatiore cotidie gradu contendere enisus est. Iesu Christi cruci fixi imaginem incensa caritate venerari, eiusque dolores angoresque non sine lacrimarum imbre recolere sollemne habebat; quibus quidem in meditationibus tam ardenti impellebatur amore, ut non raro carnem suam innocentissimam ciliciis ac flagellis cruentaret, vehementerque cuperet se veluti expiationis hostiam pro suis, quae deflébat acerrime, ac pro ceterorum etiam admissis offerre.

Cum igitur, valida adhuc aetate, Episcopus Maceratensis et Tolentinus delectus est, iam se dotibus omnibus animique ornamentis praeditum exhibuit tanto obeundo exsequendoque muneri necessariis. Imprimisque, cum incensissima erga Deum pietate flagraret, ac probe novisset nihil prorsus se posse, nisi supernae opis auxilio fretum, nullum umquam consilium iniit, nullum suscepit inceptum, quin prius e Caelo lumen ac vim precando supplicandoque imploravisset. Atque ita evenit, ut errantes non paucos falsisque opinationibus deceptos ad veritatis integritatem reduceret, ut vitiorum illecebris delenitos ad frugem revocaret bonam, ut clerum rite sancteque institueret ac conformaret, ut gregem denique sibi creditum ab errorum propugnatoribus defenderet, a periculis omne genus diligentissime arceret, et alloquio exemploque suo per salutaria pascua ad christianam compelleret assequendam perfectionem. Vir enim fuit animo plane invicto et apostolico praeditus, terrenarum rerum contemptu, catholicae fidei divinique cultus

studio praestans, rerum gerendarum prudentia ceterisque virtutibus prorsus eximius. Et cum per episcopalis suae vitae cursum christiana religio gravibus agitaretur fluctibus ac paene mergi videretur, Dei Ecclesiaeque iura etiam adversus eos, qui infinita propemodum atque absoluta potentia frui videbantur, fortiter vindicavit, nulla esse praedicans solidiora regnorum fundamenta, quam tutelam ecclesiasticae libertatis.

Ob strenuam eiusmodi animi fortitudinem e sua fuit Dioecesi deturbatus ac carissimum Suis curis creditum gregem derelinquere coactus est. Verumtamen non sine nutu Illius, qui « deposuit potentes de sede et exaltavit humiles »[2] haud multos post annos id contigit, ut qui visus erat in omnem fere Europam dominari, qui ut sacerdotes et episcopi non pauci ac vel ipse Romanus Pontifex suo arbitrio servirent temerario ausu enisus erat, is post tot victorias, post tot triumphos omnino devictus, prostratus et in exsilium missus, a Deo veniam efflagitaret, et a religione sanctissima exulcerato animo suo suprema quaereret solacia.

Eodem tempore, dum Decessor Noster imm. mem. Pius VII hanc almam urbem repetere ovantibus omnibus potuit, Vincentius M. Strambi eïüusis omnium laetitiis suae sedi restitutus est, atque intermissam operam alacriore usque animo, iterum suscipere potuit.

Horum ex rerum eventibus, ut ex innumeris aliis, quos historia « magistra vitae »[3] refert, patet omnino, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, Ecclesiam Dei oppugnari posse, vinci non posse; nam « portae inferi non praevalebunt adversus eam »,[4] ac Divinus eius Conditor Apostolis pollicitus est : « Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi ».[5] Qui igitur in praesentibus rerum angustiis — quae alicubi graviores etiam videntur quam illae, quas supra memoravimus — incerti, labantes ac trepidi sunt, Iesu Christi pro-

[2] Luc, I, 52.

[3] Cic, *De Orat.,* II, 9.

[4] MATTH., XVI, 18.

[5] MATTH., XXVIII, 20.

missionibus innixi, suum roborent animum, huiusque sancti caelitis invictam fortitudinem ceterasque virtutes in se referre studeant.

Hoc peculiari modo postulat ab omnibus Sacer, quem indiximus, Annus, ut christiana illa morum renovatio, quam Nos tantopere exoptamus, feliciter haberi queat; hoc catholica postulat Ecclesia, quae si ceteris insignitur dotibus a Divino Redemptore eidem attributis, at sanctitudinis nitore imprimis fulgeat oportet; hoc denique impetret a Deo hic sanctus Antistes, qui novo hodie splendore e supernis sedibus radiatur. Amen.

LITTERAE DECRETALES

BEATAE IOANNAE DE LESTONNAC, VIDUAE,ORDINIS FILIARUM B. M. V. FUNDATRICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter túrbida, quibus vivimus, tempora, dum impietas ubique fere terrarum aperta fronte debacchari et avernus contra immaculatam Christi Sponsam graviora in dies certamina machinari videtur, non mediocre Nobis solacium affert héroes illos, sive viros sive mulieres, supremis, divino afflante Spiritu, decorare honoribus, qui aliis tetricis tempestatibus vitae potissimum sanctitudinis fulgore atque praegrandi apostolatus fructu Ecclesiam illustrare omni ope studuerunt ; ac periucundum sane est, *agrum Ecclesiae,* ut divi Ambrosii verbis utamur, *fertilem cernere nunc integritatis flore florentem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam coniugii fructibus redundantem* (Lib. de Viduis). Inter héroes istos, quos miserentissimus Deus, ne portae inferi contra Christi angularem lapidem praevalerent, saeculo sexto decimo suscitavit, Loyolaei Sancti Ignatii, Societatis Iesu conditoris, aemula exstitit Ioanna de Lestonnac, Societatis Mariae fundatrix, hodie a Nobis in Sanctorum album adscripta.

Ortum illa habuit Burdigalae in Gallia anno millesimo quingentésimo quinquagesimo sexto a coniugibus, nobili genere clarissimis, Richardo de Lestonnac et Ioanna Dey quem de Montaigne, quatuor ex li-

beris natu maxima. Die ipsius natali gravis inter parentes orta est contentio ; mater enim, calviniana haeresi imbuta, nolebat filiam catholico ritu lustralibus ablui aquis; pater vero, catholicae veritati firmissime inhaerens, omnino abnuit, et, sui tenax propositi, in catholica ecclesia sobolem dilectissimam baptizari iussit. Mirum itaque non est quod Ioanna, regenerationis sacramenti gratia perfusa, sacroque chrismate postea confirmata, blanditias, dolos, invitamenta et conatus omnes, quos infelix mater, materterae quoque opera adiuta, adhibuit, victrix contempserit ; quin unquam filia genetrici debitum honorem dilectionemque remitieret, quin quotidie pro ea ad Deum Patrem luminum férvidas effunderet preces; quin immo grandior facta, conversis partibus, a calvinianis erroribus illam revocare et ad catholicam veritatem reducere daret operam, quae tamen irrita infructuosa successit ob mulieris pertinaciam in deliramentis suis, maximo cum dilectae filiae dolore.

Decem et septem annos nata, dum ob praeclaras ingenii corporisque dotibus magis florebat, a parentibus honestissimas sibi nuptias proponi audiens, respondit obsequenter sibi quidem in votis esse innuptam manere et solitudinem potius et claustralem vitam praeferre ; attamen divinae voluntati, per parentum vocem patefactae, sese subiici libenter. Ita nuptum data est praenobili iuveni Védasto de Montferrant, morum probitate et religionis studio summopere commendato, quocum viginti quatuor annos vitam duxit, optimae coniugis sanctaeque matrisfamilias praeclarum praebens exemplum. Septem e coniugio liberos suscepit, e quibus tres ad caelites advolarunt, duae solemnibus votis sese Deo devoverunt inter Mariae Virginis ab Angelo salutatae moniales ; una nuptui tradita est; postremus nominis opum que paternarum fuit heres.

In coniugali statu virtutibus omnibus excolendis, pietati praecipue operam dabat : virum suum unice dilexit ; liberos, famulos, ceterosque sibi subiectos in catholicae religionis integritate bonisque moribus informare satagebat; aegros invisere, egentibus subvenire; mundanis coetibus, choréis, publicis spectaculis abstinere studebat ; ita denique se gerebat ut quae Dei primum deberet, quae coniugi, quae natis, quae rei familiari omnia diligentissime persolveret. Post immaturam coniugis mortem, quem, uti par erat, diu deflevit, Pauli moniti memor, quo viduas ipse hortatur ut sperent in Deum et instent obsecrationibus et orationibus die ac nocte et irreprehensibiles sint, quidquid domesticis curis supererai temporis, solitudini et pietati impensius instare, saepius conscientiam sacra exomologesi expiare et angelorum pane se reficere, nosocomia, carceres, ut miseris prodesset, ventitare, uberiores in pauperes

eleemosynas effundere, domi constanter se continere, nisi nosocomia vel levandae miserorum calamitates eam evocarent.

Sex annis post coniugis obitum ita peractis, filio, qui, studiorum curriculum emensus, et aetate et sollertia rei familiari gerendae praeesse poterat, Ioannae sororis eius tutelam commendavit, et totum ipsi domus regimen commisit ; illa vero, curis omnibus soluta, vetus suum desiderium vitae austerioris in aliquo sanctimonialium coenobio, uni Deo mancipata, vivendae, explere cupiens, suae conscientiae moderatoris consensu habito, in monialium Ordinis S. Bernardi monasterium, Tolosae tunc fiorens et severae disciplinae fama maxime commendatum, admitti petiit et obtinuit. Cuius consilii filius a matre certior factus, totis viribus ei obsistere conatur ; orat et obsecrat ne se et adulescentem filiam, genitore iam orbatos, matris solatio destituios relinquat. At genetrix, evangelica verba memorans : « *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres* <*aut sorores aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit* » (Matt. XIX, 29), S. Paulae exemplum imitans, quae *((pietatem in filios pietate in Deum superans, nesciebat esse matrem, ut Christi probaret ancillam»* (S. Hieron. in vita S. Paulae, n. 4), animo non flectitur, sed arctissimis carnis et sanguinis nexus obrumpens, a moerentium filiorum amplexu se abripit, solventem navem conscendit, Tolosam adnavigat, in asceterii claustra ingreditur, undecima die iunii mensis, vertente anno millesimo sexcentésimo tertio.

Ibi Ioanna, a S. Bernardo nomine accepto, inter moniales pietatis fervore, perfecta monasticae disciplinae observantia et virtutum omnium exercitio ita excelluit ut antiquioribus etiam exemplum esset, mirandum magis quam imitandum. Sed sex post menses, sive ob insuetum vitae genus, sive potius quod Deus ancillam suam ad maiora destinabat gerenda, gravi acerboque morbo correpta est; quo ingravescente, medici eam indubie morituram iudicarunt, nisi quamprimum claustra relinqueret et ad pristinam vivendi rationem se restitueret. Dei Famula aegro animo hoc nuncium accepit ; sed caelesti visione, uti traditur, recreata, qua ad novum ordinem instituendum divinitus vocata videbatur, medentium consilio adquievit et antistitae suadenti ut domum reverteret docilis obtempérant. Monasterio egressa et ad filios gaudio gestientes reddita, illico morbo se liberam sensit et amissum valetudinis florem recuperavit.

Paulo post, maternae pietatis muniis perfungens, filiam Dynastae <PArpaillant nobili matrimonio collocandam curavit atque ipsamet in sponsi domum deduxit, quam nacta occasionem adulescentulas aliquot nobiles, calviniana contagione infectas, ad catholicam veritatem conver-

tere valuit. In castrum *Landiras* dein reversa, apud filium morata est ; breviter tamen : solitariae namque quietis rursus desiderio illecta, in vicum *La Mothe* secessit, ubi saeculari amicta veste, claustralium virtutum cultui, atque rerum caelestium commentationi, aegrotorum et pauperum levamini pietatisque exercitationibus impensius vacari coepit; puellis praecipue imperitis, ac fidei simul et pudicitiae amittendae periculo obnoxiis, suam Dei Famula sollicitudinem convertebat et, ut earum spirituali prospiceret saluti, quandam quasi scholam virtutis et asylum condere moliebatur, ubi christianam catechesim, religionis officia et illibatam morum disciplinam addiscerent. Magna quidem (verbis utimur fel. rec. Leonis Decimitertii, Decessoris Nostri, in Apostolicis de Famulae Dei Beatificatione Litteris) *eo tempore atque infanda erat pernicies, quam partim calviniana contagio, partim effracnata morum licentia, partim corruptelae invitamenta et mala exempla in iuventutem inferebant, neque ullum tantae dadi inveniri poterat remedium, nisi a recta adolescentiae institutione. Ad mares quod attinet, satis erat eis consultum per gymnasia et ephebea a sacerdotibus Societatis Iesu aperta et recta; afflictior erat conditio puellarum, quibus nihil perfugii, nihil praesto erat praesidii. Divino quodam lumine illustrata comperit Dei Famula probatarum feminarum necesse esse Ordinem institui, qui Loyoleae Familiae imaginem in se referens, ut illa a Iesu, a Maria nomen mutuetur et sub illius posita patrocinio puellarum educationi et disciplinae prospiciat.*

De se vero Ioanna maxime diffidens, prudentique illic ecclesiastico viro carens, cuius consilio uteretur, post biennalem recessum Burdigalam remigravit, ibique cum Societatis Iesu quibusdam Patribus, primum cum fratre suo Francisco, cum Patribus dein Marguestaud et Mesnage, tandem cum Patribus De Borde et Raymond, omnibus doctrina et pietate praestantibus, consiliis initis, Deo fidens ac Deiparae patrocinio, animose tanto operi se accinxit. Socias itaque sibi adscivit, quas incensis verbis infiammabat, quae non modo suarum, sed et aliarum animarum saluti iunctis viribus consulerent et hoc parvo manipulo semina sévit, ex quibus nova erat nascitura religiosa familia. Pater ipse De Borde regulas quasdam composuit, quibus Societatis Iesu constitutiones puellarum congregationi, quoad fieri posset, aptatae forent, et Burdigalensi Antistiti, Francisco Cardinali de Escobleau de Sourdis, totam initi consilii rationem et vim exposuit. Prudentissimus Praesul ad se Ioannam accersitam humanissime excepit, nobile illius propositum valde commendavit ; noluit tamen quidquam illico decernere, sed, episcopali concilio audito, mulieri suadere studuit ut opus aggrederetur quod consiliariis

suis magis placuerat, ut ipsa impenderat operam ad regularem inter moniales Ursulinas disciplinam instaurandam, potius quam ad novam sororum erigendam familiam, quae non secus atque illae ad puellas recte instituendas incumberent. At Dei Famula, quae perspicua habuerat divinae voluntatis indicia, obsequenter quidem, sed strenue argumenta ab Archiepiscopo allata refutavit : incassum tamen, cum Praesul e sua sententia dimoveri noluisset. Domum reversa, precibus et obsecrationibus ad Deum cum sororum coetu enixius insistens, gravibusque viris apud Antistitem suffragatoribus interpositis, tandem aliquando, omnibus difficultatibus superatis, Burdigalensis Archiepiscopus, Instituti formula, constitutionibus et regulis antea adprobatis, die vicesima quinta martii, anno millesimo sexcentésimo sexto, novensilem Filiarum Mariae Ordinem in sua archidioecesi ordinaria potestate constituit.

Paulo post Romam missus est Archiepiscopi actor et nuncius ut Archiepiscopi nomine ab Apostolica Sede nascentis Ordinis adprobatio impetraretur. Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium consilio praehabito, Pontifex Maximus Paulus Quintus, per Apostolicas Litteras, die septima aprilis mensis, anno millesimo sexcentésimo septimo Filiarum Mariae Ordinem, *ad animarum salutem et fidei morumque puritatem servandam et excolendam comparatum,* adprobavit. Triennio post, aliis obortis obstaculis feliciter, Deo adiuvante, remotis, die festo Immaculatae Deiparae Conceptioni sacro, Archiepiscopus Ioannae, Fundatricis et Antistitae, et eius sociarum solemnem professionem in suis manibus excepit.

Firmiter itaque Congregatione constituta, sodalium numerus in dies succrescebat, ita ut extra etiam Burdigalam, pluribus civitatum optimatibus postulantibus, novas constituere domus oportuerit ; brevi annorum spatio piae Filiarum B. Mariae Virginis domus, una cum adnexis scholis pro puellis erudiendis, Biterris, Anicii, Pictavii, Tolosae, Petrocorii, Ageni, Pali aliisque in oppidis erectae sunt, quae, sapientis moderatricis industria directae, egregios tam internarum virtutum, quam publicae utilitatis fructus edebant.

Per duodecim annos ita Dei Famula Institutum gubernavit, ut nihil melius vel desiderabilius sanctimoniales possent ominari. Sed anno millesimo sexcentésimo vicesimo secundo atrox molestiarum tempestas in Dei Famulam malignorum invidia exorta est : iuniores enim sorores partim ex quadam Archiepiscopi offensa, partim forsan novarum rerum cupiditate, Matris regimen fastidientes, coactis comitiis ad Antistitam eligendam, Ioannae potestatem, ut solebant, non prorogarunt, et pro ea infensissimam ipsius inimicam in eius locum suffecerunt. Quae supremum

Instituti regimen adepta, per triennium ita Dei Famulam vexavit, ut nihil possit indignius excogitari, quod illi perpetiendum non dederit. Ioanna omnia patientissimo toleravit animo, immo, fervidis instans precibus, a Deo impetravit ut vecors aemula tandem resipisceret, peccati veniam cum lacrimis posceret, atque simultatem in amorem converteret. Ioanna, magis illi quam sibi gaudens, non veniam tantum, sed et gratiam et amicitiam protulit et singulari eam complexa est caritate.

Tempestate sedata, in qua invicta Dei Famulae constantia praeclare enituit, pacatiora tempora secuta sunt. Itaque eximia prorsus sedulitate puellis instituendis impensius operam dabat, vilissima quaeque officia, interdum molestissima, suscipiens, caritatis, patientiae, humilitatis, eximiae in augustissimum Eucharistiae sacramentum et in Beatissimam Mariam Virginem pietatis praeclara omnibus praebens exempla ; in haereticos, praesertim calviniana infectos lue, ad catholicam unitatem reducendos strenue constanterque adlaborabat ; suique Ordinis, ad maiorem Dei ac Deiparae gloriam, diffusioni totis viribus dabat operam ; sorores, iuniores praecipue, ad evangelicam perfectionem et animarum salutem procurandam hortamentis et suo in primis exemplo concitabat.

Perfecto itaque iam fundationis opere, plus quam triginta monasteriis constitutis, consolidata per canonum sanctionem regulari disciplina, vigente ubique caritatis studio ac puellarum instruendarum cura, Ioanna, senio confecta, morbis fracta, cum mortem sibi impendere praesentiret, nihil sibi indulgens, maiori studio virtutum omnium christianarum perfectionem consequi properabat, precationi et contemplationi assidue vacare, divinum convivium saepius celebrare, gravia, quibus premebatur, incommoda patientissime perferre curabat. Post tot tantosque pro Ecclesiae bono exantlatos labores, ultimo apoplexia lethargica, pridie kalendas februarias, anno Domini millesimo sexcentésimo quadragesimo, icta, motu ac loquela impedita, nomina dumtaxat Iesu, Mariae, Ioseph proferre potuit et extremo Ecclesiae sacramento munita, inter sororum lacrimas, die B. M. V. Purificationi sacro, prout optaverat, placidissime in Domino obdormivit.

Post beatam pretiosamque Dei Ancillae mortem, non defuerunt, uti traditur, signa, quae eam iam caelesti gloria potiri aperte renunciarent : corpus siquidem plane flexile spiritu adhuc informari videbatur, iucundoque flagrabat odore, et vultus, quin senectutis damna praeseferret, caelesti quadam fulgebat pulchritudine, quam pictor, eum coloribus referre conatus, se imparem operi testatus est. Ingens fuit populi concursus ad funus ; tanta enim erat apud omnes sanctimoniae demortuae opinio et gratias obtinendi, ea intercedente, spes. Veneratum corpus Dei

Ancillae in communi primum Monialium domus sepulcro tumulatum, paulo post in medio eiusdem domus odeo repositum, ibique quievit usque ad tristissimum tempus, quo Galliae res universae, decimo octavo exeunte saeculo, miseranda perturbatione convulsae et permixtae erant.

Eo tempore Filiae B. M. V., ut Fundatricis corpus ab impiorum iniuriis tuerentur, in pii viri, Ioannae cognati, domo occulendum curarunt; sed incassum: domus enim viri illius in suspicionem adducti ab iniquorum satellitibus sedulo explorata fuit, et corpus arca lignea inclusum, suis vestibus indutum, repertum fuit et in municipales aedes deductum. Ingens populi multitudo ad cadaver confluere visa est, pietatis ac religiosi obsequii indubia signa edere, sanctum proclamare corpus, vestesque frustatim auferre, idque tamdiu donec urbis praefectus, tantam populi turbam veritus, exuvias in publico viridario noctu condi iussit et prope illas osseam equi compagem inbumari. Anno millesimo octingentesimo vicesimo secundo, monialibus iam iterum congregatis nihil antiquius fuit, ut pretiosa Fundatricis lipsana recuperarent. Inventum corpus rite recognitum, primum in cathedrale templum, dein in novum Filiarum B. M. V. coenobium, Archiepiscopi auctoritate, triumphali populi frequentia, pompa et devotione translatum fuit, in sacello externo monasterii postea reconditum.

Sanctitatis fama, qua dum vixit Ioanna fruebatur, post mortem ob obtentas gratias et miracula quoque, quae, Dei Famula intercedente, a Deo patrata ferebantur, non in Gallia tantum, sed in Hispania quoque, in Italia et in America, magis magisque percrescebat. Qua fama permotus, Archiepiscopus Burdigalensis ordinaria auctoritate super eam processus construendos curavit, quos Romam iuridice discutiendos transmisit. Sacra vero Rituum Congregatio, iuris ordine apprime servato, de Beatificationis Causae introductione die sexta septembris, anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto peregit, omnibusque mature perpensis, decimanona die eiusdem mensis et anni favorabile decretum edidit. De cultu autem nunquam Dei Famulae exhibito, iuxta Urbaniana Decreta, anno millesimo octingentesimo trigesimo septimo actum est et die sexta octobris favorabiliter consultum est. Processus deinde Apostolici in dioecesium Burdigalensis, Carcassonensis, Lemovicensis, Pictaviensis et Ruthenensis Curiis, Remissorialibus Litteris anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio datis, instructi sunt super Dei Famulae Ioannae de Lestonnac vita, gestis, virtutibus, miraculis et fama sanctitatis; de quorum validitate anno millesimo octingentesimo sexagesimo septimo, die quarta decima Februarii a fel. rec. Pio Papa Nono decretum est.

Suetis postea praemissis penes SS. Rituum Congregationem comitiis, die tandem nona martii anno millesimo octingentesimo nonagésimo septimo Decessor Noster fel. rec. Leo Tertius decimus de Famulae Dei heroicitate virtutum solemniter decrevit.

De trinis deinde propositis miraculis, a Deo per Ven. Servae Dei intercessionem patratis, actio instituta est. Qua rite absoluta, mirisque districte expensis ac probatis, idem Praedecessor Noster per Decretum, die vicesima prima ianuarii, iubilari anno millesimo nongentesimo datum, constare edixit de tribus propositis prodigiosis sanationibus, nempe : *instantaneae ac perfectae sanationis Sororis a S. Xaverio, religiosae professae Ordinis Filiarum Mariae Virginis, in saeculo Mariae Aloisiae Farines, a phthisi pulmonari confirmata;* de altero : *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis a S. Michaele, Monialis professae eiusdem Ordinis, in saeculo Zeliae Bayssade, a lethali paraplegia eœ* meningomielite *chronica;* de tertio: *Instantaneae perfectaeque sanationis Sororis Mariae de Pilar, monialis professae Ordinis Capulatorum, a cistomate prolifero adenoidaeo in regione ovarica sinistra.*

Ut autem iuris ordo servaretur, hoc unum deerat discutiendum, an scilicet *tuto* procedi posset ad ipsius Ven. Ioannae beatificationem. De huiusmodi dubio in Congregatione Generali, die trigesima ianuarii, eodem anno, actum est coram praefato Decessore Nostro, qui, favorabili omnium sententia habita, die vicesima quinta subsequentis mensis, decrevit : *Tuto* procedi posse ad Ven. Dei Famulae Ioannae de Lestonnac solemnem Beatificationem. Quae quidem in Petriana Basilica, urbe et orbe plaudentibus, die vicesima tertia, septembris mensis, eodem iubilaei maximi anno, celebrata est.

Quinquennio post, quum novorum miraculorum fama, novensili Beata suffragante, divinitus patratorum, diffusa esset, a b. m. Raphaele Virili, Archiepiscopo Ptolemaidensi in Thebaide, Causae tunc Postulatore, enixae Apostolicae Sedi porrectae sunt preces, ut Causa resumeretur ad Beatae illius canonizationem obtinendam. Quibus precibus benigne annuens s. m. Pius Papa Decimus, sua manu reassumptionem Causae, die vicesima tertia augusti mensis, anno millesimo nongentesimo quinto, signavit.

Duae prae ceteris selectae sunt sanationes, quae praeter naturae vires contigisse ferebantur.

Prima sanatio breviter ita describitur : Soror Maria de Monte Carmelo, Ioannis Gay y Coli filia, ex Ordine Filiarum B. M. V. Monialis, in oppido *Calcila* dioecesis Gerundensis commorans, aprili mense, anno millesimo nongentesimo vicesimo, inoperabili cancro in abdomine at-

tacta inventa fuit : qui morbus a tribus medentibus omnino incurabilis fuit edictus. Atrocibus doloribus cruciabatur infirma, cuius vires novembri mense ineunte praecipitanter diffluebant. Die sexta mensis huius novendiales preces a cuncta religiosa familia ad eius sanationem, Beatae Ioannae intercessione, obtinendam, inceptae sunt. Die undecima, matutinis horis, sacrosancto Christi corpore suscepto, infirma placide obdormivit. E somno expergefacta, viribus plene récuperatis, ceterisque morbi symptomatis remissis, perfecte sanatam se sensit ; e lecto surgit, e cubiculo egreditur, sequenti die communibus cibis vescitur, pristina officia resumit, quasi nunquam aegra fuisset, bonaque exinde valetudine fruita est, uti tres a cura medici testantur, nec non duo periti physici a sacro tribunali Gerundensi adlecti. Praeter naturae vires sanationem contigisse cum medentes tum officiales periti asseverant.

Altera prodigiosa sanatio haec est : Soror Adeles Antonii Palombo filia, ex eodem Instituto, natione itala, sed in loco *Tournemire* Ruthenensis dioecesis commorans, gravissima otite purulenta media fuerat prius affecta, a qua anno millesimo nongentesimo trigesimo nono, decembri mense ineunte, aliquatenus tantum, chirurgici ferri ope, convaluit. Verum sequenti anno reviviscens morbus in labyrinthitem purulentam, quae chronica facta est, adeo vehementer versus est, ut medicorum iudicio nulla sanationis spes affulgeret. Iteratae sectioni noluit infirma subiici, mori potius parata. Die vicesima tertia Aprilis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo primo cuncta Sororum familia, novendiales preces effundere incipit pro obtinenda infirmae sanatione, solius B. Ioannae benigno interventu. Die prima maii de mane morbus acriter saeviebat; circa meridiem infirma, manu Beatae reliquias comprimens, leniter obdormiscit. Tunc, uti sanata deponit, quasi manum caput tangentem sentit, vocemque tam claram audit dicentem : *Surge, sanata es,* ut, plene omnino expergefacta, caput volveret ut inde vox provenisset exquireret ; sed neminem vidit. Plene sanatam Soror Adeles se sentit, nullo praeteriti morbi permanente signo nec postea revirente, uti medentes, peritique physici post unum annum testati sunt. Praeter naturae vires sanationem hanc Deum operatum fuisse non modo tres periti a S. Congregatione Rituum acciti, iudicant, sed et ipsi medentes.

De binis his miris sanationibus Apostolici Processus, de prima in dioecesis Gerundensis, de altera in Ruthenensis curia, constructi sunt; atque, eorum iuridica validitate rite recognita, de iisdem sanationibus in consuetis tribus Congregationibus stricta habita est disceptatio, ac tandem Nos, die decima nona martii, superiore anno, adstantibus Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinale Micara, Episcopo

Veliterno, Causae Ponente seu Relatore, desideratissimi Ianuario Cardinali Granito Pignatelli di Belmonte, suffecto, Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulari Seleuciensi, et dilecto Filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, ediximus : *Constare de instantánea perfectaque sanatione cum Sororis Mariae de Monte Carmelo a cancro in abdomine, tum Sororis Adelis Palombo a gravissima labyrinihite purulenta chronica sinistra.* Huiusmodi Decreto edito, ad nobilem huius Causae exitum, unum tantum apud S. Rituum Congregationem dubium excutiendum deerat, num, scilicet, duobus miraculis rite adprobatis, *tuto* ad supremum honorum fastigium in militanti Ecclesia Beata Ioanna de Lestonnac extolli posset.

Quod dubium in generali coetu apud Nos, die vicesima septima aprilis mensis, praeterito anno, praefatus Pater Cardinalis Ponens seu Relator discutiendum proposuit. Adstantium S. Congregationis Rituum Purpuratorum Patrum, Officialium Praelatorum, Patrum Consultorum votum excepimus, magnaque animi delectatione favorabile concors illud accepimus; attamen Nostram ferre sententiam ad diem vicesimam tertiam proximi maii mensis distulimus. Qua quidem die eumdem S. Congregationis Cardinalem Praefectum et Causae Ponentem, eiusdem Congregationis a Secretis, et Fidei Promotorem generalem ad Nos accivimus, atque Sacro antea celebrato, decrevimus : **TUTO** *procedi posse ad Beatae Ioannae de Lestonnac Canonizationem.*

Ut vero sapientissimus in tanti momenti re a Praedecessoribus Nostris constitutus ordo servaretur, primum venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales die vicesima prima Iunii mensis, superiore anno apud Nos convocavimus in Consistorio *secreto,* in quo praefatus Cardinalis Clemens Micara, Congregationis Sacrorum Rituum Praefectus, sermonem habuit de vita et miraculis Beatae Ioannae de Lestonnac, Viduae, Fundatricis Ordinis Filiarum : Beatae Mariae Virginis, necnon Beatae Vincentiae Gerosa, Virginis, alterius Fundatricis Sororum a caritate in oppido *Lover e* Brixiensis dioecesis ; ac recensuit acta, quae in causa Beatificationis et Canonizationis earumdem Beatarum, S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admittenda ac probanda censuit. Qua relatione expleta, Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivimus et singuli suam Nobis sententiam aperuerunt.

Publicum autem Consistorium quartadecima die p. e. mensis Martii celebravimus, in quo dilecti Filii Aulae Consistorialis Advocati breviter singillatim retulerunt de quinque Beatarum, atque a Nobis postularunt ut Beatis illis Sanctorum imponere diadema dignaremur. Pro Beata Ioanna peroravit Advocatus Philippus Re. Nomine quidem Nostro di-

lectus Filius respondit Antonius Bacci, Brevium ad Principes a Secretis, qui Nos quoque dixit vehementer exoptare Beatas illas supremis decorare honoribus ; at, translaticium Apostolicae Sedis morem religiose servare volentes, non antea Nos inerrantem sententiam Nostram laturos, quam in Consistorio, semipublicum quod nuncupatur, iterum Patres Cardinales atque venerabiles Sacrorum Antistites, quotquot in Urbe adfuturi essent, consilium rogaverimus. Interea vero omnes adstantes adhortari ut interim Spiritus Sancti lumen, multiplicatis precibus, menti Nostrae conciliarent. Mandavimus itaque de Beatarum illarum vita, virtutibus et miraculis, nec non de actis in earum Causis commentarios legitimos singulis Praesulibus illis transmitti, ut ipsi, re plene cognita, suam valerent sententiam edere.

Die itaque secunda Maii mensis proxime elapsi in sueta Palatii Apostolici Vaticani aula hoc Consistorium semipublicum habitum est, in quo Nos, brevi prius sermone adstantes Patres Cardinales et Sacrorum Antistites allocuti, quid de propositis Causis sentirent Nobisque singillatim significare vellent exquisivimus. Exceptis omnium suffragiis, quum laetantes didicerimus universos unanimes sentire, Beatas Caelites, de quibus agebatur, plane dignas existimari quae sanctitatis honoribus decorantur, Nos minime cunctandum diximus ut ad earum Canonizationem deveniremus. Quam in Petriano templo celebrandam pro Beata Ioanna de Lestonnac die quinta decima huius mensis maii praestituimus. Adstantes omnes autem adhortati sumus ne ferventes intermitterent preces, ut in tam gravi muneris Nostri parte Divini Paracleti gratia Nobis non desit, et omnia in maiorem Dei gloriam et in Ecclesiae bonum optime vertant. De quibus omnibus ut acta conficerent Caeremoniarum Praefectus pro Reverendae Camerae Apostolicae Procuratore Fiscali adstantibus Protonotariis Apostolicis de more mandavit.

Cum itaque haec a Nobis praestituta dies illuxit, universi regularis et saecularis cleri Ordines, Romanae Curiae Praesules et Officiales, nec non Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchae et S. R. E. Cardinales, qui in Urbe aderant, in Vaticanam Basilicam magnifico nitente apparatu et innumeris fulgentem Tycnis, plurimis stipatam fidelium millibus, in primis plurimis Ordinis Filiarum B. **M.** V. sodalibus, ex Gallia praesertim et e dissitis etiam Americae domibus, convenerunt. Illis porro pia praeeuntibus supplicatione, Nos etiam solemni pompa in eamdem Basilicam ingressi sumus, universo clero et populo plaudente. Brevi autem ante altare maius effusa prece, ad Cathedram Nostram perreximus ibique sedimus. Mox, praestita prius Nobis, ut ritus postulat, ab adstantibus Cardinalibus obedientia, venerabilis Fratres Noster Cle-

mens Cardinalis Micara, S. Rituum Congregationis Praefectus et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Philippo Re, Consistorialis Aulae Advocato, *instanter, instantius* et *instantissime* a Nobis postulavit ut Beatam Ioannam de Lestonnac sanctitatis honoribus decorare dignaremur.

Nos autem, una cum adstante clero et populo Spiritus Paracliti lumine ferventissime implorato, in cathedra sedentes, supremus catholicae Ecclesiae Magister, hanc Canonizationis formulam sollemniter pronunciavimus : *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam* **IOANNAM DE LESTONNAC** *Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe die secunda Februarii, inter Sanctas non Virgines pia devotione recoli debere. In nomine Paffctris et FiÇfëlii et Spiritus* £B *Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes memorati Cardinalis Micara, per eumdem praefatum Aulae Consistorialis Advocatum Nobis oblatis, hasce Decretales Litteras confici expedirique iussimus, et adstantibus dilectis Filiis Protonotariis Apostolicis ut de hac ipsa Canonizatione publicum ad perpetuam rei memoriam instrumentum construerent mandavimus.

Gratias deinde Omnipotenti Deo, hymnum *Te Deum,* una cum universis adstantibus christifidelibus, concinentes, egimus; atque, novensilis Sanctae patrocinio apud Deum a Nobis primum implorato, breve eius elogium homilia teximus ; qua prolata, apostolicam benedictionem et plenariam admissorum indulgentiam peramanter in Domino impertivimus. Mox ad altare accessimus solemne pontificale sacrum celebraturi.

Novensilis ita huius Sanctae Caelitis consecrata memoria, Eam, quam provida Dei benignitas ea aetate, qua vitiorum errorumque lues grassabatur maxime, infirmiori sexui servando a calvinianae impietatis lue veneno excitavit, Nos ante universorum christifidelium oculos in eximiae **Tirtutis** exemplum proponimus et nostrorum temporum caligini excutiendae apud Deum mediatricem invocamus. Possunt etenim (homiliae Nostrae verba iterare volumus) in eius iuvenili aetate venerabundae cernere fulgidissimum pudicitiae candorem; possunt uxores matresque fa-


milias in eius coniugio admirabundae suspicere fidelitatem, modestiam, integritatem eiusque in educanda prole studium impensissimum ; qui vero instituendae iuventuti, vel curandis infirmis dant operam, discant ab ea rectam illam atque indefatigabilem agendi rationem, qua utrique rei, divina afflante iuvanteque gratia, optime respondere queant. Ac denique contendant utinam omnes — quod vehementer optamus ac supplici poscimus prece — ad eius in se referendam ac cotidie magis excitandam flagrantissimum caritatem, quae omnia vincit, quae exsuperat, et quae una potest tot acerbis malis, quibus hominum conflictatur societas, verax atque validum praebere remedium. Amen.

Omnibus itaque quae inspicienda erant rite perpensis^ certa scientia, universa et singula, quae supra memoravimus, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae denunciamus.

Volumus autem ut harum Litterarum Decretalium transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae hisce praesentibus ostensis tribueretur. Si quis vero has Litteras definitionis, decreti, mandati, statuti et voluntatis Nostrae temerario ausu infringere vel eis contraire seu attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die quinta decima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.



£g Ego **FRANCISCUS** Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis **MARCHETTI SELVAGGIANI**, Sacri Collegii Decanus.

£8 Ego **EUGENIUS** Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis **TISSERANT.**

£B Ego **CLEMENS** Episcopus Veliternus Cardinalis **MICARA.**
££i Ego **IOSEPH** Episcopus Albanensis Cardinalis **PIZZARDO.**
£g Ego **BENEDICTUS** Episcopus Praenestinus Cardinalis **ALOISI-MASELLA.**
££i Ego **ADEODATUS IOANNES** Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis **PIAZZA.**
Ego **ALEXANDER** tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis **VERDE.**
Ego **ALOISIUS** tituli S. Silvestris in Capite Presbyter Cardinalis **LAVITRANO.**
Ego **ACHIILLES** titulo S. Xixti Presbyter Cardinalis **LIENART.**
Ego **PETRUS** tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis **FUMASONI BIONDI.**
Ego **FRIDERICUS**, titulo S. Mariae de Victoria, Presbyter Cardinalis **TEDESCHINI.**
Ego **DOMINICUS** titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis **IORIO.**
Ego **MAXIMUS** tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis **MASSIMI.**
Ego **NICOLAUS** S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis **CANALI**, Paenitentiarius Maior.
Ego **IOANNES** S. Georgii in Velo Aureo Cardinalis Diaconus **MERCATI.**
Ego **IOSEPH** S. Eustacbii Diaconus Cardinalis **BRUNO.**

Pro **S. R. E.** Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
tf. ***Collegii Decanus.***

C. Card. MICARA
S. ***Rituum Congr. Praefectus***

t Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleucien., *Dec. Proton. Ap.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati,* C me. ***Apost. Adiutor a studiis.***

EXPEDITA

die vicesima Iunii mensis, anno duodecimo
Alfridus Marini, ***Plumbator.***

Aloisius Trussardi, ***scripsit.***

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 97. - Aloisius Trussardi, ***a tabulario.***

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

VICTORIENSIS - SANTANDERIENSIS CALAGURITANAE ET CALCEATENSIS

(FLAVIOBRIGENSI ET S. SEBASTIANI IN HISPANIA)

A VICTORIENSI ET SANTANDERIENSI DIOECESIBUS PARTES DETRAHUNTUR ET NOVA DIOECESIS FLAVIOBRIGENSIS ERIGITUR. AB EIUSDEM VICTORIENSIS DIOECESIS TERRITORIO ALTERA PARS SEIUNGITUR ET NOVA ERIGITUR S. SEBASTIANI IN HISPANIA DIOECESIS; A DIOECESI PORRO CALAGURITANA ET CALCEATENSI PARS SEPARATUR ET DIOECESI VICTORIENSI ADSCRIBITUR. CAPITULA PROINDE CATHEDRALIA IN UTRAQUE NOVA DIOECESI ERIGUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo commodius aptiusque dioecesium in catholico orbe regimini et administrationi prospici possit, procul dubio maxime prodest illas, peramplo aliquando territorio et magna christifidelium frequentia redundantes, dismembrare vel aliter circumscribere, novasque dioeceses constituere, aliorum vigilantium Pastorum curis concredendas.

Quo moti consilio Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consulto, habito venerabilis Fratris Caietani Cicognani, Archiepiscopi titularis Aneyrani et in Hispania Nuntii Apostolici, favorabili voto, enixis bo. me. Carmeli Ballester y Nieto, Episcopi Victoriensis, Ioseph Eguino Trecu, Episcopi Santanderiensis, et Fidelis Garcia Martínez, Episcopi Calaguritani et Calceatensis, precibus annuendum censuimus, quibus ab Apostolica Sede expostulatum est ut, dismembratis ipsorum dioecesium territoriis, binae novae dioeceses erigantur.

Nos igitur, salutari fidelium in Vasconum regionibus commorantium utilitati consulere eosque maioribus instruere praesidiis cupientes, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, harum Litterarum vi, de plenitudine apostolicae Nostrae potestatis, a territorio Victòriensis dioecesis provinciam civilem *Vizcaya* et a Santanderiensis

dioecesis territorio terram *Villaverde de Trucios* distrahimus ; quibus sic distractis territoriis, dioecesim erigimus, *Flaviobrigensem* appellandam.

Distrahimus insuper ab eiusdem Victoriensis dioecesis territorio civilem provinciam *Guipúzcoa,* qua dioecesim, *S. Sebastiani in Hispania* nuncupandam, constituimus. A dioecesi porro Oalaguritana et Oalceatensi partem vulgo *Contado de Treviño* seiungimus, atque Victoriensi dioecesi adscribimus. Quae proinde dioecesis Victoriensis intra provinciae civilis *Alava* limites hinc continebitur, addito memorato territorio *Contado de Treviño;* eius vero paroeciae ad quadrigentas posthac coarctantur; eiusdemque dioecesis Patronum S. Prudentium de Armentia constituimus.

Nova autem dioecesis Flaviobrigensis in finibus erit provinciae civilis *Vizcaya,* addito territorio *Villaverde de Trucios,* et ducentis et undecim constabit paroeciis; eique Patronum assignamus S. Ignatium de Loyola. Illius vero sedem in urbe *Flaviobriga* statuimus, atque templum ibi exstans, Deo in honorem Apostoli S. Iacobi Maioris dicatum, ad ecclesiae cathedralis gradum et dignitatem evehimus.

Nova tandem S. Sebastiani in Hispania dioecesis totum amplectetur civilis provinciae *Guipúzcoa* territorium, centum quinquaginta paroecias comprehendens; atque S. Ignatio de Loyola Patrono illam donamus. Huius dioecesis sedem in urbe *Sancto Sebastiano* figimus; ecclesiam vero *Iesu Pastori Bono* dicatam ibidem constructam ad cathedralis ecclesiae fastigium elevamus.

Memoratis insuper cathedralibus Ecclesiis ita erectis earumque pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, insignia, favores et privilegia, quibus ceterae in orbe cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi pollent, una cum omnibus adnexis oneribus et obligationibus. Decernimus porro ut sicut Victoriensis dioecesis, ita novae dioeceses Flaviobrigensis ac S. Sebastiani in Hispania suffraganeae sint metropolitanae Ecclesiae Burgensi, earumque pro tempore Episcopi metropolitico Archiepiscopi Burgensis iuri subiiciantur.

Quod autem ad harum dioecesium regimen et administrationem ad dioecesani Seminarii erectionem, ad Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum fideliumque iura et onera spectare dignoscitur, quae sacri canones praescribunt rite servari iubemus.

Volumus quoque ut omnia documenta et acta, novas respicientia dioeceses earumque clericos et fideles, cum primum fas erit, a Curiis

Vietoriensi et Santanderiensi ad Flaviobrigensem et S. Sebastiani in Hispania quasque Curias in propriis archivis asservanda, transmittantur. Item a Curia Calaguritana et Calceatensi ad Victoriensem Curiam tradantur documenta et acta, quae *Contado de Treviño* respiciunt.

Utriusque novae dioecesis mensas episcopales, praeter Curiae emolumenta, oblationes et dotem a civili Gubernio assignandam, constituet etiam rata pars bonorum, quae hucusque ad episcopalem mensam Victoriensem pertinuerant, quaeque aequitative inter dioeceses partientur, assignatis tamen Vietoriensi dioecesi omnibus bonis immobilibus in provincia *Alava* exstantibus, nec non pecuniae summa in aerario seposita. Cetera bona hac quae sequitur ratione distribuentur : Fundationes, seu *Pium acervum* quod vocatur, dioecesi illi cedantur, in cuius personae moralis vel entis favorem constitutae surit; item annuae pensiones, studiorum causa tribuendae, tradantur Seminario in cuius favorem erogatae sunt ; vel, si in certi iuvenis aut in iuvenis certae terrae statutae sint favorem, tradantur Seminario dioecesis, cuius iuvenis incola sit, vel dioecesis ad quam pertineat terra. Fundationes et annuae pensiones studiorum causa, abque ulla determinatione constitutae, inter dioeceses aequitative dividentur, prae oculis habitis maioribus dioecesis Victoriensis necessitatibus. Bona tandem liberae dispositionis aequitative item, seu ex proportione, inter dioeceses partiantur, salva sempre offerentium voluntate.

Ad clerum autem quod peculiariter attinet, mandamus ut unusquisque sacerdos illi dioecesi incardinatus sit, in cuius territorio, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, beneficium aut ecclesiasticum officium legitime obtineat ; indulgemus insuper ut quisquis sacerdos, ipsius rogatu, adscribi possit dioecesi illi, in cuius territorio quocumque onere vel officio detentus sit.

Iisdem autem praesentibus Litteris eademque suprema auctoritate Nostra in utraque cathedrali ecclesia, uti supra constituta, canonicorum Capitulum erigimus et constituimus, cum omnibus iuribus et praerogativis, oneribus et obligationibus, quibus alia in natione Hispanica Capitula Cathedralia iure communi reguntur et ornantur. Utrumque porro Capitulum, Flaviobrigense scilicet et S. Sebastiani in Hispania, quinque constabit dignitatibus, id est : Decano, Archipresbytero, Archidiacono, Cantore et Magistro Scholae, quatuor canonicis de *officio,* quorum unum ad theologi; alterum ad paenitentiarii munus, ad iuris normam, deputentur, et septem canonicatibus simplicibus; quibus addi possunt duodecim mansionarii. Dignitatum collatio Apostolicae Sedi reservatur;

nominatio vero canonicorum ad Episcopum spectabit, servatis de iure servandis et reservationibus manentibus, de quibus in canone 1-135 Codicis Iuris Canonici. Utriusque Capituli Canonicorum vestis choralis eadem erit, quae a capitularibus cathedralis Victoriensis adhibetur. In ceteris omnibus iuris praescripta adamussim serventur. Canonicales autem praebendae dote constituentur a civili Gubernio adsignata.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta in exsecutionem mandanda quem antea memoravimus Nuntium Apostolicum in Hispania, sive eum qui in exsecutionis actu Nuntiaturae praesit, delegamus eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad Sacram Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptus etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die secunda Novembris mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

Fr. A. T. Card. PIAZZA
S. G. Consistorialis a Secretis

Artburus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 10. - Al. Trussardi.

II

LIBERIENSIS
(CAPITIS PALMENSIS)

E VICARIATU APOSTOLICO LIBERIEN SI PARS ORIENTALIS SEIUNGATUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR PRAEFECTURAM APOSTOLICAM, CAPITIS PALMENSIS APPELLANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ut fidei propagandae melius faciliusque in regionibus, nondum evangelica luce plene collustratis, consuli possit, Apostolica Sedes ea praestare satagit, quae necessaria vel utiliora ad finem illum assequendum videantur. Hinc Missionum territoria nimis ampla dividere et novas erigere Missiones sedulo curat studio, aliorum concredendas vigilantium Pastorum regimini. Quo moti consilio, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales S. Congregationi de Propaganda Fide praepositi novam erigere censuerunt Praefecturam Apostolicam in amplissimo Liberiensis Reipublicae territorio. Quare, omnibus mature perpensis àc certa scientia, illi Purpurati Patres, facultatibus utentes sibi a Nobis peculiariter concessis per totum vertentem Iubilarem Annum, Vicariatum Apostolicum Liberiensem, Societati pro Missionibus ad Afros concreditum, atque totum complectentem memoratae Reipublicae territorium, bipartire, et eiusdem partem orientalem, a reliqua Vicariatus

parte, per flumen, cui nomen *Gestos* seu *Neghen*, distinctam, seiungere et in Praefecturam Apostolicam, *Gapitis Palmensis* nomine appellandam, erigere et constituere decreverunt, eamque dilectis Filiis praefatae Societatis pro Missionibus ad Afros, illic quinquaginta fere iam annos impense in catholico nomine provehendo adlaborantibus, concredere, ad Apostolicae tamen Sedis beneplacitum, statuerunt. Nos vero, hanc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam excipientes ac ratam habentes, harum Litterarum vi ac tenore, eam suprema auctoritate Nostra confirmamus et roboramus, ac novam illam Praefecturam Apostolicam Capitis Palmensis, uti supra erectam et constitutam declaramus. Huic igitur novae Praefecturae eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ostensis haberetur. Nemini vero liceat hanc paginam dismembrationis, erectionis, commissionis, confirmationis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire. Si quis autem ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die secunda Februairii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ludovicus Kaas, *Pro ton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco **£ B** Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXVIII, n. 98. - Al. Trussardi.

III

DE VICTORIA E ALLS

(LIVINGSTONENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE VICTORIA FALLS IN VICARIATUM APOSTOLICUM EVEHITUR, LIVINGSTONENSEM NUNCUPANDUM.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si qua enascens inter infideles gentes Ecclesia magni momenti incrementum susceperit, eam Apostolica Sedes ad maioris dignitatis gradum evehere suescit. Cum itaque in Praefectura Apostolica de *Victoria Falls,* in Rhodesia Septentrionali Africae Orientalis Britannicae ditionis, per Apostolicas sub plumbo Litteras *Quo in Rhodesia àie* vigesima quinta Maii mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto a fel. rec. Pio Papa Undecimo erecta et sodalium Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum evangeliis concredita curis, haud mediocrem catholica res profectum comparaverit, sane congruum visum est venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus S. Congregationi de Propaganda Fide praepositis, habito venerabilis Fratris David Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia, in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegati Apostolici, favorabili voto, Praefecturam illam in Vicariatum Apostolicum erigere. Quapropter, in plenariis comitiis die sexta huius mensis habitis, praefati Purpurati Patres, facultatibus utentes, sibi a Nobis peculiariter per totum hunc iubilarem annum concessis, Praefecturam Apostolicam de *Victoria Falls* ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem provexerunt, cui nomen erit *Livingstonensis,* illumque iisdem praefatis Evangelii praecanibus, qui illic plurimos iam annos tam fructuose adlaborant, ad Apostolicae tamen Sedis beneplacitum, commissum decreverunt.

Nos vero hanc Sacrae Congregationis sententiam adprobantes ac ratam habentes, suprema auctoritate Nostra confirmamus et ideo Vicariatum Apostolicum Livingstonensem ita erectum esse et constitutum harum Litterarum vi declaramus ac decernimus.

Novo itaque huic Vicariatui Apostolico eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure com-

muni fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti, confirmationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei. et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo die decima Martii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
B. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. *C. de Propaganda Fide Praefectus*

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 28. - Al. Trussardi.

IV

S. GEORGII

PRAEFECTURA APOSTOLICA S. GEORGII IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si evangélicos fructus quaelibet Praefectura Apostolica uberes, per sedulas Missionariorum curas, Deo auctore, perceperit, solet Apostolica Sedes ad maioris dignitatis gradum eam extollere.

Quum itaque Praefectura Apostolica S. Georgii, in Columbiana Republica, apostolicis Instituti Hispanici a S. Francisco Xaverio pro Missionibus ad exteras gentes sodalium curis concredita, postremis praesertim his temporibus, non mediocre in catholica re incrementum susce-

perit, venerabilibus Fratribus Nostris Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando praepositis, attento favorabili voto venerabilis Fratris Ioseph Beltrami, Archiepiscopi titularis Damasceni et Nuntii Apostolici in Columbia, in plenariis comitiis, die sexta proxime elapsa habitis, omnibus mature perpensis, peropportunum visum est Praefecturam illam in Vicariatum Apostolicum evehendam esse.

Quapropter vigore specialium facultatum, sibi a Nobis per totum decurrentem iubilarem annum concessarum, eadem Congregatio hac ipsa die Praefecturam Apostolicam S. Georgii, eodem nomine iisdemque finibus servatis, in Vicariatum Apostolicum erexit. Nos vero hanc Sacrae Congregationis sententiam adprobantes ac ratam habentes, suprema apostolica Nostra auctoritate confirmamus ac roboramus, et ideo Apostolicum S. Georgii Vicariatum ita erectum esse et constitutum harum Litterarum vi declaramus.

Novo itaque huic Vicariatui Apostolico eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores, potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici et eorum Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur.

Quae omnia uti supra disposita et constituta rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel ofiicio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die decima Martii mensis, Pontificatus Nostri anno undecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. *Collegii Decanus*

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. *C. de Propaganda Fide Praefectus*

Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 7. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ECCLESIA PAROECIALIS DEO IN HONOREM ((NOSTRAE DOMINAE)) DICATA, IN CIVITATE ((GRAY)) ARCHIDIOECESIS BISUNTINAE POSITA, PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Insigne pietatis, historiae artisque monumentum Ecclesiam paroecialem, Deo in honorem « Nostrae Dominae » civitatis vulgo « Gray » dicatam atque intra Bisuntinae Archidioeceseos fines in Gallia positam, merito habendam esse et per saecula jugiter constanterque habitam, Nobis ample testatus est Venerabilis Frater Mauritius Dubourg, Bisuntinus Archiepiscopus. Vixdum etenim saeculo **XV** condita, nondum vero perfecta, Ecclesia ipsa tam civium ac peregrinorum frequens evasit, ut, Summis Pontificibus adiuvantibus suadentibusque, fidelium donis ac sumptibus mirifice locupletata fuerit, nec non, ipsa saepe incendiis vastata et belli causa fere diruta, pulchrior e ruinis refecta atque in melius fuerit restituta. Constans certaque floret traditio, nullis tamen indiciis ob paroecialis Tabularli incendium exstantibus, memoratam Ecclesiam consecratam fuisse. Quae quidem, octo Cappellis pergrandique Ara maxima uno ex lapide constante affabre ornata, sacris ritibus renidet ac fulget, fidelesque e finitimis quoque regionibus allicit reficitque suaviter. Duo praecipue sollemnia peregrinantium turmas quotannis ad Templum hoc magis trahunt : festum nempe Sancti Petri Fourier, qui in oppido ipso pie e vita discessit, cujusque Cor, in pretiosissima lipsanotheca asservatum, cives fideliter custodiunt pienterque colunt ; festum insuper « Nostrae Dominae » civitatis « Gray », cujus prodigiosum Simulacrum cives ipsi atque peregrini summa pietate veneran tur, praesertim ex quo auctoritate ac nomine fel. rec. Decessoris Nostri Pii Pp. X, anno **MCMIX**, corona aurea redimitum fuit. Nonnullae florent in Ecclesia ipsa piae Consociationes, quae, dum cultus necessitatibus prospiciunt, aestuantem quoque in Deum ac Beatam Virginem Mariam pietatem ostendunt, ita ut miseranda ob novissimum teterrimumque bellum damna, tum in sacram Aedem tum in supellectilem illata, brevi temporis spatio, Parocho naviter praeeunte, fuerint reparata. Quibus omnibus mature perpensis, Ordinarius idem, quem supra memoravimus, enixas hodierni Archipresbyteri et Cooperatorum universi-

que populi civitatis ((Gray » preces perlibenter excipiens, instantia Nobis vota deprompsit ut memorata Ecclesia titulo, dignitate ac privilegiis Basilicae Minoris a Nobis benigne decoretur. Nos porro, ad magis magisque fovendam erga Deum ac Deiparam Virginem Mariam pietatem, nec non ad augendum divini cultus splendorem, eiusdem Praesulis votis precibusque Cleri devotique civitatis .« Gray » populi annuendum libenti censuimus animo. Quam ob rem, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Veliterno Episcopo, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam paroecialem, Deo in honorem « Nostrae Dominae » dicatam et in civitate « Gray » Archidioeceseos Bisuntinae positam, ad dignatatem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis et honoribus eidem titulo rite competentibus. Contrariis quibusbibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ;sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XVT** mensis Iulii, anno **MCMXXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. **BAPT. MONTINI**
Sîibsl. Secr. St.

II

CATHEDRALIS ECCLESIA NICENSIS DIOECESIS NOVO B. MARIAE VIRGINIS IN CAELUM ASSUMPTAE ET SANCTAE REPARATAE VIRGINIS ET MARTYRIS CANONICO TITULO ATQUE BASILICAE MINORIS PRIVILEGIIS ORNATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae, feliciter a Graecis auspicata <(Victrix », optima fuit antea in Gallia Narbonensi Romanorum colonia ac dein italica munita civitas, Nicensis nempe urbs, tertio iam

inde a saeculo post Christum natum Evangelii praeconium suscepit,, ditissima naturae dona divinae cumulans fructibus gratiae. Mcensium enim Fides, Martyris ac primi Episcopi Sancti Bassi roborata sanguine, novos mores novumque humanioris vitae cultum providenter invexit, praecipuum eorum pietatis artisque ex se exprimens monumentum, pristinam scilicet quarti saeculi Cathedralem, Beatae Deiparae Virgini caelo receptae, vulgo « de Platea » nuncupatae, pie dicatam. Hac vero circumstantium munition um bellique causa diruta, Ecclesia Sanctae Reparatae ad Cathedralis dignitatem evecta fuit et etiam nunc exstat. Temporis tamen decursu fere ex novo refecta et, decimo septimo vertente saeculo, adeo fuit artis operibus ditata, ut, architectura Patriarchali Beati Petri Apostoli Basilicae similis, etsi minor, magnitudine non minus quam pulchritudine prae ceteris emineat. Nec sacra illi defuit consecratio, quae per Henricum Pro vana, tunc Episcopum Nicensem,. die **III** mensis Maii anno **MDCLXXXXIX**, sollemniter facta est. Cuius felicis faustique eventus bis centesimi et quinquagesimi anniversarii diei opportunitatem nactus, Venerabilis Frater Paulus Rémond, Nicensis hodiernus Episcopus, nomine proprio nec non Ecclesiae Cathedralis Canonicorum totiusque Cleri universique populi, enixas Nobis exhibuit preces, ut, pristino Sanctae Mariae in Caelum Assumptae titulo addito, Nicense Templum Cathedrale dignitate Basilicae Minoris benigne decorare dignaremur. Nos autem, quo magis Deiparae Virgini, cui hoc ipso anno « Mariali » Praesul idem universam dioecesim pie vovit, honor cultusque apud christifideles augeantur atque constans inter vetustam novamque Ecclesiam Cathedralem traditio confirmetur, huiusmodi votis annuendum perlibenter censuimus. Quapropter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, novum ((Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptae et Sanctae Reparatae Virginis et Martyris » canonicum titulum Nicensi Ecclesiae Cathedrali tribuimus eamdemque ad dignitatem *Basilicae Minoris* cum omnibus iuribus ac privilegiis rite competentibus evehimus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos pertinent, seu pertinere poterunt, nunc et in posterum,, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irri-

tumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXX** mensis Maii, anno **MCMXXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

III

AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR SANCTUARIUM B. MARIAE VIRGINIS ((DE LA COUTURE)) IN OPPIDO VULGO ((BERNAY)) INTRA FINES EBROICENSIS DIOECESIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Tempia Dei vetustis inclyta memoriis et fidelium religione celebria de more Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum, singularibus titulis privilegiisque decorare, pro re ac tempore, satagimus. Horum in numerum satis constat iure meritoque esse accensendam sacram aedem, quae, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicata atque vulgo « Notre Dame de la Couture » nuncupata, in oppido ((Bernay » intra Ebroicensis dioecesis fines, exstat. Quae enim Ecclesia, xiv saeculo condita, in eadem dioecesi et in finitimis Galliae regionibus celebris evadit, tum molis amplitudine et artis operum excellentia, tum sacrorum sollemnium splendore, quibus Rector et cooperatores sedulo naviterque praesunt, tum praesertim fidelium concursu, qui, peregrinantium more, eiusdem Dei Matris maternam impetraturi tutelam, turmatim huc accedunt. Quam ob rem Venerabilis Frater Alfonsus Paulus Desideratus Gaudron, Ebroicensis Episcopus, huius anni « Marialis » in honorem Beatae Mariae Virginis et ad Annum Iubilaei Maximi praeparandum, celebrati propitiam occasionem nactus, a Nobis enixe efflagitavit ut memoratam Ecclesiam titulo ac privilegiis Basilicae Minoris benigne decorare dignaremur. Nos autem, quo magis erga Deiparam Virginem fidelium laudatae dioeceseos pietas augeatur, huiusmodi vota excipienda perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deli-

beratione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctuarium, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicatum et « Notre Dame de la Couture » vulgo appellatum, in oppido « Bernay)) Ebroicensis dioecesis exstans, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus iuribus ac privilegiis huic titulo rite competentibus simul adiectis. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die v mensis Augusti, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

IV

AD TITULUM ET DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR ECCLESIA CATHEDRALIS MOLINENSIS IN GALLIA, DEO IN HONOREM B. MARIAE VIRGINIS ((AB ANGELIS)) DICATA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Effatum illud, « fluminis impetus leatificat civitatem Dei», quod in sacro eloquio Caelesti Hierusalem proprie recteque tribuitur, ad illam quoque Molinensem civitatem, in Gallia, per accommodationem liceat referre, quippe quae et aquis multis multisque abundet molendinis, et Fide ac pietate erga Deum eiusque Matrem, prout Nobis innotuit, emineat ac fulgeat. Exstat enim in memorata urbe, iam inde a saeculo x, vetustum Beatae Mariae Virginis simulacrum, cui ob fuscum colorem titulus « Virgo Nigra » inditus est, quodque ab antiquissima aetate in parvo sacello pie asservabatur. Labentibus autem annis fideliumque ac peregrinorum succrescente turba, amplius ac pulchrius ibidem exstructum est Templum, a Romanis Pontificibus nec non a Galliae Regibus ac Borbonicis Ducibus saepenumero

privilegiis cumulatum ; quin immo tanta fuit per saecula, et etiam nunc est, Molinensium erga « Virginem Nigram » pietas, ut, antiquis ob bella vel incendia dirutis Templis, nova eademquem decora magis surgeret Ecclesia. Optatissima denique civili ac religiosa in Gallia inita pace rebusque cum Apostolica Sede feliciter compositis, cum Decessor Noster, fel, rec, Pius PP. VII Molinensem erexisset dioecesim, Ecclesia Deo in honorem B. Mariae Virginis « ab Angelis » dicata, in qua memoratum Simulacrum Mariale, inter tot ruinas mire exstans incolume, asservatur, ad dignitatem Ecclesiae Cathedralis fuit evecta, quae postea, primo exacto saeculo, sollemniter consecrata fuit. Quibus omnibus mature perpensis, Venerabilis Frater Georgius Jacquin, Episcopus Molinensis, nomine proprio, nec non Vicarii Generalis atque amplissimi eiusdem Ecclesiae Cathedralis Canonicorum Collegii, utriusque Cleri universique populi, enixas Nobis exhibuit preces ut memoratum Templum Cathedrale titulo ac dignitate Basilicae Minoris benigne honestare dignaremur. Nos porro, ad fovendam Molinarum civitatis fidelium Marialem pietatem eandemque congruenti remunerandam praemio, huiusmodi precibus annuendum libenti censuimus animo. Qua propter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Molinensem, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis « ab Angelis » dicatam, ad dignitatem ac titulum *Basilicae Minoris* evehimus, cum omnibus iuribus ac privilegiis rite competentibus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xxvn mensis Octobris, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

V

PRIORATUS CONVENTUALIS EGMUNDENSIS, INTRA FINES HARLEMENSIS DIOECESIS, IN ABBATIAM « SUI IURIS » ERIGITUR, CONGREGATIONI GALLICAE ORDINIS S. BENEDICTI UNITAM.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Monasticae vitae laudes dicentibus nihil Nobis potius est quam ut asceteria, virtutum atque doctrinae sedes constitutas, provehamus omnique allaboremus ope quo maiores ex illis eliciamus fructus in commodum Ecclesiae atque animarum. Iucundus ergo ad Nos latus est nuntius pervetus coenobium Egmundense Ordinis Sancti Benedicti, in Batavorum finibus, ante pauca lustra denuo conditum, quasi surculum de antiquo caudice exeuntem, laeta sumpsisse incrementa vel in tanta iniquitate temporum rerumque conversione. Ut enim vetustatis loquuntur annales atque monumenta eadem haec Abbatia anno circiter **DCCCCL** a Theodor ico, Comite Hollandiae secundo, qua erat pietate ac munificentia, est excitata, qui ibi et Basilicam, Sancto Adalberto, Confessori, eo in loco tumulato, sacram, exstruxit. Quod quidem monasterium a Comite ipso eiusque successoribus admodum est locupletatum et, praecipue ob cultum Sancti Adalberti, multorum prodigiorum auctoris inclyti, clarum factum, atque ob populi deprecabundi accessum perfrequens in tota regione. Quin, nomen consecutum est tam amplum, ut ab Innocentio II, fel. rec, Decessore Nostro, anno **MCXXXIX** in dominium receptum sit ac tutelam Sanctae Sedis et exemptionis privilegio donatum. Ea ipsa tempestate Walterus Abbas floruit, qui coenobium satius stabilivit, Templum, claustrum, officinas aedificavit, excoluit, instruxit, sodalesque optimis conformavit praeceptis atque numero adauxit. Postquam autem saeculo xv monasterium, nonnihil collapsum ac multa passum detrimenta, in Congregationem Bursfeldensem est ascriptum, iterum feliciter vigescens, propter religiosam institutionem doctrinamque atque artium studia in lucem famamque est provectum et ob fidem et constantiam, qua turbulentissima illa novatorum aetate Petri Sedi haerebat, nec non propter diligentiam atque navitatem, qua continentem regionem ab haereseos veneno servabat immunem, summe commendatum. Cum vero Batavia saeculo xvi teterrimo arderet bello, monachi Egmundenses e coenobio sunt deturbati, quod impiorum rabie disiectum est et eversum. Saeculo autem vicesimo ineunte, Ordinis Sancti Benedicti Sodales, e Gallia extorres, in Hollandiam contigerunt, ubi de agro Egmundensi redipiscendo agebant. Re autem non

explicata, in loco qui vulgo « Oosterhout » audit, intra fines Bredanae dioeceseos, monasterium exstruxerunt, e quo, propter maiorem numerum religiosorum virorum, qui ibi fuerant cooptati, quidam demigrantes, in loco ipsius antiquae Abbatiae Egmundensis novum coenobium erexerunt, quod anno **MCMXLVII** ab hac Sede Apostolica Prioratus Conventualis «st renuntiatum. Instante vero celebratione memoriae decies saecularis conditi monasterii Egmundensis, dilectus filius Paulus Andriessen, hodiernus Prior Conventualis, probante Capitulo Generali Congregationis Gallicae Ordinis Sancti Benedicti, enixas ad Nos admovit preces ut memoratum coenobium in pristinam dignitatem abbatialem restituer emus. Nos autem, vetustas laudes huiusce domus recolentes et in tantae faustitatis partem gratulabundo animo volentes venire, haec vota, Venerabilis Fratris Joannis Petri Huibers, Episcopi Harlemensis, commendationis ofiicio suffulta, libenter et ultro decrevimus explere. Quapropter, omnibus rei momentis mature perpensis, Apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Prioratum Conventualem Egmundensem, intra fines Harlemensis dioeceseos positum, in Abbatiam sui iuris erigimus, constituimus, eamque, Congregationi Gallicae Ordinis Sancti Benedicti unitam, omnium iurium et privilegiorum Abbatiis eiusdem Congregationis concessorum participem facimus. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; memorataeque, sic per Nos erectae, Abbatiae illiusque Abbatibus et Monachis, praesentibus ac futuris, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xiv mensis Februarii, anno **MCML**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae Negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regem
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULA

AD EMUM P. D. FRIDERICUM TIT. S. MARIAE A VICTORIA S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM TEDESCHINI, SODALITATIS A S. HIERONYMO PATRONO : DE EVANGELII EXEMPLARI EIUSDEM SODALITATIS CURA DENUO TYPIS EDITO.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Diu exspectata adstat tandem Nobis occasio, ut palam profiteamur magna apud Nos opinione et existimatione florere Sodalitatem a S. Hieronymo, cuius sortibus incrementisque tu patronus advigilas. Mox namque fiet, ut vestris curis denuo Evangelii exemplaria typis edantur, in populum proferenda quam latissime. Merita probe laude prosequimur Sodalicium vestrum, quod numquam relaxata alacritate perutili incepto operam dat. Quid sane salutarius, quid ad catholicam fidem et vitam attinentius quam sacratissimi Libri usum notitiamque diffundere, ubi Verbi verba f actaque enarrantur? Inest in illis non solum consummatae sapientiae veritas, sed etiam ad reficiendus mores accommodatissima medicina et in ferendis mutabilia aevi casibus suave solacium. Hoc autem nostra praesertim poscit et flagitat aetas, ut ea, absinthiata odiis, curva ad terram habendi et fruendi cupiditate contaminata, recens a cladibus, minis gravida, sanetur. Incumbite igitur ut, ardentiore vestro studio caelestis doctrinae Codex omni in domo teneatur, praesto apud plurimos sit, adsidua meditatione legendus, strenue in rem deducendus. Quod si feceritis, iure vestrorum fructuum accrescet acervus : « grandis labor, sed grande praemium » (Ep. 20 ad Eustochium). Ut tibi, dilecte Fili Noster, et supra memorato Sodalicio adlectis Dei defluat auxilium, huius auspicem, Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die **VII** mensis Iunii anno **MDCCCCL,** Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

MONITUM

Nonnullae constitutae sunt associationes, impulsu ac ductu, sicut omnibus notum est, partium communistarum, eo spectantes ut pueros puellasque imbuant principiis et institutione, quae materialismum sapiunt et mores christianos religionemque impetunt.

Monentur igitur christifideles huiusmodi associationes, quocumque tegantur nomine, plecti sanctionibus, quas comminatur Decretum S. Officii, latum die 1 Iulii 1949 *(A. A. S.,* 1949, p. 334).

1) Itaque parentes vel eorum locum tenentes qui, contra praescriptum c. 1372, § 2 C. I. C. et memorati Decreti S. Officii, liberos praedictis associationibus instituendos tradiderint, ad Sacramenta recipienda admitti nequeunt.

2) Qui vero contra fidem vel christianos mores pueros ac puellas docuerint, incurrunt in excommunicationem Apostolicae Sedi speciali modo reservatam.

3) Pueri ac puellae autem, quamdiu huiusmodi associationum participes sunt, ad Sacramenta admitti nequeunt.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 28 Iulii 1950.

M. Marani, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

TERAMENSIS ET PINNENSIS - PISCARIENSIS

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM IMMUTATIONE

Pars territorii dioecesis Pinnensis-Piscariensis, quae sex Communibus, vulgo dictis *Fano Adriano, Pietracamela, Tossiccia, Colledara, Isola del Gran Sasso* et *Castelli* circumscribitur et viginti septem paroecias complectitur, nimis ab urbe episcopali Piscariensi distat, dum proprior est civitati Teramensi, ad cuius provinciam civilem pertinet.

Cum propter locorum distantiam fidelis populus ad suum Pastorem difficile accedere possit, cumque magis magisque errores et pericula contra fidem augeantur, quo promptior reddi possit Pastoris cura ad spiritualia auxilia Christifidelibus afferenda, ab Apostolica Sede nuper expostulatum est ut praedictum territorium a dioecesi Pinnesi-Piscariensi separetur atque dioecesi Teramensi aggregetur.

Quapropter Ssmus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII, rei opportunitate perspecta, de consilio Emi ac Revmi Cardinalis huius S. C. Consistorialis Secretarii, suppleto, quatenus opus sit, interesse habentium vel habere praesumentium consensu, vi praesentis Consistorialis Decreti, perinde valituri ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, statuit ut viginti septem paroeciae, quae in sequentibus oppidis et vicis exstant *Fano Adriano, Cerqueto, Cusciano, Intermesoli, Nerito, Pietracamela, Tossiccia, Aquilano, Colledonico, Flammigwmo, Ornano Grande, Isola del Gran Sasso, Casale S. Nicola, Cerchiara, Fano a Corno, Forca di Valle, Pretara, S. Pietro* e *Ceriseto, Trignano, Colledara, Ghiarino, Leognano, Villa Petto, Castelli, San Massino e Capsano, Villa Bossi, Colledoro,* a dioecesi Pinnensi-Piscariensi dismembrentur et dioecesi Teramensi adiungantur, mutatis, hac ratione, utriusque dioecesis finibus, quae, posthac, territorio civili trium Communium *Castelli, Isola del Gran Sasso* et *Colledara* definientur.

Ad haec autem exsecutioni mandanda, Sanctitas Sua deputare dignata est Exc. P. D. Gillam Vincentium Gremigni, Episcopum Teramen-

•sem et Atriensem, eidem tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi quam primum ad hanc Sacram Congregationem authenticum exemplar peractae exsecutionis.

Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 24 Ianuarii **1950.**

£B Fr. A. **I. PIAZZA**, Ep. Sabinen, et Mandelen., *a Secretis.*

L. © S.

I. Ferretto, *Substitutus.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus D. **N.** Pius Divina Providentia Pp. **XII,** successivis Decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 20 Februarii 1950. — Titulari episcopali Ecclesiae Carrhenae praefecit R. D. Emanuelem Marengo, Rectorem seminarii Sanctae Fidei in Argentina, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Mcolai Fasolino, Archiepiscopi Sanctae Fidei in Argentina.

die 9 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sitifensi, R. D. Andream Parenty, dioecesis Atrebatensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Victorii Ioannis Perrin, Episcopi Atrebatensis.

die 16 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Doberitanae R. D. Antonium Plaza, canonicum Capituli Metropolitani Platensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Caesaris Antonii Canevá, Episcopi Azulensis.

die 17 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Zelitenae, R. D. Iosephum Mariam Garcia Lahiguera, e dioecesi Matritensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Leopoldi Ei jo y Garay, Episcopi Matritensis.

die 80 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Andegavensi R. P. Henricum Chappoulie, 'Protonotarium Apostolicum *ad instar,* ex archidioecesi Parisiensi.

die 12 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Asponitanae R. D. Vincentium Reyes, parochum S. Michaelis, ex archidioecesi Manilensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Gabrielis Reyes, Archiepiscopi Manilensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Camulianensi R. D. Petrum Dudziec, dioecesis Plocensis, Cubicularium intimum supra numerum San-

ctitatis Suae, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Thaddaei Pauli Zakrzewski, Episcopi Plocensis.

die lk Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Cincinnatensi Exc. P. D. Carolum Ioseph Alter, hactenus Episcopum Toletanum in America.

— Cathedrali Ecclesiae Valleguidonensi Exc. P. D. Mauritium Rousseau, hactenus Episcopum Mimatensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Ateniensi R. P. Patricium J. Me. Cormick, Antistitem Urbanum et Rectorem Universitatis Catholicae Vashingtonensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Patricii Aloisii O' Boyle, Archiepiscopi Vashingtonensis.

die 16 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Squillacensi R. D. Armandum Fares, Cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae, Canonicum theologum Capituli Cathedralis Fodiani et Professorem theologiae dogmaticae in Pontificio Athenaeo Lateranensi, quem Archiepiscopali titulo *ad personam* condecoravit atque constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Fiorentini, Archiepiscopi Catacensis.

die 5 Iulii. — Archiepiscopali Ecclesiae Aquilanae Exc. P. D. Constantinum Stella, hactenus Episcopum Nucerinum et Tadinensem.

— Cathedrali Ecclesiae Mazariensi Exc. P. D. Ioachinum Di Leo,, hactenus Archiepiscopum Lancianensem et Episcopum Ortonensem, cui servavit Archiepiscopalem titulum *ad personam.*

die 10 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Uiensi Exc. P. D. Franciscum Mariam Franco, hactenus Episcopum Cremensem.

die U Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Albensi R. P. Henricum Mae Kenzie, Antistitem Urbanum et parochum ecclesiae Sacratissimi Cordis Iesu in urbe, vulgo Newton, archidioecesis Bostoniensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Richardi Iacobi Cushing, Archiepiscopi Bostoniensis.

die lJf Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Bogotensi in Columbia Exc. P. D. Crysanthum Luque, hactenus Episcopum Tunquensem.

die 17 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Antaeopolitanae R. D. Silvium Aloisium Haro, parochum et vicarium foraneum urbis, vulgo Guaranda, dioecesis Bolivarensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Felicis Heredia Zurita, Episcopi Guayaquilensis.

die 18 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Toletanae in America Exc. P. D. Georgium Ioannem Behring, hactenus Episcopum titularem Lundensem.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

VICTORIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI FRANCISCI GÍRATE, COADIUTORIS TEMPORALIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur.

((Qui cognoscit causam altissimam in aliquo genere et per eam potest de omnibus, quae sunt illius generis, iudicare et ordinare dicitur esse sapiens in illo genere. Ille autem qui cognoscit causam altissimam simpliciter, quae est Deus, dicitur sapiens simpliciter, in quantum per regulas divinas omnia potest iudicare et ordinare. Huiusmodi autem iudicium consequitur homo per Spiritum Sanctum » (S. Th. 2, 2, 45, 1. c). Iamvero Franciscus Gárate, coadiutor temporalis professus Societatis Iesu, qui omnia opera, omnes actiones, totam vitam suam ad maiorem Dei gloriam ordinavit, deque omnibus iudicavit, ea ad Deum altissimam causam referendo, vere sapiens est dicendus : atque sapientia, Spiritus Sancti donum, in eo vacua non fuit ; uti ex dicendis manifeste apparet.

In oppidulo Azpeitia, provinciae Guipuzcoanae in Hispania, intra Victoriensis dioecesis fines, Franciscus natus est die 3 Februarii a. 1857, sequenti vero die lustralibus baptismi aquis renatus. Parentes eius Franciscus Gárate et Maria Baptista de Aranguren, pii honestique agricolae, septem filios in timore ac Dei amore educarunt, ex quibus tres Societati Iesu sodales facti sunt.

Dei famulus quatuordecim annos natus, in Societatis Iesu collegio Ordunae, famulatum exercuit, tresque post annos die 2 Februarii inter fratres coadiutores adscisci obtinuit, tirociniumque in vico Poyanne in Gallia inivit. Religionis votis nuncupatis, infirmorum curae addictus in domo La Guardia, ubi tria habebantur collegia, mira sanctitatis specimina decem annos exhibuit. Nemo illo diligentior, nemo magis assiduus, nemo pro infirmis sollicitior, nil de sua valetudine curans. Qui indefessus labor eum adeo depressit, ut superiores eum transtulerint ad studiorum universitatem in loco <(Deusto Bilbao », in qua Ianitoris officium

ei concrediderunt. Ab anno 1888 usque ad annum 1929 munere boc tanta perfectione est functus, ut mirabile exemplar factus sit virtutum omnium et sancti existimationem sibi comparaverit. Ipse enim tot per annos constanter, prompte ac delectabiliter, sine vel minimo regressu, humilitate, paupertatis amore, modestia, aequanimitate, prudentia, sui contemptu, in laboribus assiduitate, atque obedientia reniduit ; patienter ac festiva comitate pauperes, hospites, omnesque ad Universitatem accedentes, scholasticos praesertim, excipiebat, qui eum : « Frater urbanitas » appellabant. Nullam sibi relaxationem aut solatium concedebat atque in nullum seu linguae seu operum defectum incidisse visus est, uti testes deponunt.

Ceterum tantam animi contra adversa fortitudinem ex intima cum Deo unione hausit, et tenerrima erga Beatam Virginem religione, sanctosque sui patronos.

Laboribus atque acerbo morbo fractus, die 9 Septembris anno 1929, Ecclesiae sacramentis piissime susceptis, ad caelestem patriam evolavit.

Sanctitatis fama late propagata, in Vietoriensi Episcopali Curia, informativae inquisitiones super scriptis, sanctitatis fama atque liturgico cultu ei non praestito, peractae sunt, Romamque delatae.

Plures interim Summo Pontifici postulatoriae litterae pro causa introducenda fuere porrectae.

Servatis itaque de iure servandis, Rmo P. Carolo Miccinelli, generali Societatis Iesu Postulatore instante, infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus Causaeque Ponens seu Relator, die 7 Februarii anni huius, in Ordinario S. huius Congregationis coetu, dubium proposuit : *An signanda sit commissio Introductionis Causae, in casu et ad effectum de quo agitur,* de eaque retulit. Emi ac Rmi Cardinales, auditis Officialium Praelatorum suffragii, praesertim vero, voce et scripto, R. D. P. Salvatore Natucci Fidei Promotore generali, omnibus mature perpensis, rescribendum censuere : *Signandam esse commissionem si Ssmo placuerit.*

Facta itaque, subscripto die, Ssmo D. N. Pio Papae XII ab eodem Cardinali relatione, Sanctitas Sua, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *commissionem Introductionis Causae Servi Dei Francisci* Gerate-Sua manu dignata est obsignare.

Datum Romae, die 26 Februarii anno sacro 1959.

£8 C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus*

L. & S.

t A. Carinci, Archiep. Selene, *Secretarius.*-

II

TOLETANA

CANONIZATIONIS BEATAE BEATRICI S DE SILVA, FUNDATRICIS MONIALIUM FRANCISCANUM A SSMA CONCEPTIONE.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio reassumptionis causae Canonizationis in casu et ad effectum de quo agitur.

Beata Beatrix de Silva, e nobilissima Lusitana familia, neptis Infantae Isabellae, uxoris Ioannis II, Oastellae regis, quae, decimoquinto saeculo ad finem vertente, eo proposito Conceptionistarum Ordinem fundavit ut doctrinam de Immaculata Conceptione B. M. V. profiteretur, defenderet et propagaret, tanta post eius obitum, qui a. 1490 contigit, publica veneratione fruita est, quae ad nostra usque tempora, praesertim in Hispania, in Mexicana ditione atque alibi, virescit, ut Pius Papa XI fel. rec. eius cultum recognoverit ac confirmaverit per S. R. C. decretum die 28 Iulii a. 1926 editum. Plures nunc Summo Pontifici preces sunt porrectae a Patriarcha Occidentalium Indiarum, a duobus Archiepiscopis et Episcopo Mexicanis, a Ministro generali O. F. M., ab Abbatissa Conceptionistarum Missionalium aliisque ex Mexicana ditione, Hispania, Belgio et Brasilia ut Canonizationis causa resumatur. Uti de iure infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus et causae Ponens seu Relator supra descriptum dubium, in Ordinario eiusdem Congregationis Coetu diei 21 Februarii huius anni, disceptandum proposuit atque causae momenta illustravit. Emi ac Rmi Cardinales, omnibus perpensis, auditoque R. P. D. Salvatore Nat ucci, Fidei Promotore generali, rescribere censuerunt : *Signandam esse commissionem reassumptionis causae B. Beatricis de Silva si Ssmo placuerit, servata tamen mente canonis 2X33.*

Facta autem relatione Ssmo D. N. Pio Papae XII subsignata die ab eodem Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *commissionem reassumptionis causae Canonizationis B. Beatricis de Silva* propria manu dignata est obsignare.

Datum Romae, die 26 Februarii anno sacro 1950.

83 C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus*

L. © S .

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius**

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

AGRIGENTINA

NULLITATIS MATRIMONII (DI CARLO - BILELLO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dnae Rosaliae Bilello, in causa de qua supra conventae, eandem citamus ad comparendum in Sedè Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 13 Octobris 1950, hora undecima, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione :

An sententia rotalis diei S Aprilis 1950 confirmanda vel infirmanda sit in casu.

Ordinarii locorum, Parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dnae Rosaliae Bilello, -curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.

Henricus Caiazzo, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 13 Iulii 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Rosalie Bilello> défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 13 octobre 1950, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rlote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 3 avril 1950 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Rosalie Bilello devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

An. et vol. XXXXII 2 Septembris 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE NONNULLIS FALSIS OPINIONIBUS, QUAE CATHOLICAE DOCTRINAE FUNDAMENTA SUBRUERE MINANTUR.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Humani generis in rebus religiosis ac moralibus discordia et aberratio a veritate probis omnibus, imprimisque fidelibus sincérisque Ecclesiae filiis, vehementissimi doloris fons et causa semper fuere, praesertim vero hodie, cum ipsa culturae christianae principia undique offensa cernimus.

Haud mirum quidem est huiusmodi discordiam et aberrationem extra ovile Christi semper viguisse. Nam licet humana ratio, simpliciter loquendo, veram et certam cognitionem unius Dei personalis, mundum providentia sua tuentis ac gubernantia, necnon naturalis legis a Creatore nostris animis inditae, suis naturalibus viribus ac lumine assequi revera possit, nihilominus non pauca obstant quominus eadem ratio hac sua nativa facultate efficaciter fructuoseque utatur. Quae enim ad Deum pertinent et ad rationes spectant, quae inter homines Deumque intercedunt, veritates sunt rerum sensibilium ordinem omnino

transcendentes, quae, cum in vitae actionem inducuntur eamque informant, sui devotionem suique abnegationem postulant. Humanus autem intellectus in talibus veritatibus acquirendis difficultate laborat tum ob sensuum imaginationisque impulsum, tum ob pravas cupiditates ex peccato originali ortas. Quo fit ut homines in rebus huiusmodi libenter sibi suadeant esse falsa vel saltem dubia, quae ipsi nolint esse vera.

Quapropter divina « revelatio» moraliter necessaria dicenda est, ut ea, quae in rebus religionis et morum rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque humani generis condicione, ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint.[1]

Quin immo mens humana difficultates interdum pati potest etiam in certo iudicio « credibilitatis » efformando circa catholicam fidem, quamvis tam multa ac mira signa externa divinitus disposita sint quibus vel solo naturali rationis lumine divina christianae religionis origo certo probari possit. Homo enim sive praeiudicatis ductus opinionibus, sive cupidinibus ac mala voluntate instigatus, non modo externorum signorum evidentiae, quae prostat, sed etiam supernis afflatibus, quos Deus in animos ingerit nostros, renuere ac resistere potest.

Cuicumque eos circumspicienti, qui extra ovile Christi sunt, haud difficulter patebunt praecipuae quas viri docti non pauci ingressi sunt viae. Etenim sunt qui evolutionis, lit aiunt, systema, nondum invicte probatum in ipso disciplinarum naturalium ambitu, absque prudentia ac discretione admissum ad omnium rerum originem pertinere contendant, atque audacter indulgeant opinationi monisticae ac pantheisticae mundi universi continuae evolutioni obnoxii. Qua quidem opinatione fautores communismi libenter fruuntur ut suum « materialismum dialecticum » efficacius propugnent et evehant, omni notione theistica ex animis avulsa.

[1] Conc. Vatic. D. B., 1876, Const. ***De Fide cath.,*** cap. 2, ***De revelatione.***

Huiusmodi evolutionis commenta, quibus omne, quod absolutum, firmum, immutabile est, repudiatur, viam straverunt novae aberranti philosophiae, quae cum « idealismo », « immanentismo)) ac « pragmatismo » contendens, « existentialismi » nomen nacta est, utpote quae, immutabilibus rerum essen tiis posthabitis, de singulorum « exsistentia » tantum sollicita sit.

Accedit falsus quidam « historicismus », qui solis humanae vitae eventibus inhaerens, cuiusvis veritatis legisque absolutae fundamenta subvertit, cum ad res philosophicas tum ad christiana etiam dogmata quod attinet.

In hac tanta opinionum confusione aliquid solaminis Nobis affert eos cernere, qui a « rationalismi » placitis, quibus olim instituti erant, hodie non raro ad veritatis divinitus patefactae haustus redire cupiunt, ac verbum Dei in Sacra Scriptura asservatum agnoscere ac profiteri, utpote, disciplinae sacrae fundamentum. At simul dolendum est haud paucos istorum, quo firmius verbo Dei adhaereant, eo magis humanam rationem adimere, et quo libentius Dei revelantis auctoritatem extollant, eo acrius Ecclesiae Magisterium aspernari, a Christo Domino institutum, ut veritates divinitus revelatas custodiat atque interpretetur. Quod quidem non solum Sacris Litteris aperte contradicit, sed ex ipsa rerum experientia falsum manifestatur. Saepe enim ipsi a vera Ecclesia dissidentes de sua ipsorum in rebus dogmaticis discordia palam conqueruntur, ita ut Magisterii vivi necessitatem fateantur inviti.

Iamvero theologis ac philosophis catholicis, quibus grave incumbit munus divinam humanamque veritatem tuendi animisque inserendi hominum, has opinationes plus minusve e recto itinere aberrantes neque ignorare neque neglegere licet. Quin immo ipsi easdem opinationes perspectas habeant oportet, tum quia morbi non apte curantur nisi rite praecogniti fuerint, tum quia nonnumquam in falsis ipsis commentis aliquid veritatis latet, tum denique quia eadem animum provocant ad quasdam

veritates, sive philosophicas sive theologicas, sollertius perscrutandas ac perpendendas.

Quodsi philosophi ac theologi nostri ex hisce doctrinis, caute perspectis, tantummodo huiuscemodi fructum colligere eniterentur, nulla adesset ratio cur Ecclesiae Magisterium interloqueretur. Attamen, quamvis Nobis compertum sit catholicos doctores ab illis erroribus generatim cavere, constat tamen non deesse hodie, quemadmodum apostolicis temporibus, qui rebus novis plus aequo studentes, ac vel etiam metuentes ne earum rerum, quas progredientis aetatis scientia invexerit, ignari habeantur, sacri Magisterii moderationi se subducere contendant ideoque in eo versentur periculo ne sensim sine sensu ab ipsa veritate divinitus revelata discedant aliosque secum in errorem inducant.

Immo et aliud ob versatur periculum idque eo gravius, quo virtutis est specie magis obiectum. Plures enim sunt, qui humani generis discordiam ac mentium confusionem deplorantes, imprudenti animorum studio permoti, impetu quodam moventur atque impenso desiderio flagrant infringendi saepta, quibus probi honestique viri invicem disiunguntur, « irenismum » talem amplectentes ut, quaestionibus missis quae homines separant, non modo respiciant ad irruentem atheismum communibus viribus propulsandum, sed etiam ad opposita in rebus quoque dogmaticis reconcilianda. Et quemadmodum olim fuerunt, qui rogarent num translaticia Ecclesiae apologetica ratio obstaculum constitueret potius quam auxilium ad animos Christo lucrandos, ita hodie non desunt qui eo usque procedere audeant ut serio quaestionem moveant num theologia eiusque methodus, quales in scholis ecclesiastica approbante auctoritate vigent, non modo perficiendae, verum etiam omnino reformandae sint, ut regnum Christi quocumque terrarum, inter homines cuiusvis culturae vel cuiusvis opinionis religiosae efficacius propagetur.

Quodsi iidem ad nihil aliud intenderent quam ad disciplinam ecclesiasticam eiusque methodum hodiernis condicionibus ac necessitatibus, nova quadam inducta ratione, aptius accom-

modandas, nulla fere esset causa timendi; at vero imprudenti aestuantes « irenismo », nonnulli veluti lobices ad fraternam unitatem restaurandam ea putare videntur, quae ipsis legibus ac principiis a Christo datis innituntur itemque institutis ab eo conditis, vel quae munimina ac fulcimina exstant integritatis fidei, quibus collapsis, omnia uniuntur quidem, sed solummodo in ruinam.

Novae huiusmodi opiniones, sive improbando novitatis desiderio, sive laudabili causa moveantur, non semper eodem gradu, eadem claritate iisdemque terminis proponuntur, nec semper unanimo auctorum consensu; quae enim hodie a quibusdam, cautelis nonnullis ac distinctionibus adhibitis, magis tecte docentur, cras ab aliis audacioribus palam atque immoderate proponentur, non sine multorum offensione, praesertim iunioris cleri, nec sine ecclesiasticae auctoritatis detrimento. Quodsi cautius agi solet in libris publice editis, iam liberius disseritur in libellis privatim communicatis et in acroasibus coetibusque. Nec tantum inter sodales utriusque cleri et in sacris seminariis institutisque religiosis tales opiniones divulgantur, sed etiam inter laicos, inter eos praesertim, qui iuventuti instituendae operam navant.

Quod autem ad theologiam spectat, quorumdam consilium est dogmatum significationem quam maxime extenuare ; ipsumque dogma a loquendi ratione in Ecclesia iamdiu recepta et a philosophicis notionibus penes catholicos doctores vigentibus liberare, ut in catholica exponenda doctrina ad Sacrae Scripturae sanctorumque Patrum dicendi modum redeatur. Spem ipsi fovent fore ut dogma elementis denudatum, quae extrinsecus a divina revelatione esse dicunt, fructuose comparetur cum eorum opinionibus dogmaticis, qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sint, utque hac via pedetemptim perveniatur ad assimilanda sibi invicem dogma catholicum et placita dissidentium.

Accedit quod, catholica doctrina ad hanc redacta condicionem, viam sterni autumant, qua, hodiernis necessitatibus satis-

faciendo, hodiernae etiam philosophiae notionibus dogma exprimi possit, sive « immanentismi » sive « idealismi » sive « exsistentialismi » aliusve systematis. Quod idcirco etiam fieri posse ac debere audaciores quidam affirmant, quia fidei mysteria numquam notionibus adaequate veris significari posse contendunt, sed tantum notionibus « approximativis », ut aiunt, ac semper mutabilibus, quibus veritas aliquatenus quidem indicetur, sed necessario quoque deformetur. Quapropter non absurdum esse putant, sed necesse omnino esse ut theologia pro variis philosophiis, quibus decursu temporum tamquam suis utitur instrumentis, novas antiquis substituat notiones, ita ut diversis quidem modis, ac vel etiam aliqua ratione oppositis, idem tamen, ut aiunt, valentibus, easdem divinas veritates humanitus reddat. Addunt etiam historiam dogmatum consistere in reddendis variis sibique succedentibus formis, quas veritas revelata induerit, secundum diversas doctrinas et opinationes quae saeculorum decursu ortae fuerint.

Patet autem ex iis, quae diximus, huiusmodi molimina non tantum ducere ad « relativismum » dogmaticum, quem vocant, sed illum iam reapse continere; cui quidem despectus doctrinae communiter traditae eorumque vocabulorum, quibus eadem significatur, satis superque favet. Nemo sane est qui non videat huiusmodi notionum vocabula cum in scholis tum ab ipsius Ecclesiae Magisterio adhibita, perfici et perpoliri posse; ac notum praeterea est Ecclesiam in iisdem vocibus adhibendis non semper constantem fuisse. Liquet etiam Ecclesiam non cuilibet systemati philosophico, brevi temporis spatio vigenti, devinciri posse : sed ea quae communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura saecula fuere ad aliquam dogmatis intellegentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur. Nituntur enim principiis ac notionibus ex vera rerum creatarum cognitione deductis; in quibus quidem deducendis cognitionibus humanae menti veritas divinitus revelata, quasi stella, per Ecclesiam illuxit. Quare mirum non est aliquas huiusmodi notiones a Conciliis Oecumenicis non solum adhi-

bitas, sed etiam sancitas esise, ita ut ab eis discedere nefas sit.

Quapropter neglegere, vel reicere, vel suo valore privare tot ác tanta, quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti Spiritus lumine et ductu, ad accuratius in dies fidei veritates exprimendas mente concepta, expressa ac perpolita sunt, ut eorumdem in locum coniecturales notiones sufficiantur ac quaedam fluxae ac vagae novae philosophiae dictiones, quae ut fios agri hodie sunt et cras décident, non modo summa est imprudentia, verum etiam ipsum dogma facit quasi arundinem vento agitatam. Despectus autem vocabulorum ac notionum quibus theologi scholastici uti solent, sponte ducit ad enervandam theologiam, ut aiunt speculativam, quam, cum ratione theologica innitatur, vera certitudine carere existimant.

Utique, proh dolor, rerum novarum studiosi a scholasticam theologiae contemptu ad neglegendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae, quod theologiam illam sua auctoritate tantopere comprobat. Hoc enim Magisterium ab ipsis tamquam progressionis sufflamen ac scientiae obex exhibetur; ab acatholicis vero quibusdam iam veluti iniustum frenum consideratur quo excultiores aliqui theologi a disciplina sua innovanda detineantur. Et quamquam hoc sacrum Magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei — Sacras nempe Litteras ac divinam « traditionem » - et custodiendum et tuendum et interpretandum concredidit, attamen officium, quo fideles tenentur illos quoque fugere errores, qui ad haeresim plus minusve accedant, ideoque « etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt », [2] nonnunquam ita ignoratur ac si non habeatur. Quae in Romanorum Pontificum Encyclicis Litteris de indole et constitutione Ecclesiae exponuntur, a

[2] ***O. I. O.,*** can. 1324; cfr. Conc. Vat., D. B., 1820, Const. ***De Fide cath.,*** cap. 4, ***De fide et ratione,*** post canones.

quibusdam consulto neglegi solent, ea quidem de causa ut praevaleat notio quaedam vaga, quam ex antiquis Patribus, praesertim graecis, haustam esse profitentur. Pontifices enim, ut ipsi dictitant, de his quae inter theologos disputantur iudicare nolunt, itaque ad pristinos fontes redeundum est et ex antiquorum scriptis recentiora Magisterii constitutiones ac decreta explicanda sunt.

Quae etsi fortasse scite dicta videntur, attamen fallacia non carent. Verum namque est generatim Pontifices theologis libertatem concedere in iis quae inter melioris notae doctores vario sensu disputen tur; at historia docet, plura quae prius liberae disceptationi subiecta fuerint, postea nullam iam disceptationem pati posse.

Neque putandum est, ea quae in Encyclicis Litteris proponuntur, assensum per se non postulare, cum in iis Pontifices supremam sui Magisterii potestatem non exerceant. Magisterio enim ordinario haec docentur, de quo illud etiam valet: « Qui vos audit, me audit »;[3] ac plerumque quae in Encyclicis Litteris proponuntur et inculcantur, iam aliunde ad doctrinam catholicam pertinent. Quodsi Summi Pontifices in actis suis dé re hactenus controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse.

Verum quoque est, theologis semper redeundum esse ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur, in Sacris Litteris et in divina <(traditione », « sive explicite, sive implicite inveniantur ».[4] Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhauriatur. Quapropter sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio, quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit, ut experiundo novi-

[3] Luc, X, 16.

[4] Pius IX, ***Inter gravissimas,*** 28 oct. 1870, ***Acta,*** vol. I, p. 260.

mus, sterilis evadit. Sed hac de causa theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiae dumtaxat historicae aequari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fontibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio. Si autem hoc suum munus Ecclesia exercet, sicut saeculorum decursu saepenumero factum est, sive ordinario sive .extraordinario eiusdem muneris exercitio, patet omnino falsam esse methodum, qua ex obscüris clara explicentur, quin immo contrarium omnes sequi ordinem necesse esse. Quare Decessor Noster imm. mem. Pius IX, docens nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus, non absque gravi causa illa addidit verba: « eo ipso sensu, quo ab Ecclesia definita est ».

Ut autem ad novas, quas supra attigimus, opinationes redeamus, plura etiam a nonnullis proponuntur vel mentibus ins **t** **u** -tantur in detrimentum divinae auctoritatis Sacrae Scripturae. Etenim sensum definitionis Concilii Vaticani de Deo Sacrae Scripturae auctore audacter quidam pervertunt; atque sententiam, iam pluries reprobatam, renovant, secundum quam Sacrarum Litterarum immunitas errorum ad ea solummodo, quae de Deo ac de rebus moralibus et religiosis traduntur, pertineat. Immo perperam loquuntur de sensu humano Sacrorum Librorum sub quo sensus eorum divinus lateat, quem solum infallibilem declarant. In Sacra Scriptura interpretanda nullam haberi volunt rationem analogiae fidei ac « traditionis », Ecclesiae; ita ut Sanctorum Patrum" et sacri Magisterii doctrina quasi ad trutinam Sacrae Scripturae, ratione mere humana ab exegetis explicatae, sit revocanda, potius quam eadem Sacra Scriptura exponenda sit ad mentem Ecclesiae, quae a Christo Domino totius depositi veritatis divinitus revelatae custos ac interpres constituta est.

Ac praeterea sensus litteralis Sacrae Scripturae eiusque expositio a tot tantisque exegetis, vigilante Ecclesia, elaborata, ex commenticiis eorum placitis, novae cedere debent exegesi, quam symbolicam ac spiritualem appellant; et qua Sacra Biblia Veteris Testamenti, quae hodie in Ecclesia tamquam fons clausus lateant, tandem aliquando omnibus aperiantur. Hac ratione asseverant difficultates omnes evanescere, quibus ii tantummodo praepediatur, qui sensui litterali Scripturarum adhaereant.

Quae quidem omnia quam aliena sint a principiis ac normis hermeneuticis a Decessoribus Nostris fel. rec. Leone XIII in Encyclicis Litteris *Providentissimus,* et a Benedicto XV in Enc. Litt. *Spiritus Paraclitus,* itemque a Nobis ipsis in Enc. Litt. *Divino afflante Spiritu* rite statutis nemo est qui non videat.

Ac mirum non est huiusmodi novitates, ad omnes fere theologiae partes quod attinet, iam venenosos peperisse fructus. In dubium revocatur humanam rationem, absque divinae « revelationis » divinaeque gratiae auxilio, argumentis ex creatis rebus deductis demonstrare posse Deum personalem exsistere; negatur mundum initium habuisse, atque contenditur creationem mundi necessariam esse, cum ex necessaria liberalitate divini amoris procedat; aeterna et infallibilis liberarum actionum hominum praescientia Deo item denegatur; quae quidem Vaticani Concilii declarationibus adversantur.[5]

Quaestio etiam a nonnullis agitur num Angeli creaturae personales sint; numque materia a spiritu essentialiter differat. Alii veram « gratuitatem » ordinis supernaturalis corrumpunt, cum autument Deum entia intellectu praedita condere non posse, quin eadem ad beatificam visionem ordinet et vocet. Nec satis; nam peccati originalis notio, definitionibus tridentinis posthabitis, pervertitur, unaque simul peccati in universum, prout est Dei offensa, itemque satisfactionis a Christo pro nobis exhibitae. Nec desunt qui contendant transubstantiationis do-

[5] Cfr. Conc Vat., Const. ***De Fide cath.,*** cap. **1,** ***De Deo rerum omnium creatore.***

ctrinam, utpote antiquata notione philosophica substantiae innixam, ita emendandam esse ut realis Christi praesentia in Ss. Eucharistia ad quemdem symbolismum reducatur, quatenus consecratae species, nonnisi signa efficacia sint[5] spiritualis praesentiae Christi eiusque intimae coniunctionis cum fidelibus membris in Corpore Mystico.

Quidam censent se non devinciri doctrina paucis ante annis in Encyclicis Nostris Litteris exposita, ac fontibus « revelationis » innixa, quae quidem docet corpus Christi mysticum et Ecclesiam Catholicam Romanam unum idemque esse.[6] Aliqui necessitatem pertinendi ad veram Ecclesiam, ut sempiterna attingatur salus, ad vanam formulam reducunt. Alii denique rationali indoli « credibilitatis » fidei christianae iniuriam inferunt

Haec et alia id genus iam serpere constat inter nonnullos filios Nostros, quos incautum animarum studium vel falsi nominis scientia decipiunt, quibusque maerenti animo et notissimas veritates repetere cogimur et manifestos errores errorisque pericula non sine anxitudine indicare.

In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad exsistentiam unius Dei personalis certo demonstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei fundamenta signis- divinis invicte comprobanda; parique modo ad legem, quam Creator animis hominum indidit, rite exprimendam; ac denique ad aliquam mysteriorum intellegentiam assequendam eamque fructuosissimam.[7] Hoc tamen munus ratio tum solum apte ac tuto absolvere poterit, cum debito modo exculta fuerit; nempe cum fuerit sana illa philosophia imbuta, quae veluti patrimonium iamdudum exstat a superioribus christianis aetatibus traditum, atque adeo altioris etiam ordinis auctoritatem habet, quia ipsum Magisterium Ecclesiae, eius principia ac praecipua asserta, a viris magni ingenii paulatim patefacta ac defi-

[6] Cfr. Litt. Enc. ***Mystici Corporis Christi, A. A. S.,*** vol. XXXV, p. 193 sq.

[7] Cfr. Conc. Vat., D. B., 1796.

nita, ad ipsius divinae « revelationis » trutinam vocavit. Quae quidem philosophia in Ecclesia agnita ac recepta, et verum sincerunique cognitionis humanae valorem tuetur, et metaphysica inconcussa principia — rationis nempe sufficientis, causalitatis, et finalitatis — ac demum certae et immutabilis veritatis assecutionem.

In hac philosophia plura sane exponuntur, quibus res fidei et morum neque directe nec indirecte attinguntur, quaeque propterea Ecclesia liberae peritorum disceptationi permittit; at quoad alia plura, praesertim quoad principia assertaque praecipua, quae supra memoravimus, eadem libertas non viget. Etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare; numquam tamen eam subvertere fas est, vel falsis principiis contaminare, vel quasi magnum quidem, sed obsoletum existimare monumentum. Non enim veritas omnisque eius philosophica declaratio in dies mutari possunt, cum potissimum agatur de principiis humanae menti per se notis, vel de sententiis illis, quae tum saeculorum sapientia, tum etiam divinae « revelationis » consensu ac fulcimine innituntur. Quidquid veri mens humana, sincere quaerens, invenire poterit, iam acquisitae veritati profecto adversari nequit; siquidem Deus, summa Veritas, humanum intellectum condidit atque regit, non ut rite acquisitis cotidie nova opponat, sed ut, remotis erroribus qui forte irrepserint, verum vero superstruat eodem ordine ac compagine quibus ipsa rerum natura, ex qua verum hauritur, constituta cernitur. Quapropter christianus, sive philosophus, sive theologus, non festinanter ac leviter amplectatur quidquid novi in dies excogitatum fuerit, sed summa sedulitate id perpendat ac iusta in trutina ponat, ne adeptam veritatem amittat, vel corrumpat, gravi profecto cum ipsius fidei discrimine ac detrimento.

Quae si bene perspecta fuerint, facile patebit cur Ecclesia exigat ut futuri sacerdotes philosophicis disciplinis instruantur « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia », [8] quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus pervestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina « revelatione » quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sani progressionis fructus utiliter et secure colligendos. [9]

Hac de causa quam maxime deplorandum est, philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam hodie a nonnullis despectui haberi, ita ut antiquata quoad formam, rationalistica, ut aiunt, quoad cogitandi processum, impüdenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse; dum contra asseverant res, praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam; non tamen praebere philosophandi rationem, quae hodiernae nostrae culturae ac necessitatibus respondeat. Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam immutabilium essentiarum esse, dum hodierna mens ad « exsistentiam » singulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem. Dum vero hanc philosophiam despiciunt, alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive **Orientis**, sive Occidentis populorum, ita ut in animos insinuare videantur quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis,

[8] *G. I. C.*, can. 1366, 2.

[9] *A. A. S.*, vol. XXXVIII, 1946, p. 387.

cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum praesertim de cómmentis illis agatur, quae vel « immanentismum » vocant, vel « idealismum », vel « materialismum » sive historicum, sive dialecticum, ac vel etiam « existentialismum » sive atheismum profitentem, sive saltem valori ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest.

Ac denique philosophiae nostris traditae scholis hoc vitio vertunt, eam nempe in cognitionis processu ad intellectum unice respicere, neglecto munere voluntatis et affectuum animi. Quod quidem verum non est. Numquam enim christiana philosophia utilitatem negavit et efficacitatem bonarum totius animi dispositionum ad res religiosas ac morales plene cognoscendas et amplectendas; immo semper docuit huiuscemodi dispositionum defectum causam esse posse cur intellectus, cupiditatibus ac mala voluntate affectus, ita obscuretur ut non recte videat. Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supernaturalem pertinentia, aliquo modo percipere posse, quatenus experiatur in animo affectivam quamdam « connaturalitatem » cum eisdem bonis sive naturalem, sive dono gratiae additam; [10] ac liquet quantopere vel suboscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat. Attamen aliud est voluntatis affectuum dispositioni vim agnoscere adiuvandi rationem ad certiorem ac firmiorem cognitionem rerum moralium assequendam; aliud vero est, quod isti novatores contendunt: facultatibus nempe appetendi et affectandi vim quamdam intuendi adiudicare, atque hominem, cum non possit rationis discursu cum certitudine discernere quidnam ut verum sit amplectendum, ad voluntatem declinare, qua inter oppositas opiniones ipse libere decernens eligat, cognitione et voluntatis actu incompte permixtis.

Nec mirum est novis hisce placitis in discrimen adduci duas philosophicas disciplinas, quae natura sua cum fidei doctrina

[10] Cfr. S. THOM., ***Summa Theol.,*** II-II, quaest. **1,** art. 4 aú 3 et quest. 45, art. 2, in c.

arcte conectuntur, theodiceam nempe et ethicam; quarum quidem munus esse censent non aliquid certi de Deo aliove ente transcendenti demonstrare, sed ostendere potius ea quae fides doceat de Deo personali ac de eius praeceptis, cum vitae necessitatibus perfecte cohaerere, ideoque omnibus amplectenda esse ut desperatio arceatur atque aeterna attingatur salus. Quae omnia ut Decessorum Nostrorum Leonis XIII et Pii X documentis aperte adversantur, ita cum Concilii Vaticani decretis componi nequeunt. Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam in rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata.

Reliquum est ut aliquid de quaestionibus dicamus, quae quamvis spectent ad disciplinas, quae « positivae » mincupari solent, cum christianae tamen fidei veritatibus plus minusve conectantur. Instanter enim non pauci expostulant ut catholica religio earumdem disciplinarum quam plurimum rationem habeat. Quod sane laude dignum est ubi de factis agitur reapse demonstratis; caute tamen accipiendum est ubi potius de « hypothesibus » sit quaestio, etsi aliquo modo humana scientia innixis, quibus doctrina attingitur in Sacris Litteris vel in « traditione » contenta. Quodsi tales coniecturales opiniones doctrinae a Deo revelatae directe vel indirecte adversentur, tum huiusmodi postulatum nullo modo admitti potest.

Quamobrem Ecclesiae Magisterium non prohibet quominus « evolutionismi » doctrina, quatenus nempe de humani corporis origine inquirit ex iam exsistente ac vivente materia oriundi — animas enim a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet — pro hodierno humanarum disciplinarum et sacrae theologiae statu, investigationibus ac disputationibus peritorum in utroque campo hominum pertractetur; ita qui-

dem ut rationes utriusque opinionis, faventium nempe, vel obstantium, debita cum gravitate moderatione ac temperantia perpendantur ac diiudicetur; dummodo omnes parati sint ad Ecclesiae iudicio obtemperandum, cui a Christo munus demandatum est et Sacras Scripturas authentice interpretandi et fidei dogmata tuendi.[11] Hanc tamen disceptandi libertatem nonnulli temerario ausu transgrediuntur, cum ita sese gerant quasi si ipsa humani corporis origo ex iam exsistente ac vivente materia per indicia hucusque reperta ac per ratiocinia ex iisdem indiciis deducta, iam certa omnino sit ac demonstrata; atque ex divinae revelationis fontibus nihil habeatur, quod in hac re maximam moderationem et cautelam exigat.

Cum vero de alia coniecturali opinione agitur, videlicet de polygenismo, quem vocant, tum Ecclesiae filii eiusmodi libertate minime fruuntur. Non enim christifideles eam sententiam amplecti possunt, quam qui retinent asseverant vel post Adam hisce in terris veros homines exstitisse, qui non ab eodem prouti omnium protopárente, naturali generatione originem duxerint, vel Adam significare multitudinem quamdam protoparentum; cum nequaquam appareat quomodo huiusmodi sententia componi queat cum iis quae fontes revelatae veritatis et acta Magisterii Ecclesiae proponunt de peccato originali, quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum, inest unicuique proprium.[12]

Quemadmodum autem in biologicis et anthropologicis disciplinis, ita etiam in historicis sunt qui limites et cautelas ab Ecclesia statuta audacter transgrediatur. Ac peculiari modo deploranda est quaedam nimio uberior libros históricos Veteris Testamenti interpretandi ratio, cuius fautores Epistulam haud ita multo ante a Pontificio Consilio de re biblica Archiepiscopo Parisiensi datam ad suam defendendam causam immerito referunt.[13] Haec enim Epistula aperte monet undecim priora ca-

[11] Cfr. Allocut. Pont. ad membra Academia Scientiarum, 30 novembris 1941: ***A. A. 8.,*** vol. XXXIII, p. 506.

[12] Cfr. ***Rom.,*** V, 12-19; Conc. Trid., sess. V, can. 1-4.

[13] Die 16 ianuarii 1948: ***A. A. S.,*** vol. XL, pp. 45-48.

pita Geneseos, quamvis cum historicae compositionis rationibus proprie non conveniant, quibus eximii rerum gestarum scriptores graeci et latini, vel nostrae aetatis periti usi fuerint, nihilominus quodam vero sensu, exegetis amplius investigando ac determinando, ad genus historiae pertinere; eademque capita, oratione simplici ac figurata mentique populi parum exculti accommodata, tum praecipuas veritates referre, quibus aeterna nostra procuranda salus innititur, tum etiam popularem descriptionem originis generis humani populique electi. Si quid autem hagiographi antiqui ex narrationibus popularibus hauserint (quod quidem concedi potest), numquam obliviscendum est eos ita egisse divinae inspirationis afflatu adiutos, quo in seligendis ac diiudicandis documentis illis ab omni errore immunes praemuniebantur.

Quae autem ex popularibus narrationibus in Sacris Litteris recepta sunt, ea cum mythologiis aliisve id genus minime aequanda sunt, quae magis ex effusa imaginatione procedunt quam ex illo veritatis ac simplicitatis studio, quod in Sacris Libris Veteris etiam Testamenti adeo elucet ut hagiographi nostri antiquos profanos scriptores aperte praecellere dicendi sint.

Novimus quidem plerosque catholicos doctores, quorum studiorum fructus in athenaeis, in sacris seminariis et religiosorum sodalium collegiis impertiuntur, ab iis erroribus alienos esse, qui hodie, sive ob rerum novarum cupidinem, sive etiam ob immoderatum quoddam apostolatus propositum, aperte vel latenter divulgantur. At novimus quoque novas eiusmodi opinationes incautos allicere posse; ideoque principiis obstare maluimus, quam inveterato iam morbo medicinam praestare.

Quapropter, re coram Domino mature perpensa ac considerata, ne a sacro Nostro officio deficiamus, Episcopis ac Religiosarum Sodalitatum Moderatoribus, gravissime eorum onerata conscientia, praecipimus, ut quam diligentissime curent, ne in scholis, in coetibus, in scriptis quibuslibet opiniones huiusmodi proferantur, neve clericis vel christifidelibus quovis modo tradantur.

Qui in ecclesiasticis institutis docent, noverint se tuta conscientia munus docendi, sibi concreditum, exercere non posse, nisi doctrinae normas, quas ediximus, religiose accipiant atque ad amussim servent in discipulis instituendis. Debitam reverentiam atque obtemperationem, quam in suo adsiduo labore Ecclesiae Magisterio profiteantur oportet, discipulorum quoque mentibus ánimisque instillent.

Nitantur utique omni vi omnique contentione ut disciplinas, quas tradunt, provehant; sed caveant etiam ne limites transgredían tur a Nobis statutos ad veritatem fidei ac doctrinae catholicae tuendam. In quaestiones novas, quas hodierna cultura ac progrediens aetas in medium protulerunt, diligentissimam suam conferant pervestigationem, sed ea qua par est prudentia et cautela; nec denique putent, falso « irenismo » indulgentes, ad Ecclesiae sinum dissidentes et errantes feliciter reduci posse, nisi integra veritas in Ecclesia vigens, absque ulla corruptione detractioneque, sincere omnibus tradatur.

Hac spe freti, quam pastoralis vestra sollertia adauget, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, tum clero populoque vestro Apostolicam Benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xii mensis Augusti, anno MDCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATAE MARIAE GORETTI, VIRGINIS ET MARTYRIS, IN PETRIANO FORO DIE XXIV MENSIS IUNII, A. MDCCCCL HABITA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, Summi Pontificis nomine, haec respondit :

Audiatis omnes, quotquot adestis; ii etiam audiant, qui ubique terrarum radiophonicae artis ope, sacris hisce ritibus auscultando quodammodo intersunt. Sollemne iam advenit horae momentum, quo Augustus Pontifex oraculum laturus est. Candidum hoc virginitatis lilium, martyrii cruore purpuratum, laetabundi veneremur, ac sanctam eiusmodi morum innocentiam, qua tantopere nostrum indiget saeculum, imitari contendamus.

Tunc Summus Pontifex, omnibus aperto capite sur gentibus, Ipse sedens in Cathedra mitramque gestans, de plenitudine Apostolici Ministerii sollemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra : matura deligeratione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in Urbe exsistentium, consilio, Beatam Mariam Goretti, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum catalogo adscribimus: statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, sexta nempe iulii, inter Sanctas Virgines et Martyres pia devotione recoli debere. In nomine PaÇgtris- et Fi © Iii et Spiritus 3 3 Sancti. Amen.

Postridie vero in sollemni Missa Papali, post Evangelium haec fuit

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

« Virginitas angelicum est vitae genus »,[1] quod christiana religio ad tam excelsum evehit pulchritudinis gradum, ut aliquid videatur terra maius caeloque dignum; at si martyrii palma ei adicitur, aliquid habetur, quod cum gratiae suavitate ac nitore invictam coniungit fortitudinem; atque intuentes omnes •ad egregia, ad strenua illa facinora permovet, quae christiana praecepta iubeant. Haec quidem omnia in virgínea puella miramur, Maria Goretti, quam heri Nobis licuit sanctorum caelitum redimire gloria.

Ex aerariae plebis parentibus orta est; qui, ut honesto labore panem succrescenti suboli compararen t, oppidulum relinquere suum coacti sunt, et ad Latii oras contendere, ubi excolendis agris frugalissimum victum filiis providerent.

Cum esset autem animi candore praedita, una cum quadam agendi alacritate coniuncto, inde a tenellis annis ita se praebuit, ut non solum morum lenitate eniteret, sed diligenti etiam atque indefessa operositate praestaret, qua quidem matri suae in domesticis factitandis negotiis sedula ac serena assidebat.

Nullis litteris erudita, ab ipsa genetrice sua prima christianae doctrinae rudimenta accepit, quae suae menti inculcare studiosissime conabatur; ac nihil gratius, nihil dulcius habebat, quam sacram aedem, quae longe aberat, quotiescumque poterat, adire; ibique catholicae religionis praecepta ediscere, atque ad Dei et ad Beatae Mariae Virginis aram incensissimas fundere preces. Cum vero tandem ei licuit ad Eucharisticam mensam accedere, ac se caelesti pabulo enutrire, id tam impensa pietate egit, tam flagranti caritate, ut, potius quam puella, angelus in humana carne videretur, Indidem profecto

[1] S. IOAN. DAMASO., *De fide orthod.,* 1. IV, c. 24; MIGNE, P. G. LXXXXIV, 1210.

supernam illam vim hausit, qua potuit haud multis post mensibus, cum nondum esset duodecim annos nata, ad mortem usque invicta decertare, ut niveum innocentiae suae lilium intactum, illibatum servaret, atque illud, martyrii cruore purpur at um, divino reddere virginalis suae vitae Auctori.

Acerrimum certamen, ut omnes norunt, inermis haec virgo aggredi debuit; túrbida ac caeca procella adversus eam ex improviso erupit, eiusque angelicum candorem maculare ac violare contendit: At cum in gravissimo illo discrimine verteretur, haec poterat verba aurei libelli de imitatione Christi Divino repetere Redemptori: « Si fuero tentata et vexata tribulationibus multis, non timebo mala; dum mecum fuerit gratia tua. Ipsa fortitudo mea; ipsa consilium confert et auxilium. Cunctis hostibus potentior est ... ».[2] Itaque caelesti gratia suffulta, cui generosa ac fortis respondit voluntas, vitam profudit; virginitatis gloriam non amisit. '

In hac humilis puellae vita, quam summis lineamentis, adumbravimus, spectaculum cernere licet, Venerabiles Fratres, ac dilecti filii, non modo, ut diximus, Caelo dignum, sed dignum etiam quod nostra haec aetas admirabunda, venerabundi intueatur. Discant patres matresque familias quantopere oporteat filios sibi a Deo datos recte, sancte fortiterque educare, ac catholicae religionis conformare praeceptis ; ita quidem ut, cum eorum virtus in discrimen adducta fuerit, divina iuvante gratia habeant, ut invicti, integri, intaminati evadant.

Discat laeta pueritia, discat animosa iuventus non ad volucria atque inania voluptatis gaudia, non ad fascinantium vitiorum oblectamenta misere prolabi — quae serenam innocentiam restinguunt, quae tetricam tristitiam pariunt, quae animi corporisque vires serius ocius debilitant — sed potius contendere alacriter, etsi per ardua et aspera, ad christianam illam morum perfectionem, quam quidem strenua voluntate, caelestibus adiuta muneribus, enitendo, allaborando precandoque omnes assequi aliquando possumus.

[2] ***De Iniit. Ch.,*** 1. **III,** c. LV, v. 19, 20, 21.

Discat denique mòlle saeculum, nimio saepius ad deteriora pronum, in hac virginali puella invictam revereri atque imitari fortitudinem. Hoc agreste lilium, suavissimo odore fragrans, has fulgentes martyrii palmas respiciant omnes, ac probe intellegant quantum valeant christiana praecepta ad recte moderandos conformandosque homines, et quantum superna gaudia — quae ex vitae innocentia servata incolumi atque ex virtute laboriose sibi comparata oriuntur — inania exsuperen t atque evincant voluptatum delectamenta; quandoquidem Deus unus potest mortalium pacare ac tranquillare animos eorumque infinita explere desideria.

Non omnes profecto ad subeundum martyrium vocamur : ad christianam tamen assequendam virtutem vocamur omnes. Virtus autem vim postulat, quae, etiamsi angelicae huius puellae fortitudinis verticem non attingit, nihilo secius operam diuturnam, diligentissimam, iñtermittendam numquam a nobis exquirit ad vitae usque obitum. Quamobrem quasi lentum continuatumque martyrium dici potest, ad quod quidem patrandum haec divina Iesu Christi sententia nos admonet : « Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ». [3]

Ad hoc igitur, caelesti gratia innixi contendamus omnes; hoc nobis suadeat sancta virgo et martyr Maria Goretti; idque e caelestibus sedibus, ubi sempiterna fruitur beatitate, a Divino Redemptore precando impetret, ut omnes, pro peculiari cuiusque nostra vitae condicione, praeclara vestigia sua libentes, volentes operantesque sequamur. Amen.

[3] MATTH. XI, 12

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

LIPENSIS
(LUCENENSIS)

A DIOECESIS LIPENSIS TERRITORIO PARS DISTRAHITUR, ET NOVA ERIGITUR DIOECESIS LIJCENENSIS NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aeternae dominici gregis saluti eiusque regimini facilius et efficacius consuli possit, nimis amplum dioecesium territorium dismembrare et novas erigere dioeceses sane opportunum et aliquando necessarium videtur ; quod quidem exsequi ad Apostolicam tantum Sedem spectare dignoscitur.

Quum itaque venerabilis Frater Alfridus Varzosa y Florentin, Episcopus Lipensis, ab Apostolica Sede postulaverit ut, amplo suae dioecesis dismembrato territorio, nova erigatur dioecesis, Nos, praehabito venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titularis Myrensis et in Insulis Philippinis Delegati Apostolici, favorabili voto, atque de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, oblatas Nobis preces Iubenti animo excipiendas duximus.

Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a memoratae dioecesis Lipensis territorio insulam *Marinduque* et meridonalem partem provinciae civilis *Quezon* separamus et novam exinde dioecesim erigimus et constituimus, a *Luceria* urbe, in qua episcopalem sedem Agimus, Lucenensem nomine appellandam.

Novae igitur huius dioecesis territorium ¿Omprehendet, uti diximus, praeter *Marinduque* insulam, civilis provinciae *Quezon,* partem, quae attingit : ad septentrionem communes limites civiles municipiorum *Manijan* et *Infanta;* ad occidentem provincias civiles *Laguna* et *Batangas,* nec non praefecturam apostolicam Mindorensem ; ad meridiem oceanum ; ad orientem dioecesim Cacerensem. Praefatam urbem *Luceria* ad civita-

tis episcopalis fastigium evehimus; templum autem, Deo in honorem S. Ferdinandi ibi exstans dicatum, ad cathedralis ecclesiae gradum et dignitatem extollimus eique et pro tempore Episcopis Lucenensibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia et gratias quibus ceterae per orbem cathedrales ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Decernimus insuper ut nova haec dioecesis suffraganea sit metropolitanae Ecclesiae Manilensi et eius pro tempore Episcopi metropolitico Archiepiscopi Manilensis iuri subiiciantur. Quod autem ad clerum attinet iubemus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt.

Decernimus praeterea ut ad maius Lucenensis Ecclesiae decus et utilitatem Capitulum Cathedrale iuxta normas per alteras Nostras Litteras edendas erigatur ; interim vero indulgemus ut pro Canonicis Dioecesani Consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Mensam episcopalem constituent curiae emolumenta, fidelium oblationes, in quorum bonum dioecesis ipsa constituta est, et cathedraticum, servato insuper Iuris Canonici canone 1500, quoad divisionem bonorum et fundationum.

Quod autem ad novae dioecesis regimen,administrationem, Vicarii Capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad dioecesani Seminarii erectionem, ad clericorum fideliumque iura et onera, aliaque id genus pertinet, iubemus ut sacrorum canonum praescripta rite serventur.

Decernimus deñique ut omnia documenta et acta, novam dioecesim eiusque clericos et fideles respicientia, cum primum fas erit, a Curia Lipensi ad Curiam Lucenensem transmittantur, ut in huius archivo diligenter asserventur.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda deputamus venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Insulis Philippinis Delegatum Apostolicum, vel illum qui in exsecutionis actu Delegationi praesit, et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quam primum fieri poterit, authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel prae-

missis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima octava Martii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI "
8. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
8. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleucien., *Deo. Coll. Proton Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. 28. - Al. Trussardi.

II

FLUMINIS MAGDALENAE

(BARRANCABERMEJENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA FLUMINIS MAGDALENAE IN VICARIATUM APOSTOLICUM ERIGITUR, BARRANCABERMEJENSEM NOMINE NUNCUPANDUM.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM!

Apostolicis sub plumbo Litteris *Dominici gregis,* a fel. rec. Pio Undecimo, Decessore Nostro, anno millesimo nongentesimo vicesimo octavo, die secunda Aprilis, in Columbiana Republica nova Praefectura Apostolica, Magdalenae Fluminis nomine, erecta fuit, et Sodalium Societatis Iesu curis concredita. Horum Evangelii praeconum labore et industria non mediocres res catholica profectus, postremis potissimum his temporibus, tulisse fertur, ita ut ad maioris dignitatis gradum Praefecturam illam provehere sane congruum visum sit.

Quare venerabiles Fratres Nostri, Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, praehabito venerabilis Fratris Ioseph Beltrami, Archiepiscopi titularis Damasceni et in Columbia Nuntii Apostolici, favorabili voto, re mature perpensa, facultatibus utentes sibi a Nobis per totum hunc iubilarem annum concessis, Apostolicam quam memoravimus Praefecturam Fluminis Magdalenae hac ipsa die in Vicariatum Apostolicum evexerunt, nomine Barrancabermejensem, finibus vero immutatis manentibus, eorumdem illum apostolicis Societatis Iesu soda lium curis concreditum, ad Apostolicae tamen Sedis beneplacitum, decreverunt.

Nos vero hanc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam adprobantes ac ratam habentes, suprema auctoritate Nostra confirmamus et ideo Vicariatum Apostolicum Barrancabermejensem ita erectum et constitutum harum Litterarum vi declaramus et decernimus. Novo itaque Vicariatui huic eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque iisdem pariter adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime ostantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo

viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti, confirmationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die duodevicesima Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco £g Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. *2Jf.* - Al. Trussardi.

III

LIPENSIS

(INFANTENSIS)

A DIOECESIS LIPENSIS TERRITORIO PARS DISTRAHITUR, E QUA PRAELATURA ((NULLIUS)), INFANTEN SIS NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Precibus annuentes venerabilis Fratris Alf ridi Verzosa y Florentin, dioecesis Lipensis Episcopi, Nos Apostolicis sub plumbo Litteris *Quo aeternae,* die vicesima octava proxime elapsi mensis Martii datis, a latissimo dioecesis illius territorio *Marinduque* insulam et civilis provinciae *Quezon* meridionalem partem seiunximus et novam dioecesim Lucenensem ereximus. Modo autem idem vigilantissimus Praesul, ad satius sui dominici gregis regimini consulendum, a Nobis expostulavit ut a suae dioecesis, nimis adhuc longe lateque patentis, territorio *Polillo* insulae et septentrionalis pars provinciae civilis *Quezon* separentur ad novam exinde Praelaturam *nullius* constituendam. Nos itaque, praehabito venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titularis Myrensis et in Philippinis Insulis Delegati Apostolici, favorabili voto, de consilio

venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Consistoriali praepositorum, novis porrectis Nobis precibus annuentes, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum, qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa ac certa scientia^ dioecesis Lipensis territorium iterum dismembramus et Praelaturam *nullius dioeceseos,* cui nomen erit *Infantensis,* erigimus, quas supra memoravimus *Polillo insulas* et provinciae civilis *Quezon* septentrionalem partem continentem. Nova igitur Praelatura ista fines, qui sequuntur, attinget : ad septentrionem, dioecesim Tuguegaroanam ; ad occidentem, provincias civiles *Nueva Vizcaya, Nueva Ecija, Bulacan,* et *Rizal;* ad orientem, Oceanum Pacificum, et ad meridiem, communes"!?mites civiles municipiorum *Infanta* et *Mauban.*

Novae istius Praelaturae *nullius* sedem in urbe *Infanta,* a qua Praelatura ipsa nomen mutuatur, statuimus et templum Deo in honorem S. Marci Evangelistae ibidem exstans dicatum, ad praelatitiae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus et ipsi eiusque pro tempore Praesulibus iura omnia tribuimus et privilegia, insignia, honores et gratias, una cum adnexis oneribus et obligationibus, quae sedibus; praelatitiis Ecclesiis earumque Antistitibus iure communi sunt propria.

Decernimus insuper ut Praelatura Infantensis suffraganea sit metropolitanae Ecclesiae Manilensi, et eius Praelatus metropolitico archiepiscopi Manilensis iuri subiiciatur.

Volumus porro ut, cum primum fieri poterit, parvum saltem Seminarium ad clerum indigenam instituendum erigatur.

Quod autem attinet ad Praelaturae regimen et administrationem , ad Vicarii capitularis, seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera et cetera huiusmodi, rite servari mandamus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt.

Mandamus insuper ut documenta omnia et acta, quae novam hanc Praelaturam *nullius* eiusque clericos et fideles respiciunt, ad huius Curiam a Lipensis dioecesis Curia quam primum transmittantur in archivo diligenter asservanda.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda venerabilem Fratrem praefatum Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Delegationi praesit, deputamus eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in

•ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in -controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beeatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo •quinquagesimo, die vicesima quinta Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
P. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. *Collegii Decanus*

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. *C. Consistorialis a Secretis*

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Hoco £8 Plumbi

Heg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 27. - Al. Trussardi

LITTERAE APOSTOLICAE

I

AD TITULUM ET DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR ECCLESIA COTHEDRALIS DIOECESIS DE AGUAS CALIENTES.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Conspicua templa Dei, quae tum magnitudine, tum artis pulchritudine, tum etiam summa fidelium religione celebrantur, amplissimis honoribus ac privilegiis de more institutoque Romanorum Pontificum propensa voluntate cohonestamus. Inter ea merito est sacra aedes recensenda, quae, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae dicata, Mexicanae dioeceseos « de Aguas Calientes,)) Ecclesiae Cathedralis dignitate pollet. Quo cum in dies semper maiore numero fideles, e finitimis quoque regionibus, confluerent, tantae Matris opem experti et imploraturi, ipsum Templum sollerti cura impensoque studio excultum ac locupletatum fuit. Etenim Templum idem, mire affabreque decoratum, dum ob proceras easdemque elegantissima^ binas cum magnis horologiis turres perpulchrum foris apparet, intus sive marmorea Ara maxima, sive lithostrato pavimento, sive denique cedrinis Canonicorum sellis renidet ac prae ceteris sacris aedibus eminet atque pollet. Sacrae insuper caeremoniae, fidelium animos dulciter mulcentes, tum sacra supellectili qua ditatum est, tum duobus organis, sollemniores in eo fiunt. Cuius vero Ecclesiae Cathedralis verus thesaurus, immo pretiosissima gemma, est Imago Deiparae Virginis Mariae caelo receptae, episcopalis civitatis ac dioecesis Patronae, quae, sub invocatione «Nuestra Señora de Aguascalientes)), maxima fidelium veneratione colitur. Quae cum ita sint, Venerabilis Prater Ioseph a Iesu López y González, Episcopus de Aguas Calientes, quem ob plures easdemque eximias laudes inter Episcopos Pontificio Nostro Solio Adsistentes adnumeravimus, faustam ab ipsa condita dioecesi quinquagesimi anni opportunitatem nactus, a Nobis enixe efilagitavit ut Ecclesiam suam Cathedralem titulo ac privilegiis Basilicae Minoris benigne honestare dignaremur. Nos autem, ad fovendam augendamque Christifidelium erga Virginem Mariam pietatem, huiusmodi precibus annuendum perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione

Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam dioecesis « de Aguas Calientes » Ecclesiam Cathedralem, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae dicatam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus atque decoramus, cum omnibus iuribus ac privilegiis rite competentibus. Contrariis quibuslibet non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die n mensis Iunii, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

BEATA MARIA VIRGO, ((MADONNA DEL PONTELUNGO)) NUNCUPATA, CIVITATIS AC DIOECESIS ALBINGANÉNSIS PATRONA CAELESTIS DECLARATUR EIUSDEMQUE FESTUM CERTA DIE STATUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Qua Augustus Imperator Arociae fluvio in finibus Ingaunorum sublimen et artificiosum iniecerat pontem, ut viatorum commoditati consuleret,'Beatissima Virgo Maria alio ponte eoque mystico caelum terrae iunxit, quo mortales attingerent munerum supernorum affluentiam. Hoc enim in loco, qui ab urbe Albingauno non multum abest, Ecclesia, Almae Deiparae sacra, haud intermisso populi studio ac frequentia post hominum memoriam celebratur, siquidem iam saeculo x, uti ferunt, Aedes cum continente hospitio ibi exstitit, in cuius ministerio primum monachi Ordinis Sancti Benedicti, deinde canonici

regulares Sancti Victoris ac demum viri quidam solitarii sunt versati, cuique inde a saeculo praelapso fratres Franciscales impigri deserviunt. Hoc quidem Templum Beatae Mariae Virginis, a « Ponte Longo » nuncupatum, inter mutationes rerum ac temporum varietates mira quadam civium conspiratione ac munificentia pluries reiectum et in excultiorem formam redactum, tamen anno **MDCCKXH** propter nimiam angustiam a solo est exstructum publico sumptu ac stipe corrogata. Imago etiam Beatae Mariae Virginis, olim udo ulitis coloribus picta, anno **MDII** in tripertita tabula egregie est expressa : vides ibi Divinum Infantem Caelorum Reginae inhaerentem, quae manu dextera claves urbis Albingauni tenet quasi custos ac domina civitatis ; utrimque vero Sanctum Joannem Baptistam ac Sanctum Xystum, Papam et Märtyrern, non sine venustate effictos. Hoc quippe Simulacrum, septies usque adhuc, maxima supplicum turba stipante, corona redimitum, coli atque observari numquam desiit, praesertim ex quo, post luctuosas no va torum perturbationes, res Catholica provehi coepta est et amplificari. Huius autem Templi religio die u mensis Iulii, quo princeps sollemnitas summa cum populi Christiani alacritate quotannis peragi consuevit, tam luculenter effulget ut quid ornatius vix possit fieri, quin immo, cum non ita pridem « Peregrinatio Mariae », quam dicunt, institueretur, evasit spectatissima. His permotus, Venerabilis Frater Raphaël De Giuli, Episcopus Albinganensis, adprecatus est Nos et oravit ut Beatam Mariam Virginem, « Madonna del Pontelungo » Italice appellatam, civitatis ac dioeceseos Albinganensis Praecipuam apud Deum Patronam renuntiare dignaremur. Quibus precibus pro Nostro in Almam Dei Genetricem amore eodemque Christifideles devinciendi voluntate libentissime auditis, collatis consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum *Beatissimam Virginem Mariam,* <(*Madonna del Pontelungo* » vulgo nuncupatam, *Praecipuam civitatis ac dioceseos Albinganensis apud Deum Patronam constituimus et declaramus,* omnibus honoribus ac privilegiis liturgicis adiectis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt, *additaque facultate eiusdem festum die* n *mensis Iulii sub ritu primae Classis cum octava quotannis celebrandi.* Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc

et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **VIII** mensis Iulii, anno **MCMXXXXIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

TITULUS AC PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS CATHEDRALI ECCLESIAE MERCEDENSI IN REPUBLICA ARGENTINA CONFERUNTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae Divino afflante Spiritu scripta sunt verba « Convertit desertum in lacum aquarum et terram aridam in fontes aquarum », in Ecclesiam Cathedralem Mercedensem, **in** finibus rei publicae Argentinae positam, libet transferre, cuius in loco, vacuo cultoribus olim et invio, ut primum christiani nominis incolae consederunt, sacellum exstructum est, quod eis, ab indigena gente fera avidaque caedis impetitis, fausto praesidio erat pioque confugio. Qua in Aede Simulacrum Beatissimae Virginis Mariae a Mercede, unde oppidum est nuncupatum, celebri colebatur honore et adhuc decoratur, indeque, Eadem largiente Deipara, gratiae ac munera caelestia, exspatiati fluminis instar, in singulos quosque universumque populum promanarunt. Anno **MDCCCXXv** Paroecia constituta est ibidem, cuius dicioni plures regiones, late eam ambeuntes, una cum decem fere curiis addititiis subiectae erant, et ex qua tamquam e matrice opulenta excrevit urbs ac populosa. Ut ergo Beatissimae Virgini a Mercede gratum panderent **animum** officiosamque testarentur caritatem, Christifideles Templum amplissimum, idemque cultu eximio atque structurae genere « Gothico » non ita luxuriante admodum illustre, excitarunt. Quae Ecclesia, **ad** quam aedificandam cum pauperes stipem tum censum contulerant **divites**, anno **MCMXXI** sacro ritu consecrata est atque a fel. mem. PIO Pp. XI,

Decessore Nostro, Apostolicis sub plumbo Litteris « Nobilis Argentinae Nationis », die xx mensis Aprilis anno **MCMXXXIV** datis, ad Cathedralis Templi dignitatem evecta. Quibus omnibus adductus, Venerabilis Frater Annuntiatus Serafini, Episcopus Mercedensis, vota quoque excipiens totius civitatis atque Dioecesis, humilibus flagitavit precibus ut eidem Ecclesiae principi pro Nostra benignitate titulum Basilicae Minoris adicere dignaremur. Nos proinde, quo christifideles Mercedenses, in huius saeculi deserto ac vastitudine constituti, e fonte qui Alma Dei Genetrix est, uberiores haurirent aquas salutis, atque egregia haec Aedes, pietatis eorum perenne monumentum, honore etiam augeretur, supplicationibus huiusmodi faciles statuimus adesse. Quapropter, consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, collatis, certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Ecclesiam Cathedralem Mercedensem in re publica Argentina honore *Basilicae Minoris* amcimus, omnibus privilegiis additis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; eisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xn mensis Augusti, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

SANCTUS ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, EP., C. ET ECCLESIAE DOCTOR, OMNIUM CONFESSARIORUM AC MORALISTARUM COELESTIS PATRONUS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Consueverunt omni tempore Romani Pontifices singulis Christifidelium coetibus, peculiaris vitae christianae munera sive officia implentibus, tamquam speciales Patronos illos adsignare beatos coelites, qui, in iisdem muneribus et officiis, cum viverent, perfungendis, maxime excelluerint, ut eorundem coelestium Profectorum valido utantur auxilio et praeclara sequantur monita et exempla. Decessorum Nostrorum vestigia prementes Nosmet Ipsi, inde ab inito Summo Pontificatu, plures dedimus sive Sacerdotum sive fidelium coetibus et sodalitatibus singulares Patronos. Quos inter : S. Albertum Magnum scientiarum naturalium cultoribus; S. Franciscum a Paula Italicae genti rei maritimae deditae; Ss. Catharinam Virginem Senensem et Catharinam Viduam Ianuensem italicis mulieribus infirmis ministrantibus et nosocomiis; S. Ioannem Bosco Catholicae Sodalitati Edi torum ex Italia ; S. Iosephum Calasanctium omnibus scholis popularibus ubique exsistentibus ; Beatissimam Deiparam, « Virginem Fidelem » invocatam, italicis militibus a publica tutela seu v. « Carabinieri » ; S. Michaelem Archangelum publicae securitatis in Italia custodibus. Inde exorta est quaedam inter alios coetus laudabilis aemulatio ut etiam unicuique ex eis Sanctum aliquem adsignaremus cuius peculiari apud Deum patrocinio inniti valerent et ad cuius virtutes mutandas speciali modo excitarentur. Sic factum est ut nonnulli S. R. E. Patres Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi quamplurimi, Supremi Religiosorum Sodalium Moderatores et Institutorum studiis provehendis Rectores clarissimi, necnon Theologiae Moralis cultores et magistri vota deprompserint ut Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio, Episcopum Confessorem et Ecclesiae Doctorem, Sacerdotum omnium qui Confessarii gravissimo et saluberrimo munere funguntur, necnon eorum qui Theologiae Morali tradendae verbo et scriptis quomodocumque dant operam, coelestem apud Deum Patronum constituere dignaremur. Quibus votis satisfacere non dubitavimus cum neminem lateat S. Alphonsum, qua divini verbi indefatigatum satorem, in excipiendis fidelium confessionibus, doctrina, prudentia, assiduitate, patientia mirifice excelluisse et,

qua Episcopum, in dioecesi S. Agathae Gothorum, quam sanctissime gubernavit, plurimos Sacramenti Poenitentiae administros optime informasse atque ipsum in sacro tribunali admissis expiandis assidere frequentissime voluisse. Immo, Sodalibus a Ssmo Redemptore a se in Congregationem adlectis, munus audiendi confessiones, quasi praecipuum commisit. Doctrinam denique moralem et pastoralem confessariis instituendis et dirigendis ore et scriptis tradidit eximiam, in toto orbe catholico ad hanc usque aetatem probatissimam et a Summis Pontificibus quasi tutam Sacramenti Poenitentiae administrorum animarumque moderatorum normam saepe ac graviter commendatam. Pius enim IX, Decessor Noster sa. me. in decreto Urbis et Orbis diei **xxin** m. Martii a. **MDCCCLXXi,** quo Sanctum Alphonsum Ecclesiae Doctorem proclamavit^ asserere non dubitavit : « Ipse errorum tenebras, ab incredulis et Iansenianis late diffusas, doctis operibus maximeque Theologiae moralis tractationibus dispulit atque dimovit ». Nec multo post idem Pontifex in Litteris Apostolicis sub anulo Piscatoris datis die **VII** Iulii, eodem anno, quibus maiori cultui Sancti Doctoris consuluit, haec scripsit : « Neque enim sine providentísimo Omnipotentis Dei consilio factum est, ut, cum Iansenistarum doctrina novatorum oculos in se converteret errorisque specie multos alliceret ageretque trasversos, tunc potissime exstaret Alphonsus M. de Ligorio qui... scriptis doctis et laboriosis istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam et ab agro Dominico exterminandam curaret ». Et Leo XIII in epistola ad Episcopos Italiae data die **VIII** Decembris an. **MCMIII**, S. Alphonsum vocat clarissimum et mitissimum inter Theologos rei moralis, sicut antea de doctrina morum a S. Alphonso tradita est elocutus : « Ubique terrarum esse celebratissimam tutamque praebere normam, quam conscientiae moderatores sequantur ». Quae confirmavit Pius X in epistola quam anno **MCMV** scripsit ad P. Gaudé editorem Theologiae Moralis. Denique proximus incomparabilis Decessor Noster Pius Pp. XI in suis Litteris Encyclicis *Ad catholici sacerdotii* anno **MCMXXXV** datis, cum agit de dotibus quibus Clericorum confessarii exornari debent, quae ad rem faciunt verba et monita S. Alphonsi refert ad litteram. Quae omnia persuadent Nobis et quodammodo Nos impellunt ut tot et tantis vocibus quasi hymnum concinentibus in laudem Divi Alphonsi et Nostram iungamus. Propitiam itaque nacti occasionem secundi expleti saeculi a celebratissimo opere de Morali Theologia primum in lucem edito, enixis humilibusque annuentes precibus dilecti filii hodierni Rectoris Maioris Congregationis a Ssñio Redemptore eiusdemque Sodalium omnium, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo

Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, perpetuumque in modum, Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio, Episcopum, Confessorem et Ecclesiae Doctorem, omnium Confessariorum ac Moralistarum coelestem apud Deum Patronum eligimus ac constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis quae Coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam, secus, super his, a quovis, auctoritate, qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxvi mensis Aprilis, anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae Negotiis

GILDO PRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

ALLOCUTIO

Summus Pontifex, post peractam Canonizationem Sanctae Mariae Goretti, V. et M., in Petriano foro, coram multitudine fidelium Veneratissimo Patri grato animo acclamante, haec verba fecit:

Venerabili Fratelli e diletti figli,

Per un amoroso disegno della Provvidenza divina l'esaltazione suprema di una umile figlia del popolo è stata celebrata in questo vespro luminoso con una solennità senza pari e in forma sin qui unica negli annali della Chiesa : nella vastità e nella maestà di questo luogo di mistero, fatto tempio sacro, cui è volta il firmamento che canta le glorie dell'Altissimo ; da voi così bramata, prima che da Noi disposta; con un concorso di fedeli numerosissimo, quale non videro mai eguale le altre canonizzazioni ; e soprattutto quasi così imposta dall'abbagliante fulgore e dalla inebriante fragranza di questo giglio, ammantato di porpora,

che or ora con intimo gaudio abbiamo ascritto all'albo dei Santi : la piccola e dolce Martire della purezza : Maria Goretti.

Perchè, diletti figli, siete accorsi in così sterminato numero alla sua glorificazione? Perchè, ascoltando o leggendo il racconto della sua breve vita, così somigliante a una limpida narrazione evangelica per semplicità di linee, per colore di ambiente, per la stessa fulminea violenza della morte, vi siete inteneriti fino alle lacrime? Perchè Maria Goretti ha conquistato così rapidamente i vostri cuori, fino a divenirne la prediletta, la beniamina? Vi è dunque in questo mondo, apparentemente travolto e immerso nell'edonismo, non soltanto una sparuta schiera di eletti assetati di cielo e di aria pura, ma folla, ma immense moltitudini, sulle quali il soprannaturale profumo della purezza cristiana esercita un fascino irresistibile e promettente : promettente e rassicurante.

Se è vero che nel martirio di Maria Goretti sfolgorò soprattutto la purezza, in essa e con essa trionfarono anche le altre virtù cristiane. Nella purezza era l'affermazione più elementare e significante del dominio perfetto dell'anima sulla materia ; nell'eroismo supremo, che non s'improvvisa, era l'amore tenero e docile, obbediente ed attivo verso i genitori; il sacrificio nel duro lavoro quotidiano ; la povertà evangelicamente contenta e sostenuta dalla fiducia nella Provvidenza celeste; la religione tenacemente abbracciata e voluta conoscere ogni di più, fatta tesoro di vita e alimentata dalla fiamma della preghiera ; il desiderio ardente di Gesù Eucaristico, ed infine, corona dalla carità, l'eroico perdono concesso all'uccisore : rustica ghirlanda, ma così cara a Dio, di fiori campestri, che adornò il bianco velo della sua prima Comunione, e poco dopo il suo martirio.

Così questo sacro rito si svolge spontaneamente in un'accolta popolare per la purezza. Se alla luce di ogni martirio fa sempre amaro contrasto la macchia di una iniquità, dietro a quello di Maria Goretti sta uno scandalo, che all'inizio di questo secolo parve inaudito. A distanza di quasi cinquantanni, tra la spesso insufficiente reazione dei buoni, la congiura del malcostume, valendosi di libri, di illustrazioni, di spettacoli, di audizioni, di mode, di spiagge, di associazioni, tenta di scalzare in seno alla società e alle famiglie, a danno principalmente della fanciullezza anche tenerissima, quelli che erano i presidi naturali della virtù.

O giovani, fanciulli e fanciulle dilettissimi, pupille degli occhi di Gesù e dei Nostri, — dite — siete voi ben risoluti a resistere fermamente, con l'aiuto della grazia divina, a qualsiasi attentato che altri ardisse di fare alla vostra purezza?

E voi, padri e madri, al cospetto di questa moltitudine, dinanzi alla

immagine di questa vergine adolescente, che col suo intemerato candore ha rapito i vostri cuori, alla presenza della madre di lei, che, educatala al martirio, non ne rimpianse la morte, pur vivendo nello strazio, ed ora s'inchina commossa ad invocarla, — dite — siete voi pronti ad assumere il solenne impegno di vigilare, per quanto è da voi, sui vostri figli, sulle vostre figlie, affine di preservarli e difenderli contro tanti pericoli che li circondano, e di tenerli sempre lontani dai luoghi di addestramento alla empietà e alla perversione morale?

Ed ora, o voi tutti che Ci ascoltate, in alto i cuori ! Sopra le malsane paludi e il fango del mondo si stende un cielo immenso di bellezza. È il cielo che affascinò la piccola Maria ; il cielo a cui ella volle ascendere per l'unica via che ad esso conduce : la religione, l'amore di Cristo, la eroica osservanza dei suoi comandamenti.

Salve, o soave e amabile Santa ! Martire sulla terra e angelo in cielo, dalla tua gloria volgi lo sguardo su questo popolo, che ti ama, che ti venera, che ti glorifica, che ti esalta. Sulla tua fronte tu porti chiaro e fulgente il nome vittorioso di Cristo ; [1] sul tuo volto virgineo è la forza dell'amore, la costanza della fedeltà allo Sposo divino; tu sei Sposa di sangue, per ritrarre in te l'immagine di Lui. A te, potente presso l'Agnello.di Dio, affidiamo questi Nostri figli e figlie qui presenti e quanti altri sono a Noi spiritualmente uniti. Essi ammirano il tuo eroismo, ma anche più vogliono essere tuoi imitatori nel fervore della fede e nella incorruttibile illibatezza dei costumi. A te i padri e le madri ricorrono, affinchè tu li assista nella loro missione educativa. In te per le Nostre mani trova rifugio la fanciullezza e la gioventù tutta, affinchè sia protetta da ogni contaminazione e possa incedere per il cammino della vita nella serenità e nella letizia dei puri di cuore. Così sia.

[1] Cf. Apoc, 3, 12.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PORTUENSIS **ET** SANCTAE: RUFINAE

DECRETUM

TRANSLATIONIS ECCLESIAE CATHEDRALIS

Episcopalis Cathedra Suburbicariarum dioecesium Portuensis et Sanctae Rufinae, iam ab anno 1119 invicem perpetuo unitarum, exstat ab immemorabili, veteribus Ecclesiis Cathedralibus penitus destructis, in quadam parva ecclesia seu capella Deo dicata in honorem Sanctarum Luciae et Rufinae Virginum et Martyrum, perantiquis Episcopalibus Aedibus in Portu exsistentibus insita et plane impar liturgicis usibus ac perdifficili accessu fidelibus.

Quapropter Eminentissimus ac Reverendissimus Pater Dominus Eugenius S. R. E. Cardinalis Tisserant, statim ac Episcopus praedictarum Ecclesiarum renuntiatus fuit, huic gravissimo incommodo in primis obviare cupiens, Sanctissimo Domino Nostro Pio Divina Providentia Pp. XII supplices preces porrexit, ut facultas sibi tribueretur aedes perficiendi plures iam annos in loco *La Storta* incoeptas. Qua obtenta, impenso ingentique labore, nova eademque perampla Ecclesia aedificata est, proximo die festo Annuntiationis Beatae Virginis Mariae Deo In honorem Ss. Cordium Iesu et Mariae per eundem Eminentissimum Virum dicanda et consecrandam

Ideoque Eminentissimus Purpuratus Pater expostulat a Sanctitate Sua ut Episcopalem Cathedram Portuensem et Sanctae Rufinae ab antiqua illa capella in novam huiusmodi Ecclesiam transferre et perpetuo statuere dignetur.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, re mature perpensa habitoque favorabili voto infrascripti Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, probe existimans id in divini cultus incrementum et in animarum bonum esse cessurum, transfert Episcopalem Cathedram Suburbicariarum dioecesium Portuensis et Sanctae Rufinae a

supradicta capella Deo dicata in honorem Ss. Luciae et Rufinae in Portu exstante, ad novam Ecclesiam Deo in honorem Sacrorum Cordium Iesu et Mariae in loco *La Storta* cito dicandam, quae proinde Ecclesiae Cathedralis Portuensis et Sanctae Rufinae titulo in perpetuum fruetur necnon omnibus iuribus, privilegiis, et praerogativis quae huiusmodi ecclesiis iure competunt.

Quibus super omnibus Ssmus Dominus Noster Pius Pp. XII praesens iussit edi Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae- sub plumbo Litterae expeditae forent.

Ad haec autem exsecutioni mandanda delegat praefatum Cardinalem* Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, eique tribuit facultates adì effectum necessarias et opportunas etiam subdelegandi quemlibet maluerit virum ecclesiasticum in dignitate constitutum.

Datum Romae, ex Aedibus S. Consistorialis Congregationis, die 7 Martii anno iubilari 1950, in festo S. Thomae Aquinatis.

£g Fr. A. I. Card. **PIAZZA**, Ep. Sabinen, et Mandelen., *a Secretis.*

L. S.

I. Ferretto, *Substitutus.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECRETUM

DE ECCLESIASTICIS OFFICIIS ET BENEFICIIS CANONICE INSTITUENDIS SEU PROVIDENDIS.

Catholica Ecclesia, ex ipsius Christi institutione est perfecta Societas hierarchice constituta, cuius plenum et supremum regimen ac iurisdictio est penes Romanum Pontificem, beati Petri Apostoli in primatu successorem. Quapropter nemo in ecclesiastica officia et beneficia se immitti nec alios immittere praesumere potest, sine legitima canonica institutione seu provisione.

Genuinam de hac re iuris canonici normam iam recolebat prima regula iuris in VI : « Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri ». Et Concilium Tridentinum decrevit : ((eos, qui tantummodo a populo aut saeculari potestate ac magistratu

vocati et instituti ad haec ministeria exercenda adscendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros sed fures et latrones, per ostium non **Digressos,** habendos esse» (cap. IV, sess. XXIII de reform.). Quin imo eadem sancta Synodus definivit: « Si quis dixerit ... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros, anathema sit » (Ibid. can. VII ; cfr. quoque Syllab. Pii Pp. IX, n. 50).

Praeterea haec eadem principia sanxit Codex iuris canonici, statutis quoque poenis contra transgressores (cfr. cc. 2331, § 2; 2334, l°-2°; 147, § 1-2; 332, § 1; 2394).

Ad eadem sacrosanta principia magis sarta tectaque servanda, simulque ad praecavendos abusus in re tanti momenti, Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII statuere dignatus est :

In excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam ipso facto incurrunt :

1) qui contra legitimas ecclesiasticas Auctoritates machinantur aut earum potestatem quomodocumque conantur subvertere;

2) qui ecclesiasticum ofiicium vel beneficium vel dignitatem sine institutione vel provisione canonica, ad normam sacrorum Canonum facta, occupat vel in eadem sinit illegitime immitti, vel eadem retinet ;

3) qui in criminibus nn. 1 et 2 declaratis quovis modo, directe vel indirecte, partem habent.

Quibusvis non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, die 29 Iunii 1950.

I. Card. **BRUNO,** *Praefectus.*

L. © S.

P. Roberti, *a Secretis.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

LIBERIEN.

(MONROVIEN.)

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS LIBERIENSIS DEINCEPS « MONROVIENSIS » APPELLABITUR.

Cum in Africa Occidentali Vicariatus Apostolicus Liberiensis, Societati pro Missionibus ad Afros concreditus, ad evangelizationis opus facilius reddendum divisus fuerit, ita ut in orientali eius territorii parte Praefectura Apostolica Capitis Palmensis, Patribus e praelaudata Societate pariter committenda, erecta sit, Emi ac Revmi Patres Cardinales huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide regimini praepositi, in iisdem plenariis comitiis die 30 Ianuarii vertentis anni habitis, in quibus erectio illa decreta est, de nomine quoque Vicariatus Liberiensis immutando egerunt.

Itaque, cum nomen illud non amplius rerum condicioni respondere, morem autem huius S. Congregationis esse perpendissent, ut singulae Missiones a sua cuiusque Ordinarii sede, quatenus fieri potest, appellentur, Vicariatum, qui, post memoratam divisionem, in parte occidentali territorii reipublicae Liberiensis exstare perget, « Monroviensem », a Monroviae urbis, eiusdem reipublicae capitis, nomine vocandum esse censuerunt.

Sacra igitur haec Congregatio, de mandato Ssmi D. N. Pii Div. Prov. Pp. XII, vigore facultatum sibi ab Ipso specialiter concessarum, Vicariatum Liberiensem, ut supra dismembratum, deinceps Vicariatum Apostolicum Monroviensem appellandum esse decrevit, praesensque ad rem Decretum fieri iussit.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 2 Februarii mensis anno D. 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

L. *m* s.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

BUBUQUEN. -

NULLITATIS MATRIMONII (ORR - MC COY)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi James Me Coy, in causa de qua supra conventi, eundem citamus ad comparendum in Sede Tribunalis S. E. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 21 Decembris 1950, hora undecima, sive per se sive per Procuratorem legitime constitutum, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto* subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Dñi James Me Coy, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

I. Pasquazzi, *Ponens*~

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 21 Iulii 1950.

O. Bejan, *Notarius,*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. James Me Coy, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne- ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 21 décembre 1950, a 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit James Me Coy devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (DAMASSO - JACOBS)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Isidori Jacobs, m causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 16 Novembris 1950, hora meridiana ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro «causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti domini Isidori Jacobs curare «debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur, *

Gulielmus Heard, *Ponens-*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 26 Iulii 1950.

O. Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Isidore Jacobs, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 16 novembre 1950, à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Isidore Jacobs devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

APPENDIX

TRIBUNAL ARCHIDIOEC. WESTMONASTERIENSIS

Citatio edictalis

NULLITATIS MATRIMONII (PHILLIMORE - COCKBURN)

Cum ignoretur locus actualis commorationis domini Alistair Cockburn, in causa conventus, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede S. Tribunalis Curiae Westmonasterien., Londini, Anglia (Archbishop's House, Westminster, London S. W. I.) die 3 Novembris 1950 hora tertia p. m., ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum :

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis predicti domini Alistair Cockburn, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Ex Cancellaria S. Tribunalis Curiae Westmonasterien., die 21 Iulii 1950.

Rev. Iosephus Geraerts, *Praeses.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Alistair Cockburn, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de Westminster, le 3 novembre 1950, à 3 heures de l'après-midi, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Alistair Cockburn devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 6 giugno 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso su due miracoli, che si asseriscono operati ad intercessione del Ven. Servo di Dio Giuliano Maunoir, sacerdote professo della Compagnia di Gesù.

Martedì, 18 luglio 1950, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *preparatoria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù del Servo di Dio Pio X.

Martedì, 8 agosto 1950, nel Palazzo Apostolico di Castel Gandolfo, alla augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi, hanno dato il loro voto :

a) sul *tuto* per la beatificazione dei Ven. Servi di Dio :

1. Alberico Crescitelli, Missionario Apostolico, martire in Cina nel 1900.

2. Maria De Mattias, fondatrice delle Adoratrici del Preziosissimo Sangue ;

b) sui miracoli della Ven. Serva di Dio Margherita Bourgeois, fondatrice della Congregazione delle Suore di Nostra Signora ;

c) sull'eroismo delle virtù del Servo di Dio Pio X.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato nominare:

18 luglio 1950. L'Illmo e Revmo Monsig. Venturi Giosuè, *Promotore di Giustizia e Consultore della Saera Congregazione del Sant'uffizio.*

12 agosto ' 1950. Il Revmo Sac. Righetti Mario e i Revmi Padri D. Bernardo Capelle, dell'Ordine di san Benedetto, e Agostino Bea, della Compagnia di Gesù, *Consultori della Saera Congregazione dei Riti per la sacra Liturgia.*

15 » » S. E. Revma Monsig. Hudal Luigi, Vescovo tit. di Eia, gli Illmi e Revmi Monsignori Canestri Alberto e Staffa Dino, e il Revmo Padre Orlini Alfonso, dell'Ordine dei Frati Minori Conventuali, *Consultori della Sacra Congregazione del Concilio.*

:28 » » L'Illmo e Revmo Monsig. Dell'Acqua Angelo, *Sotto-Segretario Aggiunto della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

NECROLOGIO

10 maggio 1950. Monsig. Aftenie Basilio, Vescovo tit. di Pipiana.

"19 giugno » Monsig. Steck Leone Giovanni, Vescovo tit. di Ilio.

23 » » Monsig. Lanza Antonio, Arcivescovo di Reggio Calabria.

24 » » Monsig. Kelly Francesco M., Vescovo tit. di Nasai.

6 luglio » Monsig. Matheson Giovanni Alessandro, Vescovo di Aberdeen.

21 » » Monsig. Jacolino Filippo, Vescovo di Trapani.

2 agosto » Emo Sig. Cardinale **LAVITRANO LUIGI**, del titolo di S. Silvestro in Capite, Prefetto della S. Congregazione dei Religiosi.

» » » Monsig. Costa Alberto, Vescovo di Lecce.

» » » Monsig. Rolla Giuseppe, Vescovo di Forlì.

12 » » Monsig. Medori Vincenzo Bonaventura, Vescovo di Calvi e Teano.

14 » » Monsig. Simonetti Angelo, Vescovo di Pescia.

18 » » Monsig. McCarthy Giovanni, Vescovo di Sandhurst.

.26 » » Monsig. Gayet Paolo Aijiro, Vescovo di Nagpur.

An. et vol. XXXX11 29 Septembris 1950 (Ser. II, v. XVII) - N. *12*

ACTA APOSTOLICAE SEDIS
SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATAE MARIAE ANNAE A IESU DE PAREDES, VIRGINIS, IN VATICANA BASILICA DIE IX MENSIS IULII, A. MDCCCCL HABITA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime factam, per Advocatum Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Praefecto 8. Rituum Congregationis, Rmus D. Antonius Bacci, ab Epistulis ad Principes, Summi Pontificis nomine, haec respondit:

Placet utique Iesu Christi Vicario Mariae Annae a Iesu de Paredes, Quitensis civitatis liliOj Aequatorianae Nationis decori, supremos sanctitudinis decernere honores. Iam oraculum editurus est. Mentes ad Caelum voluntatesqüe erigamus, huiusque candidae virginis imaginem, novo fulgore coruscantis, ut nostri referant mores pro viribus contendamus.

Tum vero Summus Pontifex sedens eœ Cathedra Divi Petri sollemniter pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratum No-

strorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Mariam Annam a Iesu de Paredes Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, vicesima sexta nempe maii, inter Sanctas Virgines pia devotione recoli debere. In nomine Pa£g tris et Fi £g Iii et Spiritus £g Sancti. Amen.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII

Vitam considerantes angelicae huius virginis, quam in hac maiestate rerum hominumque celebritate Nobis licuit ad supremos evehere sanctitatis honores, haec peculiari modo opportunum ducimus vobis meditanda proponere: illibatum nempe eius animi candorem; eius paenitentiae studium innocentisque corporis afflictationes, quibus pro ceterorum salute impetranda quasi victimam se Deo obtulit; incensam denique erga omne genus miseriarum eius caritatem.

Virginitatem, quae « divina quaedam res est »/ inde a primis pueritiae annis, divina aspirante iuvanteque gratia intaminatam servavit; ac vix decennis, ex conscientiae suae moderatoris venia, privatim nuncupatis votis, caelesti Sponso consecratam voluit. Ac quandoquidem probe noverat hoc supernum donum quasi florem esse, qui in terrestri Ecclesiae viridario nascitur, sed perpetuo Caeli rore indiget, non modo saeculi pompas ac mundi oblectamenta aufugiebat, sed etiam — ut erat erga Deum, erga Deiparam Immaculatam sanctosque caelites pietate flagrans — longissimas protrahebat horas precando, meditando contempländoque. Quotiescumque vero eidem fas erat — erat autem saepissime — ad Eucharisticam accedere mensam, seseque divinae vitae Auctori arctissime coniungere, tum, potius

[1] DIDYM. *Alex., Contra Manich.,* 9; MIGNE, *P. O.* XXXIX, 1095.

quam puella, angelus videbatur, omniumque commovebat admirationem. Atque hinc egrediens, intimum, quo fervebat, religionis ardorem in aliorum animos profundere enitebatur, in eas praesertim adulescentulas, quibuscum consuetudine utebatur.

Quamvis autem, ut diximus, innocentiae integritate floreret, attamen ut ceterorum potius quam sua peccata expiaret, virginale corpus voluntariis afflictationibus, ac praesertim crebris extenuabat ieiuniis, asperis cruciabat ciliciis, flagellisque cruentabat acerrimas. Gravi onusta cruce iter Iesu Christi patientis per stationes sacras peragebat; ac Divini Redemptoris pie recolendo dolores, eumdemque amantem impense redamando, uberes profundebat lacrimas. Brevem carpebat somnum interdum numi, interdum supra nudos asseres, dum maiorem noctis partem, positis genibus ac mente animoque ad Deum erectis, supplicibus dabat precibus, vel caelestium rerum contemplationi.

Non omnes, nostris praesertim temporibus, hoc paenitentis vitae genus, ut oportet, intellegunt; non omnes, ut oportet, in honore habent; quin immo multi hodie id vel parvi pendunt, vel fastidio habent, ac prorsus neglegunt. At animadvertendum est post miserandum Adae casum, quo sumus omnes hereditaria labe infecti ac facile in vitiorum oblectamenta proni, paenitentiam omnino nobis necessariam esse, secundum illud: « Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis ».[2] Nihil enim magis valet ad túrbidos cohibendos animi motus et ad naturales appetitus rectae subiciendus rationi. Cum vero ex hoc certamine victores eluctando evadimus, etsi continenter debemus, Iesu Christi vestigiis insistentes, carnem nostram quodammodo crucifigere,[3] attamen suave nobis est in hac etiam mortali vita supernis illis perfrui gaudiis, quae tanto sunt terrenis voluptatibus maiora, quantum animus corpus exsuperat caelumqüe terram excedit. Habet siquidem paenitentia sancta, habent sui ipsius castigationes voluntarie susceptae caelestem quamdam dulcedinem, quam caduca ac fluxa bona impertire

[2] *luve,* XIII, 5.

[3] Cf. ***Qalat.,*** **V,** 24.

nequeunt. Id Anna Maria a Iesu de Paredes saepissime experta est; atque interdum, cum praesertim Dei amore proximorumque caritate compulsa, asperrimis in se poenis animadvertit, ut ceterorum expiar et labes, tum a sensibus ab alienata et in extasim rapta aliquid praecepit ac praegustavit sempiternae beatitatis.

Ita autem conformata ac divina gratia aucta, non suae tantummodo saluti consulere studuit, sed ceterorum etiam, quandocumque potuit. Etenim, cum longinquas praepediretur adire gentes, quibus evangelium — ut vehementer optabat — impertiret, eos omnes, quos obvios haberet, alloquio, exemplo virtuteque sua ad religionem, ad pietatem alliciebat; et ad rectum, vel ingrediendum, vel insistendum iter opportunis rationibus adhortabatur. Indigentium miserias largiter relevabat; infirmorum aegritudines leniebat; et cum publicae gravissimaeque ealamitates, ut terrae motus et pestilentiae, suos cives terrèrent atque excruciarent, quod humana ope efficere non poterat, id precando, expiando suamque offerendo vitam a Patre misericordiarum [4] impetrare suppliciter contendebat.

Habetis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, summis lineamentis adumbratam, sanctae huius virginis imaginem menti vestrae propositam. In eam mirabundi intueamini, ac pro peculiari cuiusque vestra condicione excelsam eius virtutem in vestros referre mores enitamini. Id efficiat praesertim animosa iuventus, quae hodie tot tantisque insidiis ac periculis circumvenitur; discat ab ea invicto animo ea omnia tolerare ac vitae potius iacturam facere, quam innocentiae candorem infeliciter maculare. Imprimisque Aequatoriana gens, Nobis sane carissima, avitas suas catholicae religionis glorias aemuletur, ac deprecatrice et auspice Maria Anna a Iesu de Paredes, nova Ecclesiae donet virtutis sanctitatisque exempla. Amen.

* Cf. ***II Cor.,* i,** 3.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

NIMPUOVENSIS
(IOMCHIAVENSIS)

A DIOECESIS NIMPUOVENSIS TERRITORIO PARS MERIDIONALIS SEPARATUR, QUAE IN NOVAM DIOECESIM ERIGITUR, IOMCHIAVENSEM APPELLANDAM ET CLERO SAECULARI SINENSI CONCREDITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesiasticas in catholico orbe circumscriptiones tales esse oportet, ut christifidelium necessitatibus quam aptius respondeant. Quo moti consilio, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositi, attento favorabili voto venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Barensis et in Sinis Internuntii Apostolici, precibus annuendum censuerunt venerabilis Fratris Andreae Ioannis Francisci Defebvre, Episcopi Nimpuovensis, qui iterum iterumque ab Apostolica Sede postulavit, ut suae dioecesis territorium, in civili et una simul ecclesiastica provincia Cechiamensi in Sinis situm, duabus distinctis partibus constans, quarum una ad septentrionem, altera vero ad meridiem dioecesis Taeceuvensis iacet, bipartiatur et nova exinde erigatur dioecesis alterius Pastoris concredenda regimini. Atque praecipue considerantes meridionalis istius dioecesis partem, ob suam ab Ordinario longinquitatem, qui in urbe Nimpuovensi in parte septentrionali sedem habet, non posse recte administrarf, atque ceterum per indefessum laborem constantemque zelum Evangelii Praeconum, Sodalium Polonorum Congregationis Missionis, adiuvantibus cleri saecularis sinensis presbyteris, non mediocre inibi catholicam religionem suscepisse incrementum, et missionalia opera multiplicata esse, re mature perpensa, partem illam meridionalem Nimpuovensis dioecesis, sex civiles subpraefecturas de *YungMa, Jüan, Pingyang, Taishun, Yuhwan* et *Yiotsing* complectentem, ab eadem Nimpuovensi dioecesi separandam putarunt eamque in novam dioecesim erigere et saeculari clero sinensi concredere decreverunt; Nos vero, de apostolicae Nostrae potestatis

plenitudine, hoc Patrum Cardinalium decretum, referente Nobis dilecto Filio S. Congregationis de Propaganda Fide a Secretis, hac ipsa die ratum habuimus et confirmavimus et novam dioecesim, quae a principe subpraefecturae civilis *Yunghia* urbe « Iomchiavensis » nuncupabitur, erigimus et constituimus et saeculari sinensi clero regendam concredimus. Novam insuper hanc dioecesim metropolitanae Ecclesiae Hamceuvensi sufifraganeam constituimus eiusque pro tempore Episcopos metropolitico Archiepiscopi Hamceuvensis iuri subiectos volumus. Episcopi vero sedem in praefata principe urbe (vulgo *Yunghia* seu *Wenchow)* statuimus et eius cathedram in ecclesia inibi exstante, Deo in honorem S. Pauli Apostoli dicatam figimus. Omnia itaque iura, privilegia, honores, insignia et gratias tum eidem urbi *Yunghia,* ad civitatis episcopalis evectae dignitatem, tum praefatae Ecclesiae S. Pauli, ad cathedralis gradum elatae, tum Episcopis pro tempore lomchiavensibus ad iuris tramitem tribuimus, nosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri Antistites adstringuntur. Indulgemus insuper ut, attentis locorum et temporis huius adiunctis, pro Canonicorum Capitulo dioecesani consultores ad iuris normam eligantur et adhibeantur. Ad novae porro dioecesis stabilitatem tuto ac firmiter procurandam, praecipimus ut parvum saltem Seminarium pro iuvenibus in spem Ecclesiae instituendis quamprimum erigatur. Episcopalem insuper mensam constituent congrua pars redituum et bonorum, ad Nimpuovensem dioecesim hactenus pertinentium, nec non fidelium oblationes et Curiae emolumenta. Quod vero ad eiusdem dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi attinet, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus insuper ut omnia documenta et acta, novam hanc dioecesim respicientia, a dioecesis Nimpuovensis Curia ad dioecesis Iomchiavensis Cancellariam quam primum transmittantur ut in huius archivo diligenter serventur. Ad quae omnia exsecutioni, mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Sinis Internuntium, vel illum, qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praesit, deputamus et ipsi facultates necessarias et opportunas tribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum eidemque onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide cum primum fas erit transmittendi. Has igitur Nostras

Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere et illis ad quos spectat in omnibus plenissime suffragari volumus et statuimus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Volumus insuper ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem habeatur fides, quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Nulli ergo hominum hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei ausu temerario contraire liceat. Si quis vero id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die tertia Martii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
P. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. 82. -

Al. Trussardi.

II

AFRICAE OCCIDENTALIS DITIONIS BRITANNICAE

HIERARCHIA EPISCOPALIS IN APRICA OCCIDENTALI DITIONIS BRITANNICAE CONSTITUITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laeto accepimus animo in Africa Occidentali Britannicae ditionis, quondam omni humano cultu et evangelica luce penitus carente, catholicam fidem, postremis praesertim his temporibus, per indefessum et quandoque heroicum Dei verbi Praeconum laborem, nec non indigenae cleri in aciem subcrescentis sedulam industriam, non mediocre suscepisse incrementum et haud dubios, favente Numine, profectus esse susce-

pturam. Quod quidem considerantes venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praepositi, propositionem approbantes venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia, qui pro hierarchia episcopali in regione illa instituenda enixis instabat precibus, in plenariis comitiis die tertia proxime elapsi mensis Aprilis, omnibus mature perpensis, ac certa scientia, episcopalem hierarchiam in Africa illa Occidentali ditionis Britannicae prout-sequitur erigendam decreverunt: Tres itaque ecclesiasticae provinciae constituuntur ; quarum prima erit *Provincia Ecclesiastica Nigeriae Orientalis et Cameroon Britannici,* cuius Ecclesia Metropolitana erit *Onitsfiaënsis* et Ecclesiae Suffraganeae erunt *Owerriensis, O alabar ensis* et *Bueaënsis;* altera erit *Provincia Ecclesiastica Nigeriae Occidentalis,* cuius Metropolitana Ecclesia erit *Lagosensis* et Ecclesiae Suffraganeae erunt *Ondoënsis* (iam Vicariatus Apostolicus Ondo-Ilorinensis) et *Urbis Beninensis* (iam Vicariatus Apostolicus Asaba-Beninensis), tertia erit *Provincia- Ecclesiastica latoris Aurei* et *Togo Britannici,* in qua Metropolitana erit Ecclesia *Litoris Capitis* (hucusque Vicariatus Apostolicus a Litore Aureo) cui Ecclesiae *Accraënsis, Kumasiensis, Tamalensis* (iam Vicariatus Apostolicus de Navrongo) et *Ketaënsis* (iam Vicariatus Apostolicus de Volta Inferiore) erunt suffraganeae ; Vicariatus vero Apostolicus Sierrae Leonis in cathedralem evehitur, Apostolicae Sedi immediate subiectam, cui nomen erit *Liberae Urbis* et *Boënsis.* Quae omnes Ecclesiae tum Metropolitanae, tum Suffraganeae, tum postrema Sanctae Sedi immediate subiecta sub iurisdictione Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, uti antea, subicientur ; earum vero regimen, administratio et pastoralis cura iisdem Missionario-, rum societatibus erit, quibus hucusque fuit, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum. Tribus autem, quas memoravimus, ecclesiasticis provinciis una cum suis metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis, uti supra erectis et constitutis, Archiepiscopi seu Episcopi sedes in locis, a quibus unaquaeque archidioecesis vel dioecesis nomen mutuatur, constituetur; Antistitis vero cathedra in ecclesia erit quae hucusque princeps habebatur in quoque Vicariatu, ad archidioecesis seu dioecesis gradum et dignitatem nunc evecto. Quae omnia a S. Congregatione de Propaganda Fide uti supra disposita et constituta, Nos, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, audito hac ipsa die dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinale eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, rata habemus et confirmamus ac propterea tres praefatas ecclesiasticas provincias, harumque metropolitanas et cathedrales

Ecclesias harum Litterarum vi uti supra erectas et constitutas declaramus. Singulis autem novis istis Metropolitanis seu Cathedralibus Ecclesiis earumque pro tempore Antistitibus omnia tribuimus iura et privilegia, honores, insignia et favores, quibus ceterae per orbem Metropolitanae seu Cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur ; itemque omnia ipsis onera et obligationes imponimus, quibus ceteri obstringuntur; Archiepiscopis porro peculiarem concedimus facultatem Crucem ante se deferendi et sacro Pallio iuxta liturgicas leges utendi, postquam tamen istud in sacro consistorio ab Apostolica Sede postulatum et obtentum fuerit. Cum autem locorum et huius temporis adiuncta haud permittant quominus in novis istis dioecesibus Canonicorum Capitulum modo erigatur, indulgemus ut pro Canonicis dioecesani consultores, e clero sive saeculari sive regulari, ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Episcopalem insuper mensam uniuscuiusque dioecesis constituent, praeter bona iam ibi exsistentia, fidelium oblationes et Curiae emolumenta. Ad iuvenum autem in spem Ecclesiae succrescentium institutionem volumus ut dioecesanum seminarium, ubi iam non exstet, cum primum fieri potuerit, erigatur iuxta codicis iuris canonici praescripta et S. Congregationis de Propaganda Fide normas traditas. Quod vero ad earumdem novarum dioecesium regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi attinet, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt.

Volentes insuper Nos quas supra erectas dioeceses suis instruere Pastoribus, venerabiles Fratres dignissimus Praesules, qui usque nunc in sibi creditis Vicariatibus Apostolicis tam sedulam catholicae fidei provehendae curam contulerunt, Archiepiscopos seu Episcopos suae cuiusque sedis renunciamus et constituimus, ac proinde de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a vinculo absolvimus Ecclesiarum episcopalium, quarum titulos una cum Vicariatu hucusque tenuerunt, et ipsis earumdem novarum Ecclesiarum curam, regimen et administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus plenarie committimus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus suo cuique pastorali muneri inhaerentibus. Transferimus igitur: 1) venerabilem Fratrem Carolum Heerey a titulari Ecclesia Balanensi ad metropolitanam Ecclesiam Onitshaënsem ; 2) venerabilem Fratrem Ioseph Brendanum Whelan a titulari Ecclesia Tidditana ad cathedralem Ecclesiam Owerriensem ; 3) venerabilem Fratrem Iacobum Moynagh a titulari Ecclesia Lambaesitana ad cathedralem Ecclesiam Calabarensem ;

4) venerabilem Fratrem Petrum Bogan a titulari Ecclesia Acmoniensi ad cathedralem Ecclesiam Bueaënsem ; 5) venerabilem Fratrem Leonem Taylor a titulari Ecclesia Vartanensi ad metropolitanam Ecclesiam Lagosensem ; 6) venerabilem Fratrem Thomam Hughes a titulari Ecclesia Neptensi ad cathedralem Ecclesiam Ondoënsem ; 7) venerabilem Fratrem Patritium Ioseph Kelly a titulari Ecclesia Thignicensi ad cathedralem Ecclesiam Urbis Beninensis; 8) venerabilem Fratrem Gulielmum Thomam Porter a titulari Ecclesia Urusitana ad metropolitanam Ecclesiam Litoris Capitis ; 9) venerabilem Fratrem Adulphum Noser a titulari Ecclesia Capitoliensi ad cathedralem Ecclesiam Accraënsem ; 10) venerabilem Fratrem Hubertum Ioseph Paulissen a titulari Ecclesia Pomariensi ad cathedralem Ecclesiam Kumasiensem ; 11) venerabilem Fratrem Gerardum Bertrand a titulari Ecclesia Abitinensi ad cathedralem Ecclesiam Tamalensem ; 12) venerabilem Fratrem Ioseph Geraldum Holland a titulari Ecclesia Ammaedarensi ad cathedralem Ecclesiam Ketaënsem; 13) venerabilem Fratrem Ambrosium Kelly a titulari Ecclesia Altavensi ad cathedralem Ecclesiam Liberae Urbis et Boënsem. Volumus vero ut omnes Vicarii Apostolici ad metropolitanas vel ad cathedrales Ecclesias e titularibus Ecclesiis ita translati, antequam suae sedis canonicam capiant possessionem fidelitatis iuramentum in manibus alicuius, quem maluerint, catholici Antistitis, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentis, iuxta statutam formulam praestent, huiusque exemplar, sui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munitum, ad S. Congregationem de Propaganda Fide quam primum transmittant; a catholicae autem fidei professione renovanda eos suprema auctoritate Nostra dispensamus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegatum Apostolicum vel illum qui in exsecutionis actu Delegationi praesit, deputamus eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus imponimus ad praefatam S. Congregationem de Propaganda Fide omnium actorum peractae exsecutionis exemplar, quam primum fas erit, transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis

vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quod spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Eomanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus, per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die duodevicesimi Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus

f Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc, *Dec. Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. 45. - Al. Trussardi.

III

DE HUNGTUNG

(HOMTOMENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE HUNGTUNG IN SINIS IN DIOECESIM ERIGITUR, HOMTOMENSEM NOMINE.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad episcopalis hierarchiae in Sinis institutionem persequendam, quam Apostolicis sub plumbo Litteris *Quotidie Nos,* undecima die Aprilis mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto datis, incepimus, sane congruum visum est Praefecturam Apostolicam de Hungtung, quae postremis hisce annis per sollertes cleri saecularis sinensis, cui commissa est, curas non mediocre in catholica religione provehenda, Deo favente^ suscepit incrementum, ad dioecesis gradum et dignitatem extollere. Venerabiles itaque Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacro Consilio a Fide Propaganda praepositi, precibus annuentes venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Darensis, in Sinis Internuntii Apostolici, in generalibus comitiis die tertia vertentis mensis habitis, omnibus mature perpensis, ac certa scientia, ut meritae laudis testimonium quoque detur cleri saecularis sinensis praesbyteris inibi adlaborantibus et animus simul addatur ad novos maioresque in dies exantlandos labores, facultatibus utentes sibi a Nobis concessis per totum hunc iubilarem annum valituris, Apostolicam quam supra diximus Praefecturam de Hungtung in dioecesim, iisdem ac antea limitibus circumscriptam, nomine vero *Homtomensem* ab illius urbe principe *Hungtung* appellandam, extulerunt et erexerunt. Dioecesim sic constitutam suffraganeam metropolitanae Ecclesiae Taeiuenensi constituerunt ; Episcopi vero sedem in praefata *Hungtung* urbe flxerunt, quae proinde ad civitatis episcopalis gradum et dignitatem evehitur ; Antistitis autem cathedram in ecclesia inibi exstante, quae eiusdem urbis habetur princeps, statuerunt.

Quum vero locorum et temporis adiuncta haud permittant quominus capitulum cathedrale modo erigatur, indulserunt ut pro canonicis ad iuris tramitem consultores dioecesani eligantur et adhibeantur. Ad novae porro dioecesis stabilitatem tuto firmiterque procurandam praeceperunt ut seminarium continuo habeatur pro iuvenum in spem Ecclesiae succrescentem institutione. Dioecesis autem episcopalis mensam praeter Praefecturae bona iam existentia, oblationes fidelium, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, nec non Curiae emolumenta constitui decreverunt. Nos vero omnia uti supra a Sacra Congregatione de Propaganda Fide statuta et decreta suprema auctoritate Nostra rata habemus et confirmamus ac proinde novam dioecesim Homtomensem harum Litterarum vi erectam et constitutam decernimus et declaramus. Eidem igitur Cathedrali Ecclesiae eiusque pro tempore Episcopis Homtomensibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia et gratias, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quod autem attinet ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Ad omnia vero quae hisce Litteris disposita et constituta sunt exsecutioni mandanda, venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Sinis Internuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praesit, deputamus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quamprimum transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus atque decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Nemini ergo hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, confirmationis, concessionis, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare»

praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die decima octava Aprilis mensis, Pontificatus Nòstri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus

Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

Reg. in Cane. Ap.. vol. LXXIX, n. ßS. - Al. Trussardi.

IV

SYEACUSANA

(RAGUSIENSIS)

A SYRACU SANAE ARCHIDIOECESIS TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM, RAGUSIENSEM NUNCUPANDAM : QUAE TAMEN ARCHIDIOECESI IPSI SYRA CU SANAE AEQUE PRINCIPALITER PERPETUO UNITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad dominicum gregem satius pascendum faciliusque regendum Romanus Pontifex novas dioeceses constituere, pro supremo sibi divinitus-concredito munere, satagit, si id necessarium seu maxime opportunum duxerit. Quum itaque Archidioecesis Syracusana, per interiectam dioecesim Netensem in duas sit partes divisa, quarum una ab altera seiuncta ac separata exstet ; cumque disiecta territorii pars, quae septem magnis constat oppidis et Ragusiam urbem veluti centrum habet, nimis ab archiepiscopali sede ita distet ut Syracusanus Archiepiscopus disperdito suo gregi, uti muneris est, nequeat advigilare eiusque necessitatibus consulere et oves suas frequenter visitare easque contra errorum perniciem peropportune communire; cumque insuper sacerdotibus ac fidelibus ibi degentibus difficile evadat cum proprio Pastore crebrius ^communicare ob grave itinerum impendium viarumque difficultates,.

enixae ad Apostolicam Sedem delatae sunt preces ut pars illa archidioecesis Syracusanae territorii in novam erigatur dioecesim. Postremis autem hisce annis cum in territorio illo nova constituta sit provincia civilis, cuius caput est Ragusia urbs, impensiores eadem de causa ad Nos postulationes pervenerunt, necessitates christifidelium ibidem commorantium deferentes. Feliciter simul contigit ut nonnulli Ragù sien ses cives per testamentum vel syngrapham bona aliquot, oblationes et subsidia ad novam erigendam dioecesim suppeditaverint, immo amplia aedificia concesserint, quae ad episcopales aedes, ad Curiae episcopalis oflScia et ad dioecesanum Seminarium constituendum inserviant.

Quae omnia Nos perpendentes, et praecipue spirituali illius regionis fidelium curae providere cupientes, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus et Ecclesiasticis Extraordinariis praepositorum consilio, oblatis Nobis precibus libenter annuere censuimus.

Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ea quae sequuntur statuimus et decernimus.

1. Totum territorium, quod est intra limites actualis provinciae civilis Ragusiensis et ad ecclesiasticum archiepiscopi Syracusani regimen pertinet, septem oppida, quae vulgo audiunt *Ragusa, Acate, Chiaramonte Gulfi, Comiso, Monterosso, #. Croce Camerina, Vittoria,* comprehendens, ab archidioecesi Syracusana una simul cum omnibus paroeciis in oppidis illis exstantibus, distrahimus et in novam erigimus dioecesim, *Ragnsiensem* nuncupandam.

2. Dioecesim hanc ita noviter erectam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Syracusanae, eamdemque aeque principaliter perpetuo unimus Ecclesiae Syracusanae, ita ut illa iurisdictioni, regimini atque administrationi subsit Antistitis Syracusani, qui exinde Archiepiscopus Syracusanus et Episcopus Ragusiensis nuncupabitur. Proinde venerabilis Frater Hector Baranzini, hodiernus Archiepiscopus Syracusanus, harum earumdem Litterarum vi, posthac Archiepiscopus Syracusanus et Episcopus Ragusiensis habeatur et sit. Ad novam vero dioecesim Ragusiensem aptius utiliusque regendam, eidem Syracusano et Ragusiensi Antistiti Episcopus dabitur Auxiliaris, qui in urbe Ragusia habitualem habebit residentiam, cum munere Vicarii Generalis.

3. Novae dioecesis sedem Ragusiae statuimus, quae civilis provinciae eiusdem nominis est caput, sacrarum aedium et monumentorum splendore, civium frequentia, cultu et pietate potissimum commendatae.

4. Ecclesiam porro Deo in honorem S. Ioannis Baptistae dicatam, in qua paroecialia officia exercentur, ad Cathedralis Ecclesiae dignitatem et gradum evehimus, eodem titulo et invocatione, paroeciali officio servatis; eidemque omnia tribuimus iura, honores, insignia, favores, gratias, privilegia, quibus ceterae cathedrales ecclesiae earumque Praesules iure communi pollent.

5. Capitulum autem Canonicorum, ad sacrorum canonum normam, quam primum constituendum statuimus.

6. Mandamus insuper ut, quam primum fieri poterit, Seminarium dioecesanum iuxta Iuris Canonici praescripta et normas a S. Congregatione de Seminariis et Universitatibus Studiorum traditas erigatur.

7. Quod vero ad huius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servari iubemus quae sacri canones praescribunt.

8. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso Clerici eidem Ecclesiae censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt.

9. Episcopalem novae huius dioecesis mensam constituent Curiae emolumenta et oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est praeberi solent, praeter illa quae ad hunc finem iam collecta et apparata sunt.

10. Iubemus demum ut documenta omnia et acta, novam istam dioecesim eiusque clericos et fideles respicientia, a Cancellaria archidioecesis Syracusanae, quam primum fas erit, dioecesis Ragusiensis Curiae tradantur, in huius archivo religiose servanda.

Ad quae omnia exsequenda deputamus dilectum Filium Nostrum Ernestum S. R. E. Cardinalem Ruffini, Archiepiscopum Panormitanum, cum potestate subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, cumque facultate dirimendi controversias, si quae in exsecutionis actu oriturae sint, eidemque onus imponimus, omnibus ut supra peractis, ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quamprimum transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac pote-

statis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, unionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et volutatis Notrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die sexta Maii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. *Collegii Decanus*

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Lu do vicus Kaas, *Proton. Apost.*
Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*

Loco ££ Plumbi

Rea. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. SS. - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

SANCTUS GERARDUS MAIELLA, C, CORATENSIS CIVITATIS, INTRA FINES TRANENSIS ARCHIDIOECESIS POSITAE, CAELESTIS PATRONUS AEQUE PRINCIPALIS CUM SANCTO CATALDO DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Simplices sicut columbae» asseclas suos esse voluit Christus Dominus et reapse multi « in simplicitate cordis » ad altissimam pervenerunt sanctitatem, quin immo, « quasi stellae in perpetuas aeternitates » fulgentes, multos in eadem etiam nunc « erudiunt ». Fulget sane clareque micat Juvenis ille, Gerardus Maiella, qui, Christi vestigiis arcte inhaerens, sancti Episcopi et Ecclesiae Doctoris Alfonsi Mariae de Ligorio disciplinae et institutioni humillime subiectus, Deum quam maxime colendo, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum impensissime adorando, Mariam Virginem sicut Matrem amando, in sanctitudinis semitis mirabiliter profecit multisque claruit portentis. Nec illi, a tanto Magistro ac Patre edocto, peculiaris erga Apostolicam Petri Cathedram Romanumque Pontificem observantia defuit, quae contra ipsius aetatis nefarias novatorum doctrinas constans ac praecipua et Conditoris et eiusdem Congregationis a Sanctissimo Redemptore nuncupatae laus fuit atque gloria. Haud mirum proinde, si tanta sanctitatis altitudo, tanta mentis simplicitas animique demissio impensam apud fideles excitaverint pietatem aestuantemque Fidem. Quas quidem iugiter ostenderunt hodieque ostendunt, prout Nobis innotuit, incolae civitatis « Corato », in Tranensi Archidioecesi, qui, Religiosis Viris e memorata Congregatione, iam inde a saeculo xviii, praeeuntibus ac moderantibus, ipsum sanctum Gerardum Maiella, una cum sancto Cataldo, veluti Caelestem Patronum pie colunt. Quibus rebus mature perpensis, Venerabilis Frater Reginaldus Ioseph Maria Addazi, Archiepiscopus Tranensis et Barolensis nec non Nazarenus atque Administrator perpetuus Vigiliensis Ecclesiae, impensa non modo civium, sed etiam amplissimi Ecclesiae Cathedralis Canonicorum Collegii, utriusque Cleri nec non summi Civitatis Moderatoris vota excipiens, enixas Nobis deprompsit preces ut Sanctum Gerardum Maiella Coratensis civitatis Compatronum benigne riteque renuntiare dignaremur. Nos vero, certa spe freti Coratensem populum contra infensas cum « materialismi » tum « protestantismi » doctrinas, per Italicas quoque plagas hisce vel nostris

temporibus impie grassantes, eiusdem sancti Iuvenis exemplis et patrocinio in avita fide confirmatum iri, huiusmodi supplicationibus annuendum perlibenter censuimus. Audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Gerardum Maiella Coratensis civitatis, intra fines Archidioecesis Tranensis positae, Caelestem Patronum aeque principalem, seu Compatronum, una cum Sancto Cataldo, facimus, declaramus atque constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xxvin mensis Octobris, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOIA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

BASILICAE MINORIS HONORIBUS DECORATUR TEMPLUM B. MARIAE VIRGINIS DE MERCEDE, IN CIVITATE VULGO DICTA ((JEREZ DE LA FRONTERA)) INTRA FINES ARCHIDIOECESIS HISPALENSIS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quidquid ad divinum fovendum cultum pietatemque in Almam Deiparam Mariam auctitandam a Romanis Pontificibus sapienter est institutum, servantes, sacras Aedes, quas apud Christianam plebem singulari esse in honore novimus atque pretio, titulis quoque ac privilegiis solemus decorare. Harum in numerum merito referendum videtur Templum Beatae Mariae Virgini in civitate, « Jerez

de la Frontera » quam appellant, intra fines Hispalensis Archidioeceseos, dicatum, quod anno **MDXV** eo structurae genere, quod Gothicum vocitant, est conditum atque a Sodalibus Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede sedula cura custoditur. Quam quidem Ecclesiam Christifideles e finitimis quoque regionibus turmatim solent adire ut, iniqua pressi fortuna doloribusque quibuslibet vexati, divinae largitatis pie supplicent Sequestrae. Quo ergo tanta Dei Genetricis religio majora in dies caperet incrementa atque Templum, quod diximus, potioris fulgeret honoris ornamento, dilectus filius hodiernus Prior coenobii Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede, eodem in loco, impensis a Nobis precibus flagitavit, ut Aedem illam Basilicam Minorem renuntiare dignaremur. Nos autem, illustria ejus praeconia reputantes atque cultum Caeli Reginae magis magisque provehere cupientes, huiusmodi vota, Dilecti Filii Nostri Petri Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Segura y Sáenz, Archiepiscopi Hispalensis, amplissimo commendationis ofiicio suffulta, animo libenti decrevimus explere. Quapropter, collatis consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam Ecclesiam Beatae Mariae Virginis de Mercede, in civitate vulgo dicta « Jerez de la Frontera », intra fines Archidioeceseos Hispalensis exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afiicimus ac decoramus, omnibus juribus ac privilegiis adjectis quae Templis, hoc honore insignibus, rite competunt. Contrariis quibuslibet non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xi mensis Novembris, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae Negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

ECCLESIA CATHEDRALIS DIOECESEOS PUTEOUANAE TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DITATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Mtore caeli ut sub meridie serenissimi collustratam;, pelagus urbem Puteolanam demulcet, quam ut « litora mundi hospita» majorum nostrorum aetas efferebat. Totius enim orbis commercia amoenus ejus et accommodus excipiebat portus, unde Urbi, cunctis fere gentibus imperanti, omnis rerum copia suppeditabatur. Hoc autem nomine emporium istud, frequens ac nobile, inclaruit magis, quod vel primis Ecclesiae temporibus in eo est constitutum Crucis salutiferae vexillum. Namque probe scimus Sanctum Paulum Apostolum, Romam iter facientem, eodem appulisse, « ubi inventis fratribus », rogatus est ut maneret apud eos dies septem. Praeterea, saeviente impiorum rabie, plures huius urbis cives, divina dogmata effuso sanguine firmantes, pulcherrima tulisse trophaea historiae prodiderunt. Huic igitur Fidei Christianae stationi antiquissimae inde a saeculo quarto sua erat Ecclesia Cathedralis, Sancto Stephano dicata, in cuius locum suffecta sunt octavo Templum Sanctissimae Trinitatis atque, post annum millesimum, eodem honore insignis, Aedes Sancto Proculo, Puteolano Martyri, sacra, expurgato ibi vetere f ano quod L. Calpurnius divis Romae et Augusto excitarat. Hodierna denique Ecclesia princeps, supra parietinas prisci Templi Christiani exstructa ab integro, de summitate urbis prominet, columnis, secundum morem Corinthium excisis, atque contignatione prioris delubri ab exteriore parte manifesto honestata. Mediam eiusdem Aedis portam, arte, quae « Baroca » audit, expolitam admodum, magni omnes faciunt neque minus aulam, satis productam et sublimem, propter decus eximium atque formam demirantur, unde haud perperam factum est ut moles haec egregia publicis Italicae nationis accenseretur monumentis. Singula quaeque persequentes, altare maius ceterasque aras, ábsida, thronum Episcopi, affabre compositum, quae marmore vario omnia renident, suggestum, genere « Romanico », quod dicunt, sane conspicuum, organum quoque pergrande ac durateis signis eisque inauratis, rutilans, maxime commendant ; in sacello Augusti Sacramenti, specie et splendore affluente, Tabernaculum, gemmarum fulgore coruscans, praedicant, quod quidem columellis suffulcitur e lapide caesio. Ceterum Imagines, sive scalpro fictae sive coloribus exprès-

sao, quae in Templo hoc cernuntur, in haud mediocre eius ornamentum vertunt atque laudem. Quae Aedes, titulo Beatissimae Virginis Mariae in caelos assumptae, dedicata, sacris etiam ritibus illustris est, ad quos duodecim Canonici aliique Sacerdotes ministerio assiduo incumbunt ; memoratu dignum festum Sancti Proculi, magna vi Clericorum ac Christifidelium celeberrimum, sollemni pompa atque caerimonia die decima sexta mensis Novembris ibidem recoli quotannis. Quibus omnibus perpensis, votis quoque obsecundans Canonicorum Collegii, Presbyterorum, piarum sodalitatum ab Actione Catholica, urbis moderatorum omnisque populi, Venerabilis Frater Alfonsus Castaldo, Episcopus Puteolanus, humiles ad Nos preces detulit, ut Ecclesiam Cathedralem, quam diximus, dignitate Basilicae Minoris condecorare dignaremur. Nos autem, quo Fides, antiquitus recepta, apud eius loci incolas reviresceret etiam, Beatissimae Matris Mariae cultus maiora in dies caperet incrementa Temploque huic venerando plus accederet honoris, supplicationes eiusmodi libenter et ultro statuimus admittere. Quapropter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno et Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem dioeceseos Puteolanae honoribus et privilegiis *Basilicae Minoris* afficimus ac cumulamus. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere Ecclesiaeque Cathedrali Puteolanae memoratae nunc et in posterum plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xxv mensis Novembris, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium recens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

SANCTUS IOANNES BAPTISTA DE LA SALLE, C, OMNIUM MAGISTRORUM PUERIS ADULESCENTIBUSQUE INSTITUENDIS PATRONUS CAELESTIS PRAECIPUUS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoria. — Quod ait Sanctus Bonaventura, « ille solus verus est doctor, qui potest speciem imprimere et lumen infundere et virtutem dare cordi audientis », cogitatione et mente hisce temporibus vel maxime est complectendum, quibus disciplinam puerilem non solum a morum conformatione saepenumero videmus alienam, sed etiam, si Dei religionisque accedit despectio, ad animarum perniciem interdum plurimum valere. Itaque Sancta Mater Ecclesia sollicito amore eos prosequitur, quorum est adulescentes ad humanitatem instituere, quippe cum ex illis civitatis Christianae salus et incrementum pendeant non parum. Atque exstitit vir, sanctitatis et ingenii laude apprime commendatus, Joannes Baptista de La Salle, qui ipse ac per Sodalitatem a se conditam pueros optimis formavit et adhuc format praeceptis atque institutis, quique eo est progressus, ut in studiorum domiciliis, « Séminaires de maîtres d'école pour la Campagne » nuncupatis, ludi magistros ad tam grave munus, praesertim inter rústicos exsequendum, rite compararet; unde huiuscemodi scholas, e quibus magistri ipsi proficiscuntur, et quae jam ubique in valuerunt, iure meritoque répétas ab illo. Ceterum praeclarus idem artis educandi auctor officium docendi tanti aestimavit, ut Sodales, quorum Pater erat, sacerdotio nollet initiari, ne a disciplina avocarentur, immo hanc sentiret multum posse ad virtutem atque sanctitatem. Ut ergo ii qui pueros et adulescentes doctrina erudiunt, vel hanc vitae viam ingrediuntur, habeant e quo similitudinem ducant, quemque intuentes, ipsius mores eflängant imitando et exprimant, Institutum Fratrum Scholarum Christianarum per Postulatorem Generalem enixas ad Nos preces detulit, ut Sanctum Ioannem Baptistam de La Salle, quinquagesimo etiam expleto anno e quo a fel. mem. Leone Pp. XIII. Decessore Nostro, inter Sanctos est relatus, omnium Magistrorum, utriusque sexus, ordinis ecclesiastici vel laicorum, sive in hoc munere versentur sive ad id ineundum studia exerceant, Caelestem apud Deum Patronum renuntiare dignemur. Nos autem, Christianae institutioni iuventutis primas partes tribuendas esse rati, quo ii, quibus puerilium animorum tractatio est mandata vel qui ad hoc vitae genus persequendum informantur, potiorem causam habeant et invitamentum, ut

tanto officio secundum religionem atque fidem satisfaciant, haec vota ita volumus explere ut quae libentissime. Quapropter, collatis consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Sanctum Ioannem Baptistam de La Salle, Confessorem, omnium Magistrorum pueris adulescentibusque instituendis Praecipuum apud Deum Caelestem Patronum constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere : suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contingerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Maii, in festo Sancti Ioannis Baptistae de La Salle, anno **MCML.** Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. HENRICUM TIT. S. PETRI IN MONTE AUREO S. R. E. PRESB. CARDINALEM PLA Y DENIEL, ARCHIEPISCOPUM TOLETANUM, QUINQUAGESIMUM SACERDOTII ANNUM FELICITER IMPLETURUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Ea quidem sacrorum Antistitibus identidem eveniunt, quae quum sint ipsa laetitiae plena fidelesque ad publicas gratae studiosaeque voluntatis suae

significationes mirifice inceiidant, quasdam veluti requietis solaciique moras quotidianae vitae euris laboribusque interponunt. Hasce profecto opportunitates ille habet natalis tuus, quem agnovimus in medium Iulium mensem proximum incidere, quinquagesimus videlicet sacerdotalis muneris; cuius sane eventi faustitatem Nosmet secundis votis augere exoptamus. In comperto enim est, quam multa, quam praeclara in animarum bonum atque profectum hoc haud brevi temporis intervallo perfeceris. Ipse, in alma hac Urbe sacris litteris doctrinisque expolitus ac sacerdotio initiatus, aetate florens in patrio Seminario Barcinonensi sacros alumnos docuisti et quaestionibus socialibus peculiaria studia et sollicitudines impendisti, moderamen quoque commentarii hebdomadalis ((EI Social » alacriter sustinendo. Deinde episcopali dignitate exornatus, primo quidem in dioecesi Abulensi, tum in Salmantina, denique in praenobili ista sede Toletana, pastorali fungens officio, singulari inbubuisti cura in opificum praesertim utilitatem, in constituendas sodalitates Actionis Catholicae, cuius fuisti impiger praeco et fautor, cuiusque etiam pro universa Hispania regimen suscepisti. Praeclarae autem tuae ducitur laudi, Salmaticensem Universitatem, inlustre bonarum artium domicilium, denuo aperuisse, Seminarium clericorum Toletanum pluresque ecclesias aedesque paroeciales, infando civili bello deletas, iterum aedificasse, aliasque, infestis telis vulneratas, ad pristinum splendorem restituisse. Neque id minus in doctrinae munerisque pastoralis laude ponendum, quod plura edidisti opera ad religionem populi fovendam, ad rerum historiam et disciplinas philosophicas illustrandas. Tibi igitur, Dilecte Fili Noster, de tam diuturno ac frugifero sacro ministerio vehementer gratulamur optamusque, ut proximi eventus celebratio te sinat communis laetitiae significationibus in Domino frui et in spem uberrimae a Domino mercedis erigat. Interea tibi facultatem libenter damus, ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, peculiaribus servatis normis ad Sacrum Iubilaeum attinentibus. Superni denique praesidii conciliatrix praecipuaeque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque clero ac populo tuae vigilantiae tradito, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxrx mensis Iunii, in festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

II

AD REV. P. FRIDERICUM SCHWENDIMANN, S. I., MODERATOREM GENERALEM DELEGATUM CONSOCIATIONIS AB APOSTOLATU ORATIONIS: OB « CRUCIATAM PRECUM PIORUMQUE POENITENTIAE OPERUM » IN SACRUM VERTENTEM ANNUM AB EADEM CONSOCIATIONE INDICTAM.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Non sine peculiari animi delectatione agnovimus, consociationem istam ab Apostolatu Orationis in Sacrum vertentem Annum, Nostris monitis studiose obsequentem, indixisse veluti « Cruciatam precum piorumque poenitentiae operum », ut divinae misericordiae generi humano, tot conflictationibus dilaniato angustiisque graviter laboranti, copiosiores arcessantur. Omnes autem, qui sacrum eiusmodi certamen inire volunt, curare praesertim debent, ut semel saltem in hebdomada sacrificio Missae intersint deque altari libent, quam Communionem reparatricem vocant, et Mariale Rosarium, quantum fieri potest collecta domi familia, quotidie recitent. Iam vero ex omnibus partibus terrarum orbis, ut libentissime accepimus, non modo ii, qui Apostolatui Orationis inscripti sunt, sed bene multi e ceteris fidelibus pio supplicationum certamini hilares nomen dederunt. Itaque multis in regionibus ipsis cohortantibus sacrorum Antistitibus sociisque Actionis Catholicae enixe adiuvantibus, maiore frequentia et impensior e studio religionis pietatisque officia celebrantur, praecipue in honorem sacrorum Cordium Iesu et Mariae, quae, quasi pacis et caritatis vexilla, sunt omnibus gentibus ostensioni attollenda. Dum igitur de fructibus hucusque perceptis tibi cunctisque ab Apostolatu Orationis sodalibus ex animo gratulamur, firmiter fore confidimus, ut plura alia fidelium agmina in generosum precationum expiationisque operum certamen quam primum alacriter descendant. Hoc enim consequendis finibus a Nobis per Annum Sacrum propositis plane ac mirifice respondet. Qua quidem laetissima spe erecti, in auspicium caelestium donorum, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque consiliorum laborumque sociis et universis « Cruciatae precum » adscriptis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die i mensis Iulii, in festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri •duodecimo.

PIUS PP. XII

III

AD PARTICIPANTES CONVENTUI XXI UNIVERSALI SODALITATIS, CUI NOMEN ((PAX ROMANA)), AMSTELODAMI COADUNATOS.

A Nos chers Fils et chères Filles du Congrès Mondial de Pax Romana. — Nous venons à vous avec joie, chers Fils et chères Filles qui, sous la présidence du Cardinal Archevêque d'Utrecht, êtes assemblés dans l'antique cité d'Amsterdam pour le XXI[ème] Congrès Mondial de Pax Romana. Et Notre première parole sera pour invoquer sur les travaux que vous inaugurez l'abondance des dons spirituels de lumière et de force!

Aujourd'hui, en effet, votre titre d'étudiants et d'intellectuels catholiques est lourd de responsabilités, comme il le fut rarement au cours de l'histoire; et c'est pourquoi, dans le pacifique combat pour la défense et le rayonnement de la vérité, Nous voux exhortons, selon les termes mêmes de l'Apôtre, ((à tenir bon dans un même esprit, luttant de concert et d'un cœur unanime pour la foi de l'Evangile, sans vous laisser intimider en rien par les adversaires» (Philip. 1, 27-28). S'il en était d'ailleurs besoin, le programme de vos diverses réunions Nous serait une preuve que vous ne vous dérobez ni aux problèmes qui s'imposent à la pensée moderne, ni, en particulier, aux tâches qui incombent aux penseurs chrétiens. Soyez-en félicités, et que les vœux du Père Commun vous soient le gage d'un labeur fraternel et fructueux.

Dans l'unité de votre double Mouvement International, vous symbolisez à Nos yeux non seulement la diversité des professions littéraires et scientifiques qui se partagent le champ de l'activité intellectuelle, mais encore la richesse ancestrale des traditions propres à chacune de vos contrées d'origine; votre seule présence, au surplus, témoigne des patients efforts de tant de prêtres et de laïques qui, en chaque ville, chaque université, ont suscité ces groupes d'Action Catholique dont la vitalité reste la condition et la garantie de la valeur de votre Assemblée. Aussi, en saluant le Congrès de Pax Romana, Nous voyons se profiler à vos côtés l'immense foule de Nos fils, les étudiants et les intellectuels catholiques du monde entier : à eux tous, comme à vous-mêmes, Nous rappelons, comme une impérieuse exigence, ces deux devoirs : présence à la pensée contemporaine, service de l'Eglise.

Oui, soyez partout présents à la pointe du combat de l'intelligence, à l'heure où celle-ci s'efforce d'envisager les problèmes de l'homme et de la nature aux dimensions nouvelles où ils se posent désormais. Nul,

sans doute, ne se dissimule les écueils particuliers qui guettent aujourd'hui l'esprit humain du fait de l'ampleur des questions soulevées ; et pourtant, les fils de l'Eglise pourraient-ils délaisser la recherche et la réflexion, quand précisément des applications désordonnées de la science et les prestiges du relativisme philosophique ébranlent, en des esprits fragiles et inquiets, les principes les plus fondamentaux et les valeurs les plus essentielles?

Que votre présence en cette arène de la pensée y porte au contraire un témoignage de fermeté et de prudence. Le progrès scientifique ne saurait comme tel déconcerter le croyant qui, bien plutôt, se plaît à le servir et salue en toute découverte une éclatante manifestation de la sagesse et de la grandeur du Créateur. Mais, face à la séduction des systèmes nouveaux, il est plus que jamais nécessaire, pour l'avenir même de l'esprit, d'assurer les bases d'une saine philosophie et d'afiirmer la transcendance de la vérité; hors de là, la raison humaine ne peut que s'affoler dans l'instabilité, à moins qu'elle ne s'érige elle-même en principe suprême, contempteur des droits souverains de Dieu.

Que votre présence y porte également un témoignage de charité et d'union : sans doute l'ampleur du savoir contemporain exige-t-elle désormais, sur le seul plan des connaissances techniques, une collaboration, trop souvent paralysée, hélas ! par des considérations étrangères^ au souci de la vérité. Mais, plus encore, l'urgence des problèmes humains posés à notre génération appelle tous les esprits droits et sincères à la communauté des efforts dans la compréhension réciproque : étudiants de divers pays, intellectuels catholiques de toutes professions,, multipliez entre vous, autour de vous, les échanges fructueux et les-contacts pacificateurs!

Une telle action et de tels témoignages sont déjà, à vrai dire, de la part de catholiques appréciés pour leur compétence et leur conscience,, un authentique service de l'Eglise.

Mais ce service vous l'accomplirez plus précisément encore dans le cadre de votre profession, en apportant à l'élaboration de la pensée chrétienne l'appoint nécessaire de vos expériences et de votre culture. Aujourd'hui, les théologiens catholiques doivent pouvoir compter sur-Nos fils, savants ou techniciens, philosophes ou juristes, historiens, sociologues ou médecins, pour fournir à leur travaux l'assise de connaissances profanes éprouvées. Au sein de l'Eglise et en votre qualité* d'intellectuels, c'est là votre mission privilégiée.

Et c'est pourquoi, ce service vous l'occomplirez avec le sens de votre responsabilité, mais aussi d'un cœur filial et avec une confiante docilités

L'enseignement que l'Eglise vous délivre, les directives qu'elle vous impose parfois, sont pour vos labeurs autant de sources de fécondité, autant de garanties de sécurité, autant d'assurances de vraie liberté. Nous souhaitons de tout cœur que, dans l'exercice de votre tâche professionnelle, vous découvriez chaque jour davantage avec quel respect et quelle vigilance l'Eglise maternelle soutient vos efforts en ces temps difficiles que vous vivez.

A ces conditions, étudiants et intellectuels chrétiens, vous participerez selon votre propre vocation à l'œuvre de la Rédemption, dans le monde qui naît sous nos yeux. La coopération à cette œuvre de salut — dont vous avez tenu à faire le thème central de votre Congrès — n'exige-t-elle pas, en effet, que vous vous insériez au cœur même de l'effort intellectuel contemporain, à l'image du Christ, en tout semblable à nous, hormis le péché? Et n'exige-t-elle pas également que vous portiez, féconde en vos esprits, la vertu salvatrice de ce Christ, seul Rédempteur, dont la vie nous est communiquée dans l'Eglise !

Poursuivez donc vos travaux, animés d'un même esprit, forts d'une même espérance, sûrs de la confiance que vous font l'Eglise et son chef. C'est en gage de Notre paternelle bienveillance et de Nos vœux que Nous vous accordons de grand cœur une large Bénédiction Apostolique,, source de grâces abondantes sur vos personnes et vos labeurs.

Du Vatican, le 6 Août 1950.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

Ad christifideles, qui Romae convenerant ad Canonizationem Beatae Mariae Annae a Iesu De Paredes celebrandam. *

Como remate de una serie de tan solemnes canonizaciones, hemos tenido el consuelo de colocar la aureola de la santidad sobre las sienes de una gran heroína de la América hispánica, Mariana de Jesús de Paredes, la « Azucena de Quito ».

No se trata ahora de una fundadora ilustre, come S. Emilia de Rodat ; ni de una personalidad de perfiles históricos, como S. Antonio M. Claret ; ni de un apóstol de la caridad, como S. Bartolomea Capitanio o S. Vicenta Gerosa; ni de una Reina, como S. Juana de Francia; ni de un

* Habita die 10 Julii mensis a. 1950.

campeón de los derechos de la Iglesia, como S. Vicente **M.** Strambi ; ni de una mártir de la pureza virginal, como S. María Goretti. Pero se trata, en cambio, de alguien que es, en cierto sentido, como la frase final de una sinfonía, que recoge todos los temas, tomando de cada uno algo de su característica, para componer la armonía maravillosa de su espíritu.

La historia de Mariana de Jesús de Paredes es muy breve. Vastago de una noble familia de origen español, en cuyo árbol genealógico se entremezclan Andalucía y Castilla, nace en Quito en 1618. Hay desde el primer momento en su alma toda la suavidad de aquel clima, toda la claridad de aquel cielo y toda la gracia de sus palmeras y de sus flores. Prodigio de piedad, por la precoz madurez de su espíritu, alrededor de los diez años se liga con los votos de pobreza, castidad y obediencia; se ve que el esqueje arrancado del tronco ibérico era fuerte y la tierra del Nuevo Mundo, generosa. El ejemplo de los misioneros la arrebata, le enciende el alma y la llena de altísimos deseos, que se concretan en fervorosas oraciones, en contemplaciones extraordinarias y otros dones místicos, simultaneados con tales austeridades que su sola enumeración causaría profundo estupor. Víctima de amor primero, acaba sus días como holocausto de caridad en 1645, ofreciendo su vida por su pueblo. Y cuando la tierra dejaba de temblar y la peste se disolvía en el aire, ella exhalaba el último suspiro entre deliquios inefables, pero revestida siempre de ásperos cilicios. No tenía más que veintiséis años.

No vivió en un claustro, porque la Providencia la quería en medio del mundo; pero aspiró a la perfección, como pudiera hacerlo la religiosa más observante. No fué figura histórica; pero es hoy el honor de una nación ilustre, que la aclama su « heroína nacional ». No dedicó exclusivamente sus horas a la caridad; pero al fin **dio** su vida por sus hermanos. Amó a la Iglesia como el más celoso defensor de sus derechos y la honró con sus virtudes. Finalmente, no fué inmolada por el furor ajeno, pero supo bien mortificarse con mano propia.

Aprendan todos en esta Santa el inmenso poder de la virtud cristiana, capaz de hacer madurar un espíritu, con más vigor que el sol quiteño hace madurar los frutos opimos de la tierra ecuatoriana. Aprenda el mundo las energías que se esconden en la oración y en el sacrificio. Aprendan los epicúreos de siempre que la meta de los espíritus se encuentra al fin del camino escondido, en que el amor busca el dolor para superar las ataduras materiales, Aprende la joven moderna y mundana lo que en su mismo ambiente puede hacer un alma enamorada del Señor. Y cuantos hoy viven en la plena luz de la devoción al Corazón Sacra-

tlsiino de Jesús, admiren los atisbos de esta víctima inocente, que en los albores del siglo diecisiete supo hacer ya de la reparación el centro de su espiritualidad.

Pero es evidente que no podríamos poner fin a estas palabras sili dirigirnos de modo especial a la nobilísima representación ecuatoriana aquí presente, formada por tan digna parte de su Episcopado, con centenares de sus fieles, y presidida por una Embajada Extraordinaria, en la que figuran nombres cuyos méritos no Nos son desconocidos.

Mariana de Jesús de Paredes es ejemplo para todos, pero de manera especial para vosotros, amados hijos ecuatorianos. Muchas veces las alternativas contingentes de la política de cada día pueden imprimir a los criterios directivos tales oscilaciones, que se lleguen a ver en peligro valores tan fundamentales como la educación cristiana. No lo permitáis vosotros, antes bien exigid para vuestras generaciones futuras una formación encuadrada por las virtudes que hicieron grande a vuestra Santa; proponed a vuestros hijos el modelo perfecto de vuestra « heroína nacional », Santa Mariana de Jesús de Paredes.

A ella, amados hijos, os encomendamos, mientras que, con verdadera efusión de Nuestro afecto paternal, os bendecimos, rogándoos que llevéis también Nuestra Bendición a vuestras patrias y a vuestros hogares, como prenda del amor del Vicario de Cristo.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

SOCIIS SODALITATIS IUVENUM OPERARIORUM CHRISTIANORUM (**j**. O. C.), OB QUINA LUSTRA AB EADEM SODALITATE CONDITA IN URBE ((BRUXELLES » COADUNATIS. *

Beminde Kajotters en Kajotsters, Beminde Oudkajotters en Oudkajotsters. — Wij weten dat gij zeer talrijk zijt op dit Jubelcongres! En daarom willen wij in uw eigen taal U eerst groeten, danken en zegenenl Wij zegenen U, kajotters en kajotsters; U, vaders en moeders met uwe talrijke kinderen; U, priesters en kloosterlingen ; U allen die reeds de rijkste vrucht zijt der kajottersbeweging.

Chers Fils, chères Filles de la Jeunesse Ouvrière Chrétienne. — Il y a plus d'un an, Nous vous écrivions Notre joie à la pensée de la coïncidence providentielle de vos fêtes jubilaires avec l'Année Sainte. Au-

* Datus die 3 Septembris mensis a. 1950.

jourd'hui, en cette rencontre internationale qui groupe, sur le sol de Belgique — berceau du jocisme —, des milliers de délégués venus de tous les continents, Nous voulons vous exprimer de vive voix les sentiments qui emplissent Notre cœur paternel à l'occasion du vingt-cinquième anniversaire de votre mouvement.

Si Nous Nous tournons vers le passé, un réconfortant spectacle s'offre à Nos regards. Tant de prêtres, de religieux et de religieuses issus de vos rangs et donnés à l'Eglise ; des milliers de foyer ouvriers chrétiens avec leur couronne d'enfants : des chefs, formés selon votre esprit, à la tête de puissantes organisations ouvrières et jusque parmi les hommes de gouvernement; une jeunesse enfin, prête à renouveler son engagement d'apostolat au service de ses frères et sœurs de travail. Quelle magnifique réponse à l'appel de Notre vénéré Prédécesseur et à Notre propre attente, quelle garantie pour la rechristianisation de la classe ouvrière dans le monde, pour la prospérité de vos patries, pour l'avenir de l'Eglise!

Oui, dans la J. O. C, s'exécute heureusement le mot d'ordre donné depuis longtemps par l'Eglise : celui de l'apostolat de l'ouvrier par l'ouvrier. Aujourd'hui que votre Congrès offre dans une vue d'ensemble le beau tableau du passé et la vision d'un avenir plein d'espérance, Nous désirons, le regard fixé à la fois sur votre haut idéal et sur les conditions actuelles du monde des ouvriers dans ses rapports avec les autres classes du peuple, recommander à vos méditations les deux considérations suivantes.

1. La pensée qui a suscité votre mouvement et la fin qui le règle sont aujourd'hui, à certains égards, passés dans le courant des idées, même en dehors des sphères catholiques, à savoir qu'il s'agit de l'âme des travailleurs, de son orientation, de son progrès. Et les matérialistes eux-mêmes, qui se flattaient naguère de satisfaire ses aspirations, en préconisant la lutte des classes, en viennent maintenant à vouloir donner à l'ouvrier une valeur culturelle.

De là, devoir pour la J. O. C, d'une attentive vigilance, le là également l'occasion très favorable de son succès.

Devoir de vigilance pour ce motif que certains milieux où l'on s'occupe du monde ouvrier, du point de vue de la culture, sont les représentants de la conception d'une vie purement terrestre, étrangère à la religion et à l'Eglise. Il en résulte pour vous la nécessité de veiller à maintenir inviolable la juste ligne de démarcation.

Cette situation est aussi, disions-Nous, une occasion des plus favorables au succès. Prétendre fournir à l'ouvrier des valeurs spirituelles comme une denrée importée du dehors, sera toujours une tâche vaine

et décevante. Un seul trait d'union joint intérieurement l'ouvrier au monde de l'esprit, c'est son fonds religieux, l'étincelle divine qui sommeille au plus intime de son être : l'éveiller, l'attiser est le seul moyen de le soulever au-dessus du matérialisme vulgaire et de l'utilitarisme. Telle est la tâche que le Seigneur vous confie et dont il vous offre en ce moment l'heureuse opportunité. Profitez-en, ne laissez point passer stérile la grâce de votre vocation!

2, Il est nécessaire d'intégrer avec sagesse et discernement l'apostolat des ouvriers dans l'économie générale de l'apostolat de l'homme moderne. Et cela Nous amène à vous mettre en garde contre une méprise trop courante malheureusement, même parmi les catholiques, c'est à dire contre la classification des âmes en catégories. Non, il n'y a pas deux sortes d'hommes, les ouvriers et les non-ouvriers. Penser ainsi, c'est se leurrer sur l'aspect actuel de la question sociale, c'est faire preuve d'une myopie intellectuelle indigne d'un catholique; c'est se bercer de la fâcheuse illusion que l'Eglise ne gagnera les ouvriers qu'à la condition de se plier à toutes les exigences, fussent-elles les plus irréalisables.

Or, l'Eglise ne peut s'écarter de la droite ligne de la justice et de la charité, de l'ordre naturel et surnaturel. L'Eglise ne peut se dissimuler que ce qui éloigne d'elle une portion notable du monde ouvrier est cela même qui lui aliène aussi bien des esprits dans les autres classes de l'humanité moderne, et cela c'est le dépérissement des âmes exsangues, vidées de toute sève spirituelle et religieuse, victimes d'une épidémie qui sévit sur tant d'hommes d'aujourd'hui. Fantômes d'hommes qui, jamais las de fréquenter cinémas et champs de sports, jour et nuit gavés de nouvelles futiles, d'illustrations pimentées, de musique légère, sont intérieurement trop vides pour prendre intérêt à s'occuper d'eux-mêmes. Peut-on dire de ceux-là qu'ils vivent au milieu du monde, mais supérieurs au monde? eux que le courant du monde emporte à la dérive, passifs comme des cadavres au fil de l'eau? Il se peut le grand nombre d'entre eux ne soient pas foncièrement hostiles à la religion ; mais — et c'est presque pire — ils sont incapables de la comprendre. Quelle différence avec les chrétiens qui, comme tels et conscients de vivre entre les mains de Dieu, dominent la vie, leur propre vie! Eux, au contraire, la supportent et, suivant l'expression du poète, « passent comme un troupeau les yeux fixés à terre » (Musset, *Poésies nouvelles, U espoir en Dieu).*

Quant à vous, Jocistes, dès l'origine vous avez vu dans l'ouvrier un tout vivant et indivisible. Aussi avons-Nous confiance en vous, en votre apostolat, spécialisé, mais inséré à sa place dans l'apostolat total de l'Eglise d'aujourd'hui. En un geste de filiale piété dont Nous Nous som-

mes particulièrement réjoui, vous avez tenu à inaugurer ce Congrès par la Consécration du Jocisme international et de la jeunesse ouvrière au Cceur Immaculé de Marie. Comment pourrions-nous douter des fruits de grâces qu'un tel acte de foi et d'amour ne saurait manquer de répandre sur vos personnes, sur votre travail et votre action?

Nous prions Dieu, par l'intercession de la Très Sainte Vierge, de bénir votre mouvement et sa croissante extension : que, par chacun de ses membres, la Jeunesse Ouvrière Chrétienne porte à travers les pays son vivant témoignage de la présence du Christ et de l'Eglise dans les milieux ouvriers; qu'elle y répande son esprit de fraternité chrétienne entre tous les jeunes travailleurs, quelle que soit leur race ou leur couleur ; qu'elle y crée un esprit de collaboration entre les professions et entre les classes sociales ; qu'elle s'offre enfin à notre monde troublé comme un ferment de charité et de paix!

C'est à toutes ces intentions, chers jocistes et chers Aumôniers, que de tout cœur, en gage de Nos encouragements et de Notre affection, Nous vous donnons Notre paternelle Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

VELITERNA - TERRACINENSIS

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM CIRCUMSCRIPTIONE

In agro Pontino ad fines dioecesium Veliternae et Terracinensis — cui, ut est compertum, aeque principaliter sunt unitae dioeceses Setina et Privernensis — territoria late patent iam palustria et insalubria, in quibus exstant, inter cetera, pagus *Turris Trium Fontium* iuxta flumen Mmpharum et pagus *8. Donati* ad rivum Martinum, praedictas dioeceses hinc indeque attingentia, finibus tamen numquam presse circumscriptis.

Cum labores apte suscepti, ad arvorum cultum inibi instaurandum, haud plures ante annos sint confecti, cumque civilis ditionis fines itidem sint statuti ita ut locus *Turris Trium Fontium* communitati ((Latinae » pertineat, quae in dioecesi Veliterna exstat, locus autem *8. Donati* communitati « Sabaudiae » quae in Terracinensi dioecesi, succrescente in dies incolarum frequentia, de dioecesanis quoque finibus disceptari coepit.

Sententia rogati clarissimi viri in re historica et in re iuridica periti, cum alii aliter rem considerarent, in idem non convenerunt et certos fines inter utramque dioecesim nullimode discernere licuit.

Hac de re ab Apostolica Sede expostulatum est ut sua auctoritate rem dirimere vellet et fines ecclesiasticos tandem determinaret.

Porro SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, christifidelium illic commorantium bono, prae primis, et disciplinae ecclesiasticae consulere cupiens, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter idem SS.mus Dominus, re mature perpensa, habitoque favorabili voto infrascripti Em.mi Domini a Secretis huius Sacrae

Congregationis Consistorialis, statuere dignatus est ut fines dioecesium Veliternae et Terracinensis, quoad supradicta territoria iidem sint ac in civili ditione contingat.

Ideoque territorium *Turris Trium Fontium* qua communitati « Latinae » spectans, dioecesi Veliternae aggregatum censeatur et sit, territorium vero *S. Donati,* qua commun itati « Sabaudiae)) pertinens, dioecesi Terracinensi, mutatis hac ratione finibus praedictarum dioecesium.

Proinde posthac dioeceses Veliternam et Terracinensem dividet linea, uti prostat in adnexo exemplari, quae a via ferrea « Roma-Napoli » descendit ad flumen seu « Canale » *Nimpharum,* dein secus flumen *Nimpharum* usque ad *viam A ppiam,* dein *via Appia* usque ad « Bocca di Fiume » et per viam « Miliaria 45 » pervenit ad flumen *Xistum* et ad rivum *Martinum* usque ad mare.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent.

Ad haec autem perficienda idem Ssmus Dominus Noster deputat Emum ac Revmum Patrem Dominum Clementem S. R. E. Cardinalem Micara, Episcopum Veliternum, eique tribuit facultates necessarias et opportunas ad effectum de quo agitur etiam* subdelegandi quemlibet maluerit virum ecclesiasticum in dignitate constitutum, cum onere quamprimum mittendi ad Sacram Congregationem Consistorialem et ad Curiam Episcopalem Terracinensem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis. Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 19 Martii, anno iubilari, 1950.

£ J 3 Fr. A. I. **PIAZZA**, Ep. Sabinen, et Mandelen., *a Secretis*

L. **£ J 3** S.

IOSEPH FERRETTO, *Substitutus*

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, successivis Decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere; nimirum :

die '18 Iulii 1950. — Cathedrali Ecclesiae Bakeriensi praefecit R. D. Franciscum P. Leipzig, parochum ecclesiae B. Mariae Virginis in urbe, vulgo Eugene, archidioecesis Portlandensis in Oregon.

— Titulari episcopali Ecclesiae Acalissensi **R.** P. Thomam F. Mark-

ham, Protonotarium Apostolicum *ad instar* et parochum ecclesiae S. Petri in urbe, vulgo Lowell, archidioecesis Bostoniensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Richardi Iacobi Cushing, Archiepiscopi Bostoniensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Hadrianopolitanae in Pisidia B. D. Leonem A. Purslev, parochum ecclesiae S. Ioannis Baptistae in urbe Wayne Castrensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Francisci Noli, Episcopi Wayne Castrensis.

die 19 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Kilmorensi E. P. Augustinum Quinn, Antistitem Urbanum, Vicarium Generalem archidiocesis Armaehanae et parochum ecclesiae S. Petri in urbe, vulgo Drogheda.

— Cathedrali Ecclesiae Elphinensi R. D. Vincentium Hanly, canonicum et administratorem ecclesiae cathedralis Elphinensis.

die 25. Iulii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Chalcedonensi R. P. Guidonem Toiletti, Antistitem Urbanum et Praepositum Basilicae S. Gaudentii in civitate Novariensi, quem constituit Praelatum Ordinarium Praelaturae *nullius* S. Luciae et insuper Coadiutorem *cum iure successionis* Exc. P. D. Angeli Paino, Archiepiscopi Messaniensis et Archimandritae SSmi Salvatoris.

die 8 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Cremensi R. D. Iosephum Piazzi, Parochum Ecclesiae S. Hilarii in civitate Cremonensi.

die 2t Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Bassianensi R. P. Albertum Martin, Antistitem Urbanum et Vicarium Generalem dioecesis Nicoletanae, quem deputavit Coadiutorem *cum iure successionis* Exc. P. D. Albini Lafortune, Episcopi Nicoletani.

die 2Jf Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Bullensi R. P. Merlinum Iosephum Guilfoyle, Antistitem Urbanum et Officialem Tribunalis archidioecesis S. Francisci in California, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Iosephi Mitty, Archiepiscopi S. Francisci in California.

die 8 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Lambaesitanae R. P. Vincentium Iacono, Protonotarium Apostolicum *ad instar* participantium et Vicarium Generalem dioecesis Agrigentinae, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Baptistae Per uzzo, Episcopi Agrigentini.

die **14** *Septembris.* — Metropolitanae Ecclesiae Rheginensi et Cathedrali Ecclesiae Bovensi, unitis *in personam,* R. D. Ioannem Ferro, ex Ordine Clericorum Regularium a Somascha, Provincialem Liguriae et Pedemontis et Parochum ecclesiae S. Mariae Magdalenae in civitate Genuensi.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

i

DE WINDHOEK - LIVINGSTONEN.

DECRETUM

DE VICARIATUUM FINIUM IMMUTATIONE

Cum in plenariis comitiis, die 6 Martii vertentis anni habitis, Praefectura Apostolica de Victoria Falls in Rhodesia Septentrionali Africae Orientalis ditionis Britannicae, Patribus ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum concredita, ob laeta religioni comparata incrementa, in Vicariatum Apostolicum, Livingstonensem nomine, ab Emis ac Revmis Patribus huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide regimini praepositis evecta fuisset, visum est praelaudatis Eimis Patribus, in eodem plenario coetu, memorati Vicariatus fines, ad evangelizationem faciliorem reddendam, mutare.

Quamobrem, cum omnia mature per pendissent atque favorabile tum Exc. P. Dñi Davidis Mathew, Archiepiscopi tit. Apameni in Bithynia atque Apostolici Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati, tum Exc. P. Dñi Martini Lucas, Archiepiscopi tit. Adulitani atque Apostolici in Africa Meridionali Delegati, votum audissent, partem orientalem districtus, cui nomen « Caprivi Strip », ad Vicariatum Apostolicum de Windhoek, Patribus e Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae commissum, hucusque pertinentem a^^e « Eastern Caprivi Strip » appellatam, a memorato Vicariatu de Windhoek distrahendum atque Vicariatui Apostolico Livingstonensi adnectendam consuerunt, ita ut Kwando flumen (quod alias Chobe vel Linyanti vel Mashi vocatur) in illa territorii parte inter duos memoratos Vicariatus limitem deinceps constitueret.

Quam Emorum Patrum sententiam Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide, de mandato Ssmi Domini Nostri Pii Div. Prov. Papae XII, vigore scilicet facultatum sibi specialiter concessarum, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum fieri iussit.

Datum ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 10 Martii anno Iubilaei 1950.

fg P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L : $ S .

t C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

II

HANOIENSIS

DECRETUM

VICARIATUS APOSTOLICUS DE HANOI, DEINCEPS ((HANOIENSIS)) APPELLANDUS, CLERO SAECULARI INDÍGENAS CONCREDITUR.

Cum in Vicariatu Apostolico iam de Hanoi dicto, qui deinceps Hanoiensis nuncupantur, in Indosinensibus regionibus, Patribus Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes hucusque commisso, ob adsiduum laborem constantemque zelum eorundem Patrum clerus indigena ita auctus sit ut ad regimen eiusdem Vicariatus Apostolici Hanoiensis suscipiendum per se ipse aptus sufflciensque evaserit, Emi ac Rmi Patres huic Sacro Consilio Fidei Propagandae praepositi, in plenariis comitiis die **III** mensis Aprilis vertentis anni habitis, praefatum Vicariatum Apostolicum Hanoiensem, per obitum Excmi Diii Francisci Chaize, praedictae Societatis sodalis, in praesens vacantem, clero saeculari Indosinensi concredendum censuerunt.

Quam Emorum Patrum sententiam Ssmus D. N. Pius Div. prov. Papa XII, in Audentia diei xvin eiusdem mensis Aprilis, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum confici et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacra Congregationis de Propaganda Fide, die xvin mensis Aprilis a. D. 1950.

£g P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. © S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

III

DE BENUE - DE OGOJA - DE RADUNA - DE JOS

DECRETUM

PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE BENUE, DE OGOJA, DE RADUNA ET DE JOS DEINCEPS RESPECTIVE ((OTURKPOËNSIS)), ((OGOJAËNSIS)), ((KADUNAËNSIS)) ET ((IOSENSIS)) APPELLABUNTUR.

Cum in Africa Occidentali ditionis Britannicae Hierarchia Episcopalis in missionibus catholicis, ob laeta religioni comparata incrementa, erecta fuisset, Emi ac Revmi Patres huius Sacri Consilii Christiano

Nomini Propagando regimini praepositi, in iisdem plenariis comitiis die 3 Aprilis mensis vertentis anni habitis, in quibus Hierarchia, quam diximus, instituta est, quaedam circa nomina Praefecturarum quoque Apostolicarum, quae novis illis Dioecesibus finitimae sunt, mutanda esse censuerunt.

Quapropter, re mature perpensa, Praefecturas Apostolicas de Benue et de Ogoja, quae finitimae sunt Dioecesibus Provinciae Ecclesiasticae Nigeriae Orientalis, respective « *OturJcpoënsem* » et « *Ogojaënsem* », Praefecturas vero de Raduna et de Jos quae Dioecesibus Provinciae Ecclesiasticae Nigeriae Occidentalis finitimae sunt, respective « *Kadunaënsem* » et « *Josenscm* » deinceps appellañdas, Praefecturae vero Apostolicae Oyoënsis, quae Lagosensis archidioeceseos et Ondoënsis dioeceseos territoriis fere undique circumdatus hodiernum nomen retinendum esse censuerunt.

Quam Emorum Patrum sententiam in audentia diei 18 eiusdem mensis et anni Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII relatam, Summus Pontifex, benigne excipiens, ratam habere et confirmare dignatus est praesensque ad rem Decretum confici iussit.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 18 Aprilis mensis anno Iubilaei 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. © S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis.*

IV

DE KOANGO - DE KISANTU - DE COQUILHATVILLE

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM VICARIATUUM

Cum ob territorii Vicariatus Apostolici Leopoldopolitani, Congregationi Immaculati Cordis Mariae concrediti, divisiones per tempora peractas districtus urbis, in qua Ordinarius residet, a reliquo territorio ad ipsum Vicariatum pertinente, separatus mansisset cumque limites eiusdem Vicariatus ecclesiastici civilibus districtuum limitibus non amplius responderent, visum est Sacrae huic Congregationi de Propaganda Fide incommodis, quae memoravimus, remedium afferre.

Itaque Emi ac Revmi Patres Cardinales eiusdem S. Consilii regi-

mini praepositi, in plenariis comitiis, die 22 Maii hnius anni habitis, cum rem mature perpendissent atque favorabile Delegationis Apostolicae in Congo Belgico votum audivissent, a Vicariatu Apostolico de Koango et Vicariatu Apostolico de Kisantu, Societati Iesu commissis, parvam portionem, in occidentali eorundem Vicariatuum parte sitam, item a Vicariatu Apostolico de Coquilhatville, Missionariis Sacratissimi Cordis Iesu concredito, exiguam territorii linguam in meridionali parte, ad occidentem versus, eiusdem Vicariatus sitam, ita distrahendas et Vicariatui Apostolico Leopoldopolitano adnectendas esse censuerunt, ut huius limites in illis territorii partibus cum Vicariatibus, quos diximus, deinceps hi haberentur : quoad *Vicariatum Apostolicum de Koango* spectat : cursus fluminis Likulu ex sua confluentia cum flumine Kasai usque ad suas scaturigines ; exinde linea recta usque ad scaturigines fluminis Tua; inde linea recta usque ad fontes fluminis Dweme, quod ortum ducit prope limitem Vicariatus Apostolici de Kisantu; quoad *Vicariatum Apostolicum de Kisantu* spectat: e fontibus fluminis Mfuna, ubi Vicariatus Leopoldopolitanus Vicariatum de Matadi tangit, linea recta ab occidente ab orientem versus usque ad confluentiam fluminis Ndjili et fluminis Didingi ; dein cursus huius postremi fluminis ; exinde ex istius fontibus linea recta usque ad confluentiam fluminum « Black-River » et Lumene ; illinc linea recta usque ad scaturigines fluminis Dweme, usque ad novos limites cum Vicariatu de Koango ; quoad *Vicariatum Apostolicum de Goquilhutville* spectat : a loco intersectionis primi gradus latitudinis australis cum gradu 18°9' longitudinis orientalis, a capite rivuli Lonkoi septemtrionem versus, linea recta usque ad confluentiam rivuli Pili cum rivulo Londo ; dein cursus rivuli Londo usque ad eiusdem scaturigines; inde rivulus Loole usque ad locum ubi confluii cum rivulo Lonkoi maiore et rivulo Dwali; inde, orientem versus, cursus Dwali integer; dein a fontibus rivuli Dwali linea ducta per caput rivulorum Mokondu et Ipeke, usque ad fontes rivuli Botifili, unde fines praesentes communes Vicariatuum, de quibus agitur, inveniuntur.

Quam Emorum Patrum sententiam Sacra haec Congregatio de Propaganda Fide, de mandato Ssmi D.N. PII Div. Prov. Papae XII, vigore scilicet facultatum sibi ab Eodem specialiter concessarum, ratam habuit et confirmavit praesensque ad rem Decretum fieri iussit.

Datum ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 24 Maii anno .Iubilaei 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

L. © S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato, in data 31 agosto 1950, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare l'Emo e Revmo Signor Cardinale Giacomo de Barros Cámara, Arcivescovo di San Sebastiano di Rio de Janeiro, *Membro della Sacra Congregazione per la Chiesa Orientale.*

Parimenti, con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

Prelati Domestici di Sua Santità :

16	luglio	1948,	Monsig. Wolf Luigi A., della diocesi di Cleveland.
30	gennaio	1949.	Monsig. Wechner Bruno, dell'amministrazione apostolica di Innsbruck.
12	maggio	»	Monsig. Cámara Helder, dell'arcidiocesi di S. Sebastiano di Rio de Janeiro.
22			Monsig. Fuchs Vincenzo, della diocesi di Würzburg.
30			Monsig. Teare Howard Giovanni, della diocesi di Cleveland. ^
»	»	»	Monsig. Poli Giuseppe, della **cHResi** di Ratisbona.
12	ottobre	»	Monsig. Egan Daniele J., della diocesi di London (Can.).
»	»	»	Monsig. McCarthy Tommaso, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Pitre Gilberto P., della medesima diocesi.
27	dicembre	»	Monsig. Remban Philipose, dell'arcidiocesi di Trivandrum (Siro-Malankar.).
»	gennaio	1950.	Monsig. De Berardinis Giustino, dell'arcidiocesi di Chieti.
15	febbraio	»	Monsig. Bureau Giuseppe Aderville, dell'arcidiocesi di Québec.
			Monsig. Fortin Alfonso, della medesima arcidiocesi.
»	»		Monsig. Grenier Enrico, della medesima arcidiocesi.
18	»		Monsig. Bluteau Simone, della diocesi di Chicoutimi.
»	»		Monsig. Morin Luca, della medesima diocesi.
5	marzo		Monsig. O'Mara Giovanni, dell'arcidiocesi di S. Germano di Rimouski.
17	»		Monsig. Pesaresi Giuseppe, della diocesi di Osimo.

17 marzo 1950. Monsig. Minella Ernesto, della diocesi di Peltre.
» » » Monsig. Slongo Antonio, della medesima diocesi.
» » Monsig. Palatini Emilio, della diocesi di Belluno.
» » » Monsig. Santin Angelo, della medesima diocesi,
2 aprile » Monsig. Maradei Costantino, della diocesi di Guayana.
» Monsig. Cabrera Ilario, dell'arcidiocesi di Caracas.
» Monsig. Pellin Gesù Maria, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. Rafferty Giuseppe, dell'arcidiocesi di Sydney.
» Monsig. Conaghan Dionigi, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. Bond Edmondo, della medesima arcidiocesi.
» Monsig. McGuire Ugo, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. McAuliff Edoardo, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. Sherin Giovanni, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. O'Regan Riccardo, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. Bartlett Geraldo, della medesima arcidiocesi.
» » Monsig. Pulido Méndez Giuseppe R., dell'arcidiocesi di Merida.
6 » Monsig. Szabó Francesco, della diocesi di Alba Reale.
17 » Monsig. Fuentes Figueroa Giuliano, dell'arcidiocesi di Caracas.
23 » Monsig. D'Agata Alfio (Roma).
28 » Monsig. Tardella Venanzio, dell'arcidiocesi di Camerino.
16 maggio » Monsig. Bakose Giovanni, dell'arcidiocesi di Bagdad dei Siri.
» » Monsig, Di Carlo Andrea, dell'arcidiocesi di Monreale.
26 » » Monsig. Happe Augusto, della diocesi di Ventimiglia.
31 » Monsig. Martin Cirillo G., dell'arcidiocesi di Halifax.
4 giugno » Monsig. Scarpa Giuseppe, del patriarcato di Venezia.
6 » Monsig. Salzano Giuseppe, dell'arcidiocesi di Napoli.
» » Monsig. Santoni Alfredo, della diocesi di Jesi.
7 » Monsig. D'Mello Raimondo, della diocesi di Allababad.
12 Monsig. Géfìn Giulio, della diocesi di Sabaria.
» Monsig. Gyöngyös Francesco, della medesima diocesi.
20 » » Monsig, Diederichs Bonifacio, dell'arcidiocesi di S. Bonifacio.
» » Monsig. Paillé Clodoveo, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. De Carolis Mariano (Roma).
24 agosto » Monsig. Marolleau Giorgio, dell'arcidiocesi di Parigi.
» » » Monsig. Conespel Du Mesnil Francesco, della diocesi di S. Brieuc.

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità :

13 settembre 1939. Monsig. Dieguez Manuel, dell'arcidiocesi eli Guadalajara.

29 ottobre 1947. Monsig. Straubinger Giovanni, della diocesi di Rotten - burgo.

13 dicembre 1918. Monsig. Cowderoy Cirillo Corrado, della diocesi di Southwark.

30 gennaio 1949. Monsig. Schnitt Giuseppe, dell'arcidiocesi dì Vienna.

» » » Monsig. Danler Giuseppe, dell'amministrazione apostolica di Innsbruck.

» Monsig. Besch Giuseppe, della medesima amministrazione apostolica.

19 febbraio Monsig. Wendel Adolfo, dell'arcidiocesi di Colonia.

17 marzo Monsig. Batka Giuseppe, della diocesi di Litomërice.

» » Monsig. Pitschmann Giuseppe, della medesima diocesi.

» » Monsig. Richta Edoardo, della medesima diocesi.

2 maggio Monsig. Faith Stefano, della diocesi di Scepusio.

» » Monsig. Padhajecky Myron, della diocesi di Presov.

10 » Monsig. Groetsch Ermanno, della diocesi di Ratisbona.

12 » Monsig. Streb Giuseppe, ' della diocesi di Fulda.

» » Monsig. Bermudez Ortega Carlo, dell'arcidiocesi di Bogota.

Monsig. Restrepo Posada Giuseppe, della medesima arcidiocesi.

20 » Monsig. Castillo De Omena Giuseppe, della diocesi di Barra do Rio Grande.

» » Monsig. Vilanova Segura Toribifli della medesima diocesi.

1 giugno Monsig. Erazo Agostino, dell'ÄHdioeesi di Santiago del Cile.

Monsig. Fuenzalida Gioacchino, -della medesima arcidiocesi.

31 luglio Monsig. Ferreira De Silva Giuseppe M., della diocesi di Oporto.

6 agosto Monsig. Moss Tapajos Giuseppe M., dell'arcidiocesi di S. Sebastiano di Rio de Janeiro.

» » Monsig. de Abreu Macedo Antonio, della diocesi di M-terói.

12 ottobre Monsig. Barbosa De Moura Giulio, della diocesi di Campos.

» » Monsig. Barbosa Coelho Giasone, della medesima diocesi.

» » Monsig. dos Reis Michele, della medesima diocesi.

Monsig. Do Amarai Órnelas Giuseppe, della diocesi di Guaxupé.

12	ottobre	1949.	Monsig. Grella Riccardo, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Puntel Silvio, della medesima diocesi.
20	dicembre	»	Monsig. McCarthy Tommaso, dell'arcidiocesi di Los Angeles.
22	»	»	Monsig. Roy Aycock Leo, della diocesi di Alexandria (U.S.A.).
»	»	»	Monsig. Biever Clarenzio Nicola, della diocesi di Rapid City.
»	»	»	Monsig. Feuerbach Leone Silvestro, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Leahy "Guglielmo Patrizio, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. McGuill Guglielmo E., della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Gaynor Lorenzo E., della diocesi di El Paso.
»	»	»	Monsig. Geary Eugenio, della medesima diocesi.
23	gennaio	1950.	Monsig. Amezcua Carlo, della diocesi di Chihuahua.
»	»	»	Monsig. Talamas Camandari Emanuele, della medesima diocesi.
5	marzo	»	Monsig. Greene Guglielmo, dell'arcidiocesi di Nuova York.
17	»	»	Monsig. Minervini Altieri Gaetano, della diocesi di Cassano all'Ionio.
»	»	»	Monsig. Ronzon Achille, della diocesi di Belluno.
»	»	~»	Monsig. Sciacchitano Antonino, della diocesi di Lipari.
»	»	»	Monsig. Pante Giuseppe, della diocesi di Feltre.
25	»	»	Monsig. Durastante Giuseppe, della diocesi di Rieti.
31	»	»	Monsig. Boffa Corrado, dell'arcidiocesi di Cincinnati.
»	»	»	Monsig. Asplan Raffaele A., della medesima arcidiocesi.
2	aprile	»	Monsig. Alvarado Gesù Maria, della diocesi di Barquisimeto.
»	»	»	Monsig. Castillo Francesco Di Paola, dell'arcidiocesi di Caracas.
»	»	»	Monsig. Henriquez Luigi E., della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Lizardi Raimondo, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Dunne Carlo, delParcidiocesi di Sydney.
»	»	»	Monsig. McElligot Roberto, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Wallace Tommaso, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Cùsack Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Tuomey Patrizio, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. McGovern Giovanni Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Flanagan Patrizio, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Kerr Francesco, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Veech Tommaso, della medesima arcidiocesi.

6	aprile	1950.	Monsig. Navagh Giacomo **C.,** della diocesi di Buffalo.
»	»	»	Monsig. Schieder Giuseppe E., della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. McLaugWin Bernardo J., della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Kosa Francesco, della diocesi di Alba Beale.
»	»	»	Monsig. Kukera Pietro, del vicariato apostolico di Masaka.
»	»	»	Monsig. Mpagi Giuseppe, del medesimo vicariato apostolico.
»	»	»	Monsig. Mukasa Maurizio, del medesimo vicariato apostolico.
»	»	»	Monsig. Semogegere Timoteo, dej medesimo vicariato apostolico.
11 •	»	»	Monsig. Crovini Mario, della diocesi di Fidenza.
17	»	»	Monsig. Chiti Gino, della diocesi di Prato.
»	))	»	Monsig. Del Prete Antonio, della diocesi di Aversa.
»	»	»	Monsig. Radicioni Vincenzo, dell'arcidiocesi di Ancona.
»	»	»	Monsig. Tien Giuseppe, dell'arcidiocesi di Kaifeng.
23	»	»	Monsig. Barilla Francesco, della diocesi di Brooklyn.
»	»	»	Monsig. Genova Vincenzo, della medesima diocesi.
28	»	»	Monsig. Falchetti Castro, dell'arcidiocesi di Camerino.
»	»	»	Monsig. Giacobini Nicola, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Loreti Ferruccio, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Marinangeli Attilio, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Mar-ucci Alfredo, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Rossi Renzo, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Salvatori Cherubino, della medesima arcidiocesi.
».	»	»	Monsig. Sestili Aleandro, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Monsig. Timperi Augusto, della medesima arcidiocesi.
29	»	»	Monsig. Maltoni Costante, della diocesi di Bertinoro.
1	maggio	»	Monsig. Olivari Francesco, della diocesi di Livorno.
5	»	»	Monsig. Croteau Vittoriano, dell'arcidiocesi di Ottawa.
8.	»	»	Monsig. Andrianopoli Luigi, dell'arcidiocesi di Genova.
12	»	»	Monsig. Molnàr Giulio, della diocesi di Alba Reale.
16	»	»v	Monsig. Mercuri Nicola, della diocesi di Narni.
»	»	»	Monsig. Romanello Attilio, della medesima diocesi.
»	»	»	Monsig. Bonilli Pietro, dell'arcidiocesi di Spoleto.
»	»	»	Monsig. Scarponi Pacifico, della medesima arcidiocesi.
23	»	»	Monsig. Maldonado Francesco, dell'arcidiocesi di Caracas.
31	»	»	Monsig. Fraccalvieri Pietro, dell'arcidiocesi di Bari.
»	»	»	Monsig. Peticchi Francesco, dell'arcidiocesi di Spoleto.
4	giugno	»	Monsig. Cornacchia Giuseppe, della diocesi di Faenza.
6	»	»	Monsig. Fazi Ulderico, della diocesi di Jesi.
»	»	»	Monsig. Federico Francesco, della diocesi di Caltanissetta.

7 giugno 1950. Monsig. Giardina Carmelo, della diocesi di Noto.
» » » Monsig. Murana Francesco, della medesima diocesi.
13 » » Monsig. Galluzzi Benedetto, della diocesi di Recanati-Loreto.
17 » » Monsig. Ferritto Lucio, della diocesi di Alife.
» » » Monsig. Benigni Aurelio, della diocesi di Jesi.
» » » Monsig. Boccio Amilcare, della diocesi di Tortona.
18 » » Monsig. Mosconi Paolo, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Accogli Luigi, dell'arcidiocesi di Otranto.
22 » » Monsig. Knox Giacomo, dell'Abbazia nullius di Nuova Norcia.
27 » » Monsig. Mosca Secondo, della diocesi di Pesaro.
» » » Monsig. Nardelli Agostino, della medesima diocesi.
» » « Monsig. Vichi Enrico, della medesima diocesi.
8 luglio » Monsig. Bianco Giovanni, della diocesi di Noto.
17 » » Monsig. Mariani Goffredo, della diocesi di Civita Castellana.
1 agosto » Monsig. Roberti Vito, dell'arcidiocesi di Acerenza e Matera.
9 » » Monsig. Thomas Alberto Reuben Edoardo, dell'arcidiocesi di Sydney.

Camerieri segreti di spada e cappa soprannumerari di Sua Santità :

29 dicembre 1948. Al sig. Constable Maxwell Gerardo G., della diocesi di Portsmouth.
25 marzo 1950. Al sig. conte Pagello Ascanio, della diocesi di Vicenza.
17 aprile » Al nob. Ludovico dei Marchesi Doria Lamba, dell'arcidiocesi di Genova.
» » » Al sig. Bizzarri dei conti Luigi (Roma).
29 giugno 1949. Al sig. barone Dervaux Raimondo, della diocesi di Soissons.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di Sua Santità :

5 marzo 1950. Monsig. Frezza Pio, della diocesi di Civitavecchia.
4 aprile 1949. Monsig. Maresch Enrico, dell'arcidiocesi di Vienna.
16 maggio » Monsig. Bet Angelo, della diocesi di Vittorio Veneto.
1 giugno » Monsig. Groeger Giovanni, dell'arcidiocesi di Vienna.
» » » Monsig. Mayrhofer Edoardo, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Speri Alfredo, della medesima arcidiocesi.
12 » » Monsig. Nyeki Colomanno, della diocesi di Sabaria.
» » » Monsig. Winkler Giuseppe, della medesima diocesi.
27 » » Monsig. Mingucci Giuseppe, della diocesi di Pesaro.
» « » Monsig. Franca Elio, della medesima diocesi.

Camerieri d'onore extra Urbem *di Sua Santità :*

1 giugno 1950. Monsig. Massa Michele, dell'arcidiocesi di Sorrento.

Camerieri d'onore di spada e cappa soprannumerari di Sua Santità :

27 marzo 1950. Al sig. Mannucci Guglielmo (Roma).
» aprile » Al sig. Bernabeo Romolo, dell'arcidiocesi di Lanciano.
23 » » Al sig. Phan Ngoc Pietro, del vicariato apostolico di Phat Diem.

Cappellani segreti d'onore di Sua Santità :

17 marzo 1950. Monsig. Torres Vincenzo, della diocesi di Chilapa.
12 giugno » Monsig. Siile Francesco, della diocesi di Sabaria.

Cappellano d'onore extra Urbem *di Sua Santità :*

25 marzo 1950. Monsig. Ajmino Vincenzo, della diocesi di Aosta.

An. et vol. XXXXII 2 Octobris 1950 (Ser. IT, v. XVII) - N. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

ADHORTATIO APOSTOLICA^

AD CLERUM UNIVERSUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTEM : DE SACERDOTALIS VITAE SANCTITATE PROMOVENDA.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Menti Nostrae vox resonat Divini Redemptoris Petro dicentis: «Simon Ioannis, diligis me plus his?... pasce agnos meos, pasce oves meas » ;[1] itemque illa, qua idem Apostolorum Princeps Episcopos ac sacerdotes aetatis suae hisce verbis adhortabatur : « Pascite qui in. vobis est gregem Dei, ... forma facti gregis ex animo » .[2]

Quae verba attento animo considerantes, praecipuas esse supremi ministerii Nostri partes putamus id efficere pro viribus, ut sacrorum Pastorum ac sacerdotum opera, quae christianum populum ad vitanda mala, ad superanda discrimina et ad sanctimoniam assequendam conducat oportet, efficacior cotidie fiat; quod quidem nostris praesertim temporibus necessarium est, dum adhuc gentes ac populi ob recens, immane bellum non modo gravibus difficultatibus vexantur, sed animorum etiam

[1] Cf. IOANN., XXI, 15 et 17.
[2] *I Petr.,* V, 2 et 3.

perturbatione acerrime afficiuntur; et dum catholici nominis hostes ob rerum adiuncta, in quibus civilis societas versatur, audaciores facti, homines a Deo et a Iesu Christo arcere exitiali odio obtectisque insidiis enituntur.

Christianae instaurationis necessitas, quam hodie boni omnes cernunt, Nos iubet mentem voluntatemque Nostram ad totius orbis sacerdotes potissimum con vertere, quandoquidem novimus humilem, vigilem studiosamque eorum operositatem,, qui, in media plebe cum vivant, eius aegritudines, poenas ac corporis animique angustias perspectas habent, posse evangelicis praeceptis omnium renovare mores, ac Iesu Christi « Eegnum iustitiae, amoris et pacis » [3] firmissime in terris constabilire.

Verumtamen haud possibile est sacerdotale munus plenos nancisci effectus, qui aetatis huius nostrae necessitatibus omnino respondeant, nisi sacerdotes circumstanti populo insignis sanctitatis fulgore praeluceant; sintque digni « ministri Christi », fideles « dispensatores mysteriorum Dei », [4] efficaces « Dei adiutores », [5] ad omnes opus bonum instructi.[6]

Iamvero nullo Nos posse aptiore modo putamus universo clero gratam profiteri voluntatem Nostram — qui quidem quinquagesimo exeunte sacerdotii Nostri anno, per admotas ad Deum preces suam erga Nos pietatem testatus est — quam si clericos omnes ad illam assequendam sanctitudinèm paterno* adhortem u r animo, sine qua concreditum eisdem ministerium frugiferum esse non potest. Annus Sacer, quem ea spe indiximus, ut omnium mores evangelicis praeceptis redintegrarentur, hoc imprimis afferat optamus, ut nempe, qui christiani populi sunt duces, ad virtutis verticem alacriore gradu contendant, atque ita animati, ita instructi, sibi creditum gregem Iesu Christi spiritu renovent.

Quodsi adauctae hodie christianae societatis necessitates in-

[3] Praef. Miss, in festo Iesu Christi Regis.

[4] Cf. / ***Cor.,*** IV, 1.

[5] Cr. ***I Cor.,*** III, 9.

[6] Cf. ***II Tim.,*** III, 17.

ternae perfectionis formam magis magisque a sacerdotibus postulant, animadvertentum tamen est eos, ex ipsius altissimi muneris natura divinitus accepti, sanctitatis officio teneri semper, ubique totisque viribus assequendae.

Quemadmodum Decessores Nostri peculiarique modo Pius X[7] et Pius XI[8] docuere, ac Nosmet ipsi in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis*[9] et *Mediator Dei*[10] attigimus, sacerdotium utique magnum est donum Divini Redemptoris; qui quidem ut humani generis redemptionis opera, quam ipse e Cruce pendens consummavit, ad saeculorum usque occasum perpetuaretur, potestatem suam Ecclesiae commisit, quam unici aeternique sacerdotii sui participem esse voluit. Sacerdos veluti « alter Christus)) est, cum indelebili sit charactere insignitus, quo viva Servatoris nostri quasi imago efficitur; sacerdos Iesu Christi partes agit, qui dixit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos »;[11] « qui vos audit, me audit».[12] Caelesti quodam instinctli eiusmodi ministerio augustissimo initiatus, « pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis ».[13] Ad eum igitur accedat oportet quisquis Divini Redemptoris vitam vivere, atque vim, solacium animique alimentum accipere cupit; itemque ab eo opportuna remedia quaerat, quisquis a collapsis moribus ad frugem bonam reverti nititur. Itaque sacri omnes administri iure meritoque Apostoli gentium sententiam sibi tribuere queunt: « Dei... sumus adiutores ».[14]

Excelsa haec dignitas a sacerdotibus postulat ut gravissimo officio suo fidelitate summa respondeant. Cum divinae in terris provehendae gloriae ac mystico fovendo augendoque Christi

[7] Exhortatio ***Haerent animo; Acta Pii X,*** vol. IV, p. 237 sq.

[8] Litt Enc. ***Ad catholici sacerdotii, A. A. 8.,*** XXVIII, 1936, p. 5 sq.

[9] ***A. A. S.,*** XXXV, 1943, p. 193 sq.

[10] ***A. A. 8.,*** XXXIX, 1947, p. 521 sq.

[11] IOANN., XX, 21.

[12] Luc, X, 16.

[13] ***Hebr.,*** V. 1.

[14] ***I Cor.,*** III, 9.

Corpori inservire debeant, oportet omnino ita sanctitudinis fulgore praestent, ut per eos « Christi bonus odor »[15] usquequaque propagetur.

Eo ipso die, quo vos, dilecti filii, ad sacerdotale fuistis evecti munus, Episcopus sollemniter Deique nomine praecipuum a vobis exsequendum officium hisce verbis indicavit: « Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis; quatenus mortis dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, id est familiam Dei ».[16] A peccatis omnino immunis, vita vestra, magis quam ea, quam christiani e laicorum ordine ducunt, abscondita sit cum Christo in Deo;[17] atque ita eximia illa virtute exornati, quam vestra exigit dignitas, humanae redemptionis opus perficiendum pergite, ad quod quidem sacerdotalis consecratio vos destinavit.

Hoc propositum est, quod vos ultro libenterque exsequendum suscepistis; sancti estote, quia, ut nostis, sacrum est ministerium vestrum.

I

Ex Divini Magistri sententia,[38] christianae vitae perfectio caritate erga Deum, erga proximos potissimum innititur, quae tamen flagrans, studiosa, operosa sit. Ea enim, si ita conf ormatur, omnes quodammodo amplectitur virtutes;[19] atque adeo iure meritoque « vinculum perfectionis »[20] dici potest. In quibusvis igitur rerum condicionibus versetur homo, opus est prorsus ut mentem suam suosque actus ad hoc propositum plirigat.

[15] ***II Cor.,*** II, 15.

[16] ***Pontificale Rom.,*** De ord. presbyt.

[17] Cf. ***Col,*** III, 3.

[18] Cf. MATTH., XXII, 37, 38, 39.

[19] Cf. ***I Cor.,*** XIII, 4, 5, 6, 7.

[20] ***Col.,*** III, 14.

Ad id tamen peculiari officio adstringitur sacerdos. Quaevis enim eius sacerdotalis actio suapte natura — quatenus nempe sacrorum administer hac de causa divinitus vocatus est, ac divino munere divinoque charismate insignitus — ut ad hoc contendat necesse est; ipse enim Iesu Christo, unico aeternoque sacerdoti, sociam operam navare debet; eumque sequatur, imitetur oportet, qui, cum terrenam vitam ageret, nihil potius habuit, quam incensissimum suum erga Patrem amorem tes tare tur suique Cordis infinitos thesauros hominibus impertiret.

Praecipuus, quo sacerdotis animus moveri debet, impulsus eo contendat, ut eum Divino Redemptore arctissime coniungatur, ut christianae doctrinae praecepta integerrime docilique voluntate amplectatur, utque eadem quovis suae vitae tempore tam impense ad effectum deducat, ut suae agendi rationi catholica fides praeluceat, eiusdemque fidei splendorem sua agendi ratio quodammodo reverberet.

Huius virtutis fulgore ductus, continenter suos oculos ad Christum convertat; eius praescripta, actiones, exempla studiosissime sequatur; sibique omnino persuasum habeat non satis esse eis se officiis, quibus christifideles tenentur, obtemperare, sed oportere etiam citatiore cotidie gradu ad illam contendere, quam excelsa sacerdotalis dignitas postulat, vitae perfectionem, secundum illud: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere, eisque virtute et recte factis in exemplum excellere ».[21]

Sacerdotalis vita, ut a Christo oritur, ita nullo non tempore ad eum omnino dirigatur necesse est. Christus autem Dei Verbum est, qui humanam naturam non est dedignatus assumere; qui hanc terrestrem vitam egit ut Aeterni Patris obtemperaret voluntati; qui se circum lilii suavitatem effudit; qui in paupertate vixit; « qui petransiit benefaciendo et sanando omnes »;[22] qui denique se hostiam pro fratrum salute obtulit. Habetis, dilecti filii, mirabilis huius vitae summam veluti ante oculos

[21] ***C. I. C,*** can. .124.

[22] ***Act. Ap.,*** X, 38.

positam; eam in vos referre omni nisu studeatis, incitamenti illius memores: « Exemplum... dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis ».[23]

Christianae autem perfectionis initium ex humilitatis virtute oritur. « Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde ».[24] Nos siquidem probe considerantes ad quam celsissimam dignitatem per Baptisma et sacrum Ordinem vocati fuimus, ac spiritualem nostram noscentes inopiam, divinam illam meditemur sententiam Iesu Christi asseverantis : « Sine me nihil potestis facere ».[25]

Sacerdos non suis viribus confidat, non suis dotibus immodice delectetur, non hominum aestimationem laudationesque captet, non amplioribus muneribus cupide inhiet, sed Christum imitetur, qui « non venit ministrari, sed ministrare »,[26] ac semet ipsum ad Evangelii normam abneget,[27] terrenisque rebus nimis ne adhaereat, ut facilius atque expeditius divinum sequatur Magistrum. Quidquid habet, quidquid est, ex Dei bonitate virtuteque defluit; si igitur gloriari velit, Apostoli gentium verba meminerit: « Pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis ».[28]

Illius humilitatis studium, quae fidei luce collustretur, hominem ad quamdam voluntatis immolationem per debitam oboedientiam compellit. Christus ipse in societate ab se condita legitimam constituit auctoritatem, quae suam in aevum perpetuare^ quamobrem qui Ecclesiae obtemperat moderatoribus, Divino ipsi Redemptori obtemperat.

Aetate hac nostra cum auctoritatis fundamentum temerario ausu conciltiatur, opus omnino est ut sacerdos, fidei praecepta firma retinens mente, hanc eamdem auctoritatem agnoscat riteque observet, veluti necessarium non modo religiosarum ac so-

[23] IOANN., XIII, 15.

[24] MATTH., XI, 29.

[25] IOANN., XV, 5.

[26] MATTH., XX, 28.

[27] Cf. MATTH., XVI, 24.

[28] *II Cor.*, XII. 5.

cialium .rerum tutamentum, sed suae etiam ipsius procurandae sanctitatis principium. Dum divini nominis osores nefaria quadam calliditate immodicas nonnullorum cupidines incitare ac pellicere idcirco enituntur, ut adversus Sanctae Matris Ecclesiae iussa eos erigant, debitis Nos cupimus exornare laudibus paternoque confirmare animo frequentissimum illorum sacrorum administrorum agmen, qui quidem, ut christianam suam oboedientiam luculenter profiteantur, utque integerrimám suam fidelitatem erga Christum ab eoque constitutam auctoritatem servarent incolumem, « digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati »[29] ac non solum contumelias, sed insectationes, sed carcerem atque etiam mortem.

In earum rerum ordine operatur sacerdos, quae ad supernam vitam pertinent, cum eiusdem supernae vitae incrementa provehat, eamque cum mystico Iesu Christi Corpore communicet. Quamobrem negotiis illis vale dicat oportet « quae sunt mundi », ut ea solummodo curet, « quae Domini sunt ».[30] Cum igitur a saeculi sollicitudinibus liber esse debeat, seseque totum divino servitio mancipare, caelibatus legem Ecclesia constituit, quo magis etiam magisque manifestum omnibus pateat eum esse Dei administrum animorumque patrem. Qua quidem caelibatus lege potius quam paterni muneris officium omnino amittat sacerdos, in immensum revera adauget, quandoquidem non terrenae huic ac caducae vitae subolem parit, sed caelesti perpetuoque mansurae.

Quo splendidius autem sacerdotalis castimonia refulget, eo magis sacrorum administer fit una cum Christo « hostia pura, hostia sancta, hostia immaculata».[31]

Quam quidem castimoniam ut integerrimam, quasi inaestimabilis pretii thesaurum, omni cura servemus, opportunum ac necessarium est illi Apostolorum Principis adhortationi reli-

[29] ***Acta Ap.,*** V, 41.
[30] ***I Cor.,*** VII, 32, 33.
[31] ***Missale Rom.,*** can.

giose obsequi, quam cotidie in horariis precibus repetimus; « Sobrii estate, et vigilate ».[32]

Advigilate utique, dilecti filii, quandoquidem castitati vestrae tot pericula occurrunt, tum ob mores publice pessumdatos, tum ob vitiorum illecebras, quae vobis hodie tam facile insidiatur, tum denique ob nimiam illam necessitudinum libertatem, qua utriusque sexus cives utuntur, et quae interdum in sacri etiam ministerii exercitium irrepere audet. « Vigilate, et orate »,[33] semper memores manus vestras res sanctissimae .tangere ; itemque memores vos esse consecratos Deo, eidemque debere unice servire. Vestis ipsa, quam geritis, quodammodo vos admonet ut non mundo, sed Deo vivatis. Omni igitur nisu omnique alacritate efficite, maternae confisi Deiparae Virginis tutelae, ut « nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei »[34] cotidie sitis.

Quam ad rem opportunum ducimus peculiari modo vos adhortari ut in mulierum consociationibus ac sodaliciis moderandis tales vos exhibeatis, quales sacerdotes addecet; familiaritatem omnem devitate ; ac quotiescumque opera vestra necessaria est, eam utpote sacri administri impertite. Atque in iisdem consociationibus dirigendis navitatem vestram iis contineatis limitibus, quos sacerdotale ministerium vestrum postulat.

Nec satis habeatis per castimoniam voluptatibus carnis renuntiare ac per oboedientiam moderatoribus vestris voluntatem sponte subicere, sed animam quoque a divitiis terrenisque rebus cotidie magis abalienatum gerite. Etiam atque etiam vos adhortamur, dilecti filii, ut res fiuxas ac perituras huius mundi ne nimis diligatis ; sanctissimos veteris nostraeque aetatis viros venerabundi in exemplum intuemini, qui quidem, debitam externorum bonorum abstinentiam summamque Providentis Numinis fiduciam cum flagrantissimo sacerdotali studio coniungentes, miranda prorsus opera patrarunt Deo unice confisi,

[32] *I Petr., V,* 8.

[33] MARC., XIV, 38.

[34] *Pontificale Rom.,* In ordin. Diacon.

qui necessaria numquam auxilia denegat. Sacrorum etiam administri, qui paupertatis officio ob peculiare nuncupatum votum non obligantur, huius paupertatis amore ducantur oportet; quem quidem amorem simplicis ac moderatae vitae ratio demonstret, habitatio non sumptuosa declaret, ac denique generosa erga egenos largitas confirmet. Potissimum vero se abstineant ab oeconomicis illis inceptis, quae eos a sacris obeundis muneribus abstrahant, debitamque sibi imminuere possint christifidelium aestimationem. Sacerdos siquidem, cum in animorum salutem procurandam omni ope incumbat necesse sit, illam sibi Apostoli Pauli sententiam tribuere debet: « Non... quaero quae vestra sunt, sed vos ».[35]

Si heic opportunitas haberetur de virtutibus omnibus enucleate agendi, quibus sacerdos divinum Iesu Christi exemplar aptiore, quo potest, modo in se referat opus est, multa profecto, quae menti Nostrae occurrunt, pertractaremus; voluimus tamen ea solummodo peculiari modo menti vestrae inculcare, quae nostris hisce temporibus potiore ratione necessaria viderentur; ad ceteras autem quod attinet, hanc satis esto aurei libelli de imitatione Christi recordari sententiam: « Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus; et aliis bonae vitae exemplum praebere. Eius conversatio non cum popularibus et communibus hominum viis, sed cum Angelis in caelo, aut cum perfectis viris in terra ».[36]

Nemo est qui ignoret, dilecti filii, singulis christianis peculiarique modo sacerdotibus possibile non esse miranda Divini Magistri exempla in cotidianae vitae usu imitari, nisi supernae gratiae auxilio fruantur, iisque utantur eiusdem divinae gratiae instrumentis, quae ipsemet nobis dilargitus est. Idque eo magis evadit necessarium, quo excelsior perfectio est, quam nos attingere debemus, et quo graviores ex natura nostra, in malum prona, oriuntur difficultates. Qua quidem ratione ducti, oppor-

[35] *II Gor.*, XII, 14.
[36] *De iniit. Christi*, IV, c. 5, v. 13, 14.

tunum putamus gradum facere ad alias, grandidatis ac solacii plenas, proponendas veritates, ex quibus vel luculentius patet quam elata esse debeat sacerdotalis sanctitas, et quam efficaces sint opes nobis a Iesu Christo datae, ut divinae misericordiae consilia ad effectum in nobis deducere possimus.

Quemadmodum omnis Servatoris nostri vita ad sui ipsius sacrificium ordinata fuit, ita pariter sacerdotis vita, qui Christi imaginem in se referre debet, cum eodem, in eodem per eumdemque gratum fiat sacrificium oportet.

Siquidem sacrificium, quod Divinus Redemptor e cruce pendens in Calvariae monte obtulit, non sui proprii corporis tantummodo immolatio fuit; ipse enim semet ipsum piacularem hostiam dedit utpote humani generis Caput; atque adeo « cum spiritum suum in manus Patris commendat, ut homo seipsum commendat Deo, ut omnes homines Deo commendet ».[37]

Idem profecto in Eucharistico sacrificio contingit, quod incruenta est crucis sacrificii renovatio: Christus enim semet ipsum Aeterno Patri offert pro sua gloria nostraque salute; quandoquidem autem ipse, sacerdos et hostia, ut Ecclesiae Caput agit, non modo semet ipsum, sed christianos universos et quodam modo omnes etiam homines offert et immolat.[38]

Iamvero si hoc pro christianis omnibus, maiore profecto titulo pro sacerdotibus valet, qui idcirco praesertim Divini Redemptoris ministri sunt, ut Eucharisticum sacrificium peragant. Quo quidem in Eucharistico sacrificio, dum personam Christi sustinentes, panem et vinum consecrant, quae Corpus et Sanguis Christi fiunt, inexhaustos ex ipso supernae vitae fonte haurire possunt salutis thesauros omniaque illa auxilia, quae sibi non modo necessaria sint, sed suo etiam ipsorum explendo muneri.

Sacrorum nempe administer, dum divinis hisce mysteriis arctissime coniungitur, facere non potest quin esuriat ac sitiat

[37] S. ATHAÄAS., *De incarnatione,* n. 12: MIGNE, *P. C,* XXVI, 1003 s.

[38] Cf. S. AUG., *De civitate Dei;* 1. X, c. 6: MIGNE, *P. L.,* XLI, 284.

iustitiam,[39] seseque vehementer incitatum sentiat ad illi, qua ornatur, tam excelsae dignitati vitam aequandám suam, ad eamdemque se devovendi studio conformandam, cum semet ipsum debeat una cum Christo quodammodo immolare. Quamobrem Eucharisticum sacrificium non modo celebret, sed etiam intima quadam ratione vivat oportet; ita enim supernam vim illam haurire potest, qua fiat ut penitus transformetur, atque piacularem Divini ipsius Redemptoris vitam participet.

Ex Apostoli Pauli sententia, praecipuum christianae perfectionis principium hoc praecepto declaratur : « Induimini Dominum Iesum Christum ».[10] Hoc autem praeceptum, si ad christifideles omnes pertinet, at potiore quodam modo sacerdotes obstringit. Atqui Iesum Christum indui non modo significat ad eius doctrinam mentem dirigere suam, sed novam etiam vitam ingredi, quae quidem ut Thaboris splendoribus fulgeat, Redemptoris nostri debet imprimis, in Calvaria patientis, doloribus angoribusque conformari. Hoc profecto arduum adsiduumque laborem postulat, quo animus noster quasi victima efficiatur, ut cum Christi sacrificio intima ratione communicet. Hic arduas adsiduusque labor non inani voluntate ducitur, non desideriis ac votis concluditur, sed studiosa esse debet indefessaque actio, quae ad frugiferam animi renovationem contendat; sed pietatis sit oportet exercitatio, qua omnia ad Dei gloriam referantur; paenitentiae sit exercitium, quod immoderatos animi motus temperet ac refrenet; caritatis sit navitas, quae nos erga Deum, erga proximos amore inflammet, nosque ad omnia provehenda misericordiae opera permoveat; sit denique actuosae voluntatis alacritas, qua enitendo eluctandoque perfectissima quaeque attingamus.

Necesse est igitur ut, quod in sacrificali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat : quemadmodum nempe Iesus Christus semet ipsum immolat, ita eius administer una cum illo se immolare debet; quemadmodum Iesus expiât peccata ho-

[39] Cf. MATTH., V, 6.

[10] *Rom.,* XIII, 14.

minum, ita sacerdos per excelsum christianae asceseos iter ad propriam perveniat necesse est proximorumque purificationem. Ita enim eum S. Petrus Chrysologus admonet: « Esto Dei sacrificium et sacerdos; non amittas quod tibi divina dedit et concessit auctoritas. Induere sanctitatis stolam; praecingere balteum castitatis; sit in velamento capitis tui Christus; crux in frontis tui munimine perseveret; pectori tuo appone divinae scientiae sacramentum; in odorem thymiama semper orationis accende; arripe gladium Spiritus; altare cor tuum/ppne et sic corpus tuum admove Dei securus ad victimam... Offer fidem ,ut perfidia sit punita; immola ieiunium, ut voracitas cesset; sacrifica castitatem, ut moriatur libido; impone pietatem, ut deponatur impletas; invita misericordiam, ut avaritia deleatur; et ut consumatur stultitia, semper sanctitatem convenit immolare: sic fiet corpus tuum tua hostia, si nullo peccati iaculo fuerit sauciata ».[41]

Quae Nos christianis universis per Encyclicas Litteras *Mediator Dei* meditanda proposuimus, ea placet in praesens iisdem verbis peculiari modo sacerdotibus iterare: « Christus utique sacerdos est, sed nobis non sibi sacerdos, cum vota religionisque sensus totius humani generis nomine Aeterno Patri deferat; idem pariter victima est, sed nobis, cum semet ipsum in vicem hominis culpis obnoxii reponat. Iamvero illud Apostoli " hoc... sentite in vobis, quod et in Christo Iesu " a christianis omnibus postulat, ut eo modo animum in se referant affectum, quantum humana potest facultas, quo Divini Redemptoris animus affectus erat, cum sui ipsius faciebat sacrificium; humilem nempe referant mentis demissionem, summaeque Dei Maiestati adorationem adhibeant, honorem, laudem, gratiarum actionem. Postulat praeterea ab iisdem ut victimae condicionem quodammodo sumant ut semet ipsos ad Evangelii praecepta abnegent, ut paenitentiae ultro libenterque dent operam, utque admissa quisque sua detestentur et expient. Postulat denique ut omnes una cum Christo mysticam in Cruce mortem obeamus, ita qui-

" ***Sermo OVIII:*** MIGNE, ***P. L.,*** LII, 500, 501.

dem ut Pauli sententiam usurpare possimus : " Christo confixus sum Cruci " » /[2]

Sacerdotes ac filii dilectissimi, magnum nos habemus in nostris manibus thesaurum ac pretiosissimam margaritam, hoc est inexhaustas Iesu Christi Sanguinis divitias; iisdem quam largissime utamur, ita quidem ut, per plenum nostri sacrificium Aeterno Patri una cum Christo oblatum, veraces efficiamur iustitiae conciliatores « in iis, quae sunt ad Deum »,[43] ac mereri possimus, ut preces nostrae benigne excipiantur, ac superfiuentem gratiarum imbrem impetrent, quae Ecclesiam omnesque animos recréent atque fecundent. Tum solummodo, cum nempe veluti unum erimus cum Christo per suam nostramque immolationem, vocemque nostram cum caelestis Hierosolymae habitatorum choro conseremus secundum illud « illi canentes iungi - mur almae Sionis aemuli »,". tum solummodo, Servatoris nostri virtute corroborati, e sanctitatis vertice, quem assecuti fuerimus, tute poterimus ac secure cunctis hominibus impertire per sacerdotale ministerium nostrum supernam Dei lucem supernamque vitam.

Perfecta sanctitatis forma id etiam requirit ut cum Deo continenter communicemus; ut autem eiusmodi communicatio, quae sacerdotali animo cum Deo intercedat oportet, per subsequentes dies et horas ne intermittatur, Ecclesia sacros administros officio teneri iussit horarias preces recitandi. Ea hoc modo Divini Redemptoris praecepto fideliter obsecuta est dicentis: «Oportet semper orare et non deficere».[45] Siquidem, quemadmodum Ecclesia ab effundendis precibus nullo tempore cessat, ita percupit ut filii sui supplicationes numquam intermittant; iisdemque Apostoli Pauli adhortationem repetit : « Per ipsum [Iesum] ofïeramus hostiam laudis semper Deo, id est,

[42] ***A. A. S.,*** XXXIX, 1947, pp. 552, 553.

[43] ***Rehr.,*** V, 1.

[44] ***Brev. Rom.,*** Hymn. pro off. Dedic. Eccl.

[45] Luc, XVIII, 1.

fructum labiorum confitentium nomini eius ».[46] Sacrorum autem administris hoc peculiare munus concredit, tit nempe, populi etiam nomine comprecando, omnis temporis rerumque decursum quodammodo Deo consecrent.

Huic officio obsequens sacerdos, illud vertentibus saeculis, agere pergit, quod Christus fecit, qui « in diebus carnis suae preces supplicationesque... cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia ».[47] Hae siquidem preces, cum adhibeantur Christi nomine, hoc est « per Dominum Nostrum Iesum Christum », qui, conciliatur noster apud Patrem, suam eidem perpetuo offert satisfactionem, sua promerita validissimumque sui Sanguinis pretium, singulari procul dubio efficacitate pollent. Sunt enim peculiari ratione « vox Christi », qui <(orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis, ut. Caput nostrum ».[48] Parique modo sunt semper « vox Ecclesiae », quae vota ac desideria christifidelium omnium refert; qui quidem una cum sacerdotis precibus eiusque fide coniuncti, laudibus Iesum Christum prosequuntur, ac per ipsum Aeterno Patri grates agunt, ab eoque quovis die, quavis hora necessaria impetrant auxilia. Itaque quod Moyses quondam fecit, cum in montis vertice brachia ad caelum extollens cum Deo colloquebatur ab eoque pro populo suo, in subiecta valle aerumnis laborante, misericordiam efflagitabat, id per sacros administros quodam modo cotidie iteratur.

At horariae preces multum etiam multumque ad sanctitatem efficaciter assequendam conferunt; non enim agitur solummodo de formularum recitatione, vel de canticis, quae ex artis legibus rite pangan tur; non agitur solummodo de peculiaribus, observandis normis, quas rubricas vocant, vel de externis tantum divini cultus caerimoniis; sed potiore ratione agitur de ascensu mentis animique nostri ad Deum, ut cum beatis spiri-

[46] ***Hebr.,*** XIII, 15.

[47] Ibid., V, 7.

[48] S. AUG., ***Enarr. in Ps. LXXXV,*** n. 1: MIGNE, ***P. L.,*** XXXVII, 1081.

tibus, laudes eidem in aeternum continentibus, copulemur.[49] Quamobrem horariae preces, ut in earum notatur initio, « digne, attente ac devote » recitandae sunt.

Opus est autem ut sacerdos has supplicationes fundat eadem illa mente, qua Divinus Redemptor precabatur. Est igitur quasi ipsa vox eius, quae per suum administrum a eminentissimo Patre suo redemptionis beneficia implorat; est ipsa vox eius, cui Angelorum Sanctorumque agmina in Caelo, christianorumque multitudines in terra coniunguntur, ut debita Deo gloria referatur; Iesu Christi advocati nostri vox est, qua immensi suorum meritorum thesauri nobis impertiuntur.

Frugiferas illas veritates, quas Spiritus Sanctus per Sacrarum Litterarum sententias pandit, atque Patrum Doctorumque scripta commentantur, accurate diligenterque meditemini. Dum labia vestra divina verba repetunt quae afflatu superni Flaminis tradita fuere, nihil tanti thesauri amittatis; utque animus vester Dei voci fideliter resonet, ea omnia, quae mentem vestram avocent, adsidue studioseque dispellite; atque intentas cogitationes vestras colligite, ut faciliore ac fructuosiore ratione aeternarum rerum contemplationi vacetis.

In Encyclicis Litteris *Mediator Dei* copiose satis enucleavimus qua de causa Ecclesia per annuum liturgiae cursum in memoriam revocet aptoque ordine veluti ante oculos repraesentet omnia Iesu Christi mysteria, diesque etiam festos celebrari iubeat Mariae Virginis sanctorumque Caelitum. Haec doctrinae praecepta, quae christianis universis, utpote omnibus utilissima, impertivimus, addecet omnino vos, sacerdotes, peculiari modo recolere; vos dicimus, qui per Eucharisticum sacrificium Divinumque Officium, quod dicitur, in hoc eodem liturgiae cursu praecipuas partes agitis

Ecclesia praeterea, ut nos ad sanctimoniam alacrius cotidie assequendam compellat, alia etiam pietatis exercitia, praeter Eucharisticum sacrificium et horarias preces, enixe nobis com-

[49] Cf. Litt. Enc. ***Mediator Dei: A. A. 8.,*** XXXIX, 1947, p. 574.

mendat. De quibus quidem placet aliquid'heic attingere vestraeque considerationi proponere.

Imprimisque ad sacram meditationem nos adhortatur, quae mentem ad superna transvehit, et ad caelestium rerum cogitationem advocat, itemque animum nostrum, Dei desiderio inflammatum, recta ratione ad eum dirigit. Haec sacra meditatio aptissime nos praeparat ad Eucharisticum celebrandum sacrificium et ad debitas post illud grates agendas Deo; ad suavem nos inducit liturgiae pulchritudinem percipiendam gustandamque; itemque ad aeternas veritates et ad miranda Evangelii exempla ac praecepta contemplanda nos permovet.

Iamvero haec Evangelii exempla Divinique Redemptoris virtutes prorsus necesse est ut sacrorum administri diligentissime in se referant. Sed, quemadmodum corporis cibus vitam nostram non alit, non sustentat, non auget, nisi digestus ac confectus in nostram fuerit substantiam conversus, ita sacerdos, nisi meditando contemplandoque Divini Redemptoris mysteria — qui quidem summum atque absolutum perfectionis exemplar «st ac sanctitudinis fons inexhaustus — eius vitam vivat, sui suorumque sensuum dominio potiri non potest, neque animum purificare suum, neque ad virtutem, ut oportet, contendere, nec denique sacra munera sua fideliter, actuose, frugifere obire.

Gravi igitur officio Nos-teneri ducimus ad cotidianae meditationis usum vos peculiari modo cohortari ; quem quidem usum Codex etiam Iuris Canonici clericis omnibus commendat.[50] Quemadmodum enim ex cotidiana eiusmodi meditatione sacerdotalis perfectionis studium alitur ac renovetur, ita ex eius neglegentia illud oritur spiritualium rerum taedium, quo pietas defervescit ac langue t,, et quo non tantum suus cuiusque ad sanctitatem impulsus vel intermittitur, vel retardatur, sed sacri etiam ministerii opera haud levia capiunt detrimenta. Quamobrem iure meritoque asseverandum est peculiarem sacrae meditationis efficacitatem nulla posse alia ratione haberi, atque adeo cotidianus eius usus nullo alio modo substitui posse.

[50] Cf. can. 125, 2«.

A caelestium autem rerum commentatione contemplationeque supplicationes viva voce factae ne disiungantur; ceteraeque ne desint privatim precandi formae, quae apte, pro peculiari sua cuiusque condicione, ad fovendam animi cum Deo coniunctionem Conferant. Illud tamen animadvertendum est: potius quam multiplicatas preces, pietatem valere ac verax et ardens supplicandi studium. Hoc enim ardens precandi studium hodie potissimum, si umquam alias, necessarium est, dum « naturalismus », qui dicitur, hominum mentes animosque incessit, et dum virtus periculis omne genus circumvenitur, quae quidem interdum sacrum etiam obeuntibus ministerium occurrunt. Quid enim melius efficere possit, ut ab hisce insidiis praecaveatis, quid aptius mentem vestram ad superna erigat, vosque cum Deo coniunctos vivere iubeat, quam constans ad eum admota oratio divinique supplicatio auxilii?

Cum autem sacerdotes peculiari titulo Mariae Virginis filii vocari queant, temperare sibi non poterunt quin eam incensissima pietate adament, fidenti eam animo invocent, validamque eius tutelam frequenter implorent. Cotidie igitur, quod Ecclesia ipsa commendat,[51] mariale rosarium recitare studeant; qua quidem recitatione etiam Divini Redemptoris mysteria meditanda nobis proponuntur, nosque « ad Iesum per Mariam » ducimur.

Praeterea sacrorum administer, antequam cotidianos suos concludat labores, ad Eucharistica tabernacula adeat ibique aliquantisper saltem commoretur, ut Iesum in suo caritatis sacramento adoret, ut tot hominum ingratitudinem expiet, ut magis in dies divino amore ferveat, ut denique nocturnae etiam requietis tempore, quod mortis silentium in mentem revocat, aliquo modo praesens in sacratissimo eius Corde permaneat.

Neque praetermittat suae conscientiae secreta cotidie perscrutari suique ipsius censuram gerere; quod procul dubio tantum valet simul ad spiritualis vitae rationem per elapsi diei spatium inquirendam, simul ad illa removenda obstacula, quae

[51] Cf. ***C. I. C, can.*** 125, 2.

virtutis incrementa vel retardent, vel praepediant, simul denique ad ea omnia alacrius persequenda, quae sacerdotalia munera magis frugifera efficiant, et ad caelestis Patris, ob tot misere acta, misericordiam implorandam.

Quae quidem misericordia et admissorum venia per Paenitentiae Sacramentum nobis peculiari modo conceditur, quod praecipuum est divinae bonitatis opus, quo infirmitas nostra roboratur. Numquam contingat, dilecti filii, ut salutaris huius reconciliationis administer hoc Sacramento se abstineat. Hac de re, ut nostis, hoc Ecclesia edicit: « Curent locorum Ordinarii, ut clerici omnes Paenitentiae Sacramento frequenter conscientiae maculas eluant ».[52] Quamvis enim Iesu Christi ministri, miseri tamen sumus; quomodo igitur possumus Dei aram ascendere ac sacra pertractare, nisi saepe nos expiare ac purificare studeamus? Hac enim ratione « recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicato pravitas, spirituali neglegentiae torpori obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animorum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia».[53]

Quam ad rem opportunum etiam ducimus vos adhortari, dilecti filii, ut in spiritualis vitae itinere ingrediendi) persequendoque ne nimis vobis confidatis, sed demisso docilique animó ab iis consilium suscipiatis petatisque auxilium, qui sapienti moderatione vos regere possint, qui adventantia pericula vobis praenuntiare queant, itemque consentanea vobis indicare remedia, et in difficultatibus omnibus ex internis externisve rebus oriundis, vos recta ratione ducere, vosque ad perfectionem illam, cotidie auctiorem dirigere, ad quam sanctorum Caelitum exempla probatique christianae asceseos magistri vos alliciant et advocent. Etenim sine prudentibus hisce conscientiae moderatoribus, plerumque difficillimum est supernis Sancti Spiritus impulsionibus divinaeque gratiae recto modo obsecundare.

Cupimus demum Spiritualium omnibus commendare Exer-

[52] C /. *C,* can. 125, I°.

[53] Litt. Enc. ***Mystici Corporis Christi: A. A. S.,*** XXXV, 1943, p. 235.

citiorum usum. Cum enim nos per aliquot dierum spatium ex suetis rebus suetisque vivendi agendique rationibus segregamus, ac solitudinem silentiumque petimus, tum facilius profecto secundas damus aures divinis eloquiis, quae altius in animos descendunt nostros; dumque nos haec Exercitia ad officia sanctius exsequenda revocant et ad suavissimo Iesu Christi mysteria contemplanda, voluntatem nostram ita confirmant, ut « serviamus illi in sanctitate et iustitia omnibus diebus nostris ».[54]

II

In Calvariae monte Divini Redemptoris fuit transverberatum latus, ex quo sacer eius cruor defluxit, qui veluti amnis per saeculorum cursum exundans, animos hominum eluit, eorum peccata expiât, eisdemque salutis thesauros impertit.

Ad hoc autem celsissimum obeundum ministerium sacerdotes destinantur. Ipsi enim non modo Iesu Christi vitam et gratiam mystici eius Corporis membris conciliant, cum iisdemque communicant, sed etiam ad eiusdem mystici Corporis fovendum incrementum conferunt, cum novos continenter debeant Ecclesiae filios donare, eosque educere, excolere, moderari. Cum « dispensatores mysteriorum Dei »[55] sint, perfecta caritate debent Iesu Christo famulari suasque vires omnes in fratrum salutem impendere. Cum lucis apostoli sint, Evangelii doctrina collustrare mundum debent, christianaque fide ita ipsimet intus vigere, ut eam cum ceteris participare possint, ac Divini Magistri exemplis et praeceptis insistentes, ad eum omnes reducere queant. Gratiae ac veniae apostoli sunt, atque adeo hominum procurandae saluti se omnino devoveant, eosque ad Dei aram advocent, ubi caelestis vitae pane enutriri possint. Caritatis apostoli sunt; huius igitur caritatis opera atque incepta urgeant, cum praesertim nostris hisce temporibus indigentium necessitates in immensum succreverint.

[54] Luc, I, 74, 75.
«* ***I Cor.,*** IV, 1.

Curet praeterea sacerdos ut christifideles doctrinam de « Sanctorum Communione » recte intellegant, sentiant, experiantur; impenseque eam per instituta illa promoveant, quae ab « Apostolatu liturgico » et a « precationis Apostolatu » nuncupantur. Parique modo ceterae omnes apostolatus formae rationesque provehantur, quae hodie, ob peculiares christiani populi necessitates, tanti momenti sunt tantaeque gravitatis. Iri id nempe diligentissime contendatur., ut sacra catechesis omnibus impertiatur, ut « Actio Catholica » ac « Missionalium Actio >> quam latissime propagentur et foveantur; itemque ut ea omnia per laicos viros apte instructus ac conformatos cotidie maiora incrementa capiant, quae ad rem socialem recte ordinandam pertineant, quemadmodum nostra postulat aetas.

Animadvertat tamen sacerdos gravissimum sibi creditum ministerium eo fructuosius fore, quo arctius ipse cum Christo coniunctus, eiusque spiritu ductus operetur. Tum enim sacerdotalis eius actio non in naturalem tantum operositatem desi net, quae corpus animumque fatiget, et quae sacrum administrum, haud mediocri cum sui ipsius Ecclesiaeque detrimento, ex recto possit itinere abstrahere; at eius labor eiusque constantes nisus divinae gratiae ope corroborabuntur, quam quidem si Deus superbis denegat, iis tamen, qui demisso animo in « vinea Domini » operantes, non se suaque quaerunt,[56] sed Dei gloriam hominumque salutem, large libenterque concedit. Quamobrem Evangelii praeceptis obsecutus, ne sibi, ut iam diximus, suisque viribus confidat, sed superno potius auxilio, secundum illud : « Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat Deus ».[57] Per apostolatum hac conformatum ratione id non evenire non potest, ut sacerdos nempe superna quadam vi omnium animos vehementer ad se alliciat. Cum enim in se in suosque mores vivam quasi referat Iesu Christi imaginem, omnes, qui eo magistro utantur, intima quadam suasione compulsi, facile agnoscent eum non sua, sed Dei verba

[56] Cf. ***1 Cor.,*** X, 33.

[57] J ***Cor.,*** **III,** 7.

loqui, itemque non sua, sed divina virtute operari : « Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute, quam administrat Deus».[58] Quin immo, dum ipse ad sanctitatem nititur, suumque munus summa perfectione exercet, tam studiose debet Iesu Christi partes personamque agere, ut verecunde queat Apostoli gentium iterare sententiam: ((Imitatores mei estote ,sicut et ego Christi ».[59]

Hisce de causis, dum debitis eos honestamus laudibus, qui Dei amore proximorumque caritate ducti per hos annos, qui immane diuturnumque bellum subsecuti sunt, totis viribus in id incubuere ut, Episcopis praeeuntibus ac ducibus, tot rerum animorumque miserias relevarent, abstinere non possumus quin sollicitudinem anxitudinemque Nostram iis significemus, qui ob peculiaria rerum temporumque adiuncta in externarum actionum vorticem nimio saepius ita se ingurgitarunt, ut primum neglegerent sacerdotum officium, hoc est officium suae ipsius procurandae sanctitatis. Publice iam ediximus[60] ad rectius iter eos esse revocandos, qui temere autument salutem hominibus afferri posse per eam, quae « actionis haeresis » iure meritoque nominatur; per actionem dicimus, quae divinae gratiae ope non innitatur, neque ea constanter adhibeat necessaria assequendae sanctitudinis adiumenta quae a Iesu Christo fuere data. At pari modo opportunum duximus eos ad sacri ministerii opera impellere, qui animum ab externis rebus nimis abalienatum gerant, ac quasi superni auxilii potentia diffidentes, in id non satis contendant, pro facultate cuiusque sua, ut christiani spiritus virtus in vitae usum omnibus illis agendi rationibus inducatur, quas nostra tempora postulent.[61]

Vos igitur omnes enixe adhortamur ut arctissime cum Divino Redemptore coniuncti, cuius virtute omnia possumus,[62] impensa sollicitudine adlaboretis, ut eorum pro viribus aeternam procu-

[58] *I Petr., IV, 11.*

[59] *I Cor., IV,* 16.

[60] Cf. *A. A. S.,* XXXVI, 1944, p. 239; Epist. *Cum proxime exeat.*

[61] Cf. *Orat.* die xn mensis sept. a. MCMXXXXVII habitam.

[62] Cf. *Philipp., IV,* 13.

retis salutem, quos Providentissimus Deus apostolicis concredidit laboribus vestris. Quam vehementer cupimus, dilecti filii, ut sanctissimorum sitis illorum virorum aemulatores, qui elapsa aetate immensis exantlatis laboribus praeclare testati sunt quid possit hoc in mundo operari divinae gratiae potentia. Utinam illam Apostoli gentium sententiam sibi unusquisque vestrum, christifidelibus testantibus, sincere demisseque tribuere possit : <(Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris ».[63] Mentes superna luce collustrate; conscientias recto itinere dirigite; atque animos, vel dubitatione aes tuantes, vel dolore excruciatos, confírmate ac reficite. Hisce autem praecipuis apostolatus operibus alia etiam adicite, quorum necessitatem hodierna tempora clamant. Omnibus tamen manifestum pateat sacerdotem quavis sua agendi ratione nihil aliud quaerere, nisi animorum bonum, ad nihil aliud spectare, nisi ad Christum, cui suas vires ac semet ipsum consecrare debet.

Quemadmodum vero, cum vos ad vestram adipiscendam sanctimoniam admonuimus, vos adhortati sumus ut vivam Christi imaginem in vestros mores referatis, ita in praesens ad sacerdotalis muneris vestri sanctitatem atque efficientiam procurandam provehendamque vos etiam atque etiam appellamus, ut Divini Redemptoris vestigiis continenter insistere studeatis; qui quidem, Spiritu Sancto plenus, « pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo ».[64] Eodem vos Spiritu roborati, eiusque fortitudine impulsi, tale vos procul dubio expleturi eritis ministerium, quod, christiana alitum atque inflammatum caritate, et superna virtute polleat, et ad eamdem virtutem cum ceteris communicandam contendat.

Apostolicum studium vestrum divino illo amore flagret, quo omnia aequo animo toleretis, quo rebus non debilitemini adver-

[63] ***II Cor.,*** XII, 15.

[64] ***Acta Ap.,*** X, 38.

sis, et quo omnes amplectamini homines, tenuiores, vel rerum amplitudine praestantes, amicos, vel inimicos; fideles, vel infideles. Cotidianum eiusmodi laborem cotidianasque aegritudines a vobis poscit animorum salus, pro qua Servator noster dolores angoresque suos eo usque patientissime tulit, ut ad supremos cruciatus et ad mortem perveniret, quibus quidem nos voluit in divinam amicitiam restituere. Hoc unum, ut nostis, summum omnium bonorum est. Ne nimia igitur cupiditate exoptetis ut felix habeatur rerum successus; parique modo, si impense licet adlaborando, optatos tamen non poteritis consequi fructus, ne concidatis animo; etenim « alius est qui seminat, et alius est qui metit ».[65]

Hoc praeterea apostolicum studium vestrum summa benignitate niteat; quandoquidem, si necessarium omnino est errores refellere ac vitiis repugnare — ad quod quidem faciendum officio tenemur omnes — semper tamen sacerdotis animus miseratione moveatur necesse est; oportet siquidem omni nisu profligare errores, sed errantes fratres adamare eosque impensa caritate revocare ad salutem. Quot bene facta, quot miranda opera viri sanctitudine ornati patrare potuere ob suam etiam animi benignitatem; idque in rerum quoque adiunctis hominumque classibus, ubi omnia fere fallaciis ac vitiis cireumveniebantur ! At procul dubio ille suo ofiicio deesset, qui ut hominibus gratificaretür, pravis blandiretur eorum voluntatibus, vel minus rectis eorum cogitandi agendique rationibus non sine christianae doctrinae morumque probitatis discrimine obsecundaret. Cum tamen Evangelii praecepta sarta tectaque servantur, cum qui misere lapsi sunt, sincero desiderio moventur ad frugem redeundi bonam, tum illius sententiae reminiscatur sacerdos, quam Divinus Magister Apostolorum Principi tradidit, qui ab eo percontabatur quotiens fratribus venia concedenda foret: « Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies ».[66]

[65] **IOAxNN.,** IV, 37.

[66] MATTH.', XVIII, 22.

Vestra eiusmodi navitas non ad fluxa et caduca, sed ad aeterna potissimum spectare debet. Praecipuum hoc esto sacrorum administrorum propositum, qui ad sanctitatem, ut debent, contendere velint: pro divina tantum gloria animorumque salute laborare. Quot sacerdotes, in gravibus nostrorum temporum rerumque angustiis Apostoli gentium exempla ac monita prae oculis habuere, qui quidem parvo contentus et quae omnino necessaria essent solummodo quaerens asseverabat: « Habentes alimenta, et quibus tegamiir, his contenti simus ».[67]

Ex hac temperata terrenarum rerum abstinentia, quae cum Divinae Providentiae fiducia coniungitur, et quae summae laudis praeconio digna Nobis videtur, sacerdotale ministerium uberes profecto in spiritualem et in socialem etiam Ecclesiae utilitatem edidit fructus.

Haec impensa denique operositas vestra sapientiae ac disciplinae luce collustretur, caritatis ardore foveatur. Qui reapse ad propriam proximorum que sanctimoniam nititur, solidam caliere debet doctrinam, quae non modo ad theologica studia quod attinet, sed ad ea etiam omnia, quae ex rebus pervestigandis excolendisque nostra peperit aetas, pertineat oportet; atque hisce animi ornamentis praeditus sacrorum administer, sicut optimus pater familias proferre « de thesauro suo nova et vetera »[68] poterit, ita quidem ut ministerium suum et ab omnibus valde aestimetur, et frugiferum evadat. Imprimis autem ministerium hoc vestrum huius Apostolicae Sedis praescriptis ac datis ab Episcopis normis fideliter conformetur. Numquam eveniat, dilecti filii, ut novae illae apostolatus formae rationesque,, quae hodie tam opportunae sunt, iis praesertim in regionibus,; ubi clerus impar est numero, vel in inertia iaceant, vel, cum non sint recto ordine instructae, christiani populi necessitatibus non respondeant.

Operosum igitur eiusmodi studium vestrum cotidie magis, augeatur, Ecclesiam Dei roboret, christifidelibus in exemplum

" ***I Tim.,*** VI, 8.

[68] Cf. MATTH.. XIII, 52.

praeluceat, atque ingentia propugnacula excitet, ad quae quidem Dei hostium incursus misere confringantur.

Cupimus etiam ut paterna haec adhortatio Nostra peculiari modo sacerdotes illos attingat, qui demisso quidem animo, sed incensa caritate, in ceterorum sacerdotum sanctitudinem procurandam augendamque sollerter incumbant, sive eorum consiliarios agant, sive eorum conscientiae moderatores vel Paenitentiae Sacramenti administros. Quod hi in Ecclesiae inaestimabile bonum conferunt, plerumque, dum vivunt, silentio obtegitur; at in divini Regni gloria aliquando luculentissime manifestabitur.

Nos quidem, qui non multos ante annos magno cum animi solacio summos decrevimus Sanctorum Caelitum honores Taurinensi sacerdoti Iosepho Cafasso — qui, ut nostis, temporibus difficillimis, sacrorum administris non paucis tam sapienter, tam sancte moderatus est, ut eorum non modo virtutem proveheret, sed eorum etiam sacerdotale munus salutiferum admodum redderet — fore omnino confidimus, ut ob eius etiam patrocinium validissimum Divinus Redemptor noster multos concedat paris sanctitatis sacerdotes, qui semet ipsos suosque in sacro ministerio collegas ad tam excelsam vitae perfectionem dirigant, ut christifideles omnes praeclara eorum intuentes exempla, ad ea ultro libenterque sequenda permovéantur.

III

Hucusque praecipuas veritates ac praecipua scribendo proposuimus praecepta, quibus Catholicae Ecclesiae sacerdotium eiusque explenda munera innituntur. Hisce profecto veritatibus ac normis qui sacerdotes sunt sanctitate exornati, ii procul dubio per cotidianam cuiusque suam agendi rationem, diligenter obsequantur; dum contra, proh dolor, desertores ac transfugae a susceptis per sacram ordinationem officiis misere recesserunt.

In praesens vero, ut paterna haec adhortatio Nostra efficacior evadat, opportunum ducimus nonnulla, quae ad hodiernae vitae

usum peculiari modo pertineant, satius enucleare. Idque eo vel magis quod nostra hac aetate novae interdum rerum condiciones habentur novaeque disceptationis causae, quae diligentiores a Nobis requirunt animadversiones diligentioresque curas. Cupimus igitur clerum universum, imprimisque sacrorum Antistites paterno adhortari animo ut ad ea omnia provehenda, quae nostris hisce temporibus necessaria videantur, toto pectore incumbant: quae autem recto itinere devia vel prorsus depravata habeantur, ea ad veritatem, ad probitatem, ad virtutem reducant.

Ut probe nostis, post diuturnas ac varias recentis belli vicissitudines, sacerdotum numerus cum in catholicorum regionibus, tum in missionalium terris, impar plerumque increscentibus necessitatibus est. Quamobrem sacerdotes universos adhortamur, sive qui in saeculo vivunt, sive qui in religiosos Ordines vel in religiosas Congregationes adsciti sunt, ut coniunctis voluntatibus coniunctisque fraterno animo viribus ad communem metam alacriter procedant, hoc est ad Ecclesiae bonum et ad suam proximorumque assequendam sanctitatem. Omnes utique, ii .etiam qui umbratilem in recessu et in silentio vitam traducunt, ad sacerdotalis ministerii efficacitatem, precando seseque devovendi, conferre queunt; qui tamen actione etiam possunt, id libenter, id alacriter faciant.

At alios quoque necessarium est, divina adspirante gratia, advocare collegas ac laboris socios. Hac de re Nos sacrorum praesertim Antistites paterno admonemus animo, itemque ceteros omnes, qui christiani gregis quovis modo curam gerunt, ut gravissimam huiusmodi causam agant ac provehant, cui quidem futurus Ecclesiae status coniungitur quam maxime. Societati a Christo conditae procul dubio necessarii sacerdotes numquam deerunt; vigilemus tamen oportet ac laboremus omnes, illius .sententiae memores: « Messis quidem multa, operarii autem pauci »[69] ac omni nisu contendamus ut quam plurimi habeantur et quam sanctissimi Dei administri.

[69] Luc, X, 2.

Divinus ipse Redemptor nobis indicat quo aptiore modo frequentes suscitari queant sacerdotii candidati: «Rogate... Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ».[70] Humilibus nempe ac fidentibus ad Deum admotis precibus id impetrare debemus.

At necesse quoque est ad invisibilem superni Flammis impulsionem actionemque eorum praeparentur animi, qui ad ingrediendum sacerdotium divinitus vocentur; ad quod quidem efficiendum cum christiani parentes, sacri pastores, Paenitentiae Sacramenti administri ac Seminariorum moderatores multum profecto conferre possunt, tum universi etiam sacerdotes ac christifideles, quibus Ecclesiae incrementa provehere eiusque occurrere necessitatibus cordi sit. Dei administri non modo sacris concionibus ac catecheseos institutionibus ad populum habitis, sed privatis etiam opportune intersertis sermonibus, sedulo curent ut illae refellantur praeiudicatae ac fallaces opiniones, quae hodie adversus sacerdotium tam late proferuntur; atque etiam eius excelsam dignitatem, pulchritudinem, utilitatem et eximia promerita in sua luce ponant. Patres vero matresque familias cuiusvis ordinis impensas ad Caelum admoveant preces, ut digni habeantur qui unum saltem e prole sua divino servitio mancipare queant. Omnes denique, qui christiano censentur nomine, officio sibi ducant eos fovere omnique ope iuvare, qui se ad sacra vocatos sentiant.

Sacerdotii candidatorum instituere ac fovere dilectum quod Codex Iuris Canonici[71] animorum pastoribus concredit eisdemque valde commendat, omnibus etiam sacrorum administris peculiari curae esse debet; qui quidem, non modo aeterno Numini demisse generoseque grates agant ob inaestimabile acceptum beneficium, sed nihil antiquius, nihil optatius habeant, quam sibi aliquem deligere omnique ope iuvare successorem, quem illis perspexerat dotibus ornatum ad tantum opus necessariis. Utque id efficacius assequi possint, adulescentibus prae-

[70] Ibidem.

[71] Cf. can. 1353.

sertim, quibus familiariter utantur, et in quibus divinae vocationis indicia animadverterint, optima exempla praebeant, quae imitentur.

Prudens ac sapiens huiusmodi candidatorum dilectus semper et ubique instituatur; non igitur inter iuvenes habeatur solummodo, qui iam in Seminario vitam agant, sedinter eos etiam qui in quibusvis litterarum ludis ac scholis disciplinarum studiis dent operam, atque inter eos potissimum, qui in variis apostolatus formis atque inceptis adiutricem suam navitatem praestent. Hi siquidem, etsi sero sacerdotium ingrediuntur, cum tamen iam graves eluctati fuerint difficultates, et in agitatione vitae animum firmaverint suum, cumque iam in operibus elaboraverint, quae cum sacerdotali munere arcte coniunguntar, maioribus non raro enitent solidioribusque virtutibus.

Semper tamen necessarium est in singulos sacerdotii candidatos diligentissime introspicere, ac praesertim exquirere qua mente, quibus de causis eiusmodi inierint consilium. Ac peculiari modo, cum de pueris agitur, attente considerare oportet utrum necessariis animi corporisque dotibus iidem praediti sint, et utrum ad sacra suscipienda munera adspirent ob eorum tantum nobilitatem ac spiritualem suam ceterorumque utilitatem.

Vos profecto, Venerabiles Fratres, probe nostis quae sint mentis animique ornamenta, quibus, ad eiusmodi causam quod attinet, Ecclesia postulat ut sacrorum alumni praestent; supervacaneum igitur esse ducimus hisce exponendis rebus rationibusque immorari, Opportunum potius putamus vos adhortari,, ut ea, qua enitetis, prudentia sedulo exquiratis, utrum, qui sacros suscipere ordines velint, physice etiam idonei sint; idque? eo vel magis quod recens bellum succrescentem praesertim subolem funeste non raro affecit pluribusque modis perturbavi^ Hi igitur candidati accurate hac de causa inspiciantur, adhibito etiam, si oportet, probati medici iudicio.

Hoc sapienti prudensque dilectu fore confidimus, ut ubique conf erta habeantur lectissimaque sacrorum alumnorum agmina.

Quodsi plures sacri Pastores in gravi sunt sollicitudine, quod rariores cotidie adulescentes exsistant, qui sacerdotalia munera affectent, non minore tamen iidem sollicitudine afficiuntur de iuvenum institutione, qui in sacra iam fuerint Seminaria assumpti. Non nescimus profecto, Venerabiles Fratres, quam arduum id opus sit, quoique quantisque implicetur ad perficiendum difficultatibus; sed ex necessario hoc adhibito officio maximum reportabitis solacium, quandoquidem, ut Decessor Noster Leo XIII monet, « ex industria diligentiaque in instituendis sacerdotibus posita, fructus percipietis summopere optabiles, munusque vestrum episcopale multo sentietis esse ad gerendum facilius, ad utilitatem uberius ».[72]

Quamobrem a Nobis opportune factum censemus, si documenta vobis statuerimus, quae necessitate imperan tur, hodie maiore quam cum maxima, sanctos educandi sacerdotes.

Animadvertendum primo loco est Seminariorum alumnos, qui primis disciplinis instituantur, nonnisi adulescentulos esse a nativo suae domus humo separatos. Res igitur ipsa postulat ut, quam pueri in Seminariis vitam ducant, cum communi omnium puerorum vita, quantum potest, congruat; magni tamen hinc eorum religiosa conformatione existimata, hinc naturalibus eorum facultatibus spectatis ingeniique propensionibus : quae omnia in spatiosis et capacibus locis excurrant oportet ad salubritatem et ad tranquillitatem idoneis. Attamen hac etiam in re « aeque mensura ac temperatio » serventur; ita quidem ut numquam eveniat ut « in sumptuosis domibus et in exquisitis suavitatibus et commodis »[73] ii vitam agant, qui ad sui abnegationem atque ad evangelicam virtutem conformari debeant.

" Litt. Enc. ***Quod multum,*** ad Episcopos Hungariae, die 22 mensis Augusti a. 1886: ***Acta Leonis,*** vol. VI, p. 158.

[73] Cf. Allocut. d. 25 Novembris a. 1948 habitam: A. A. ***8.,*** XL, 1948, p. 552.

In universum elaborandum praecipue est, ut singulorum puerorum indoles cuiusque propria recte conformetur; in iisque magis magisque se explicet conscientia quid ex actibus suis in se recidat periculi, quid ipsi de hominibus ac de eventibus iudicii ferant, quid denique ipsi operis ultro sponteque suscipiant. Quam ob causam ii qui sacris Seminariis praesunt modum prudenter animadversionibus imponent, ac crescentibus iuvenum annis ab strictiore eorum custodia vel cuiusvis generis refrenationibus sensim tempèrent; id prorsus consecuturi ut sibimet ipsis adulescentes moderentur, seseque suorum esse operum auctores sentiant .In quibusdam praeterea rebus non modo licitam largiantur alumnis agendi libertatem, sed eos etiam ad secum cogitandum in animo insuescant, ut veritates, quae vel doctrinas vel quae usum spectent, faciliore negotio combibant. Neque extimescant moderatores ne concrediti sibi iuvenes hodiernos cognoscant eventus; quin etiam praeter quam quod illis rerum notitias aperient ex quibus maturum de factis iudicium iidem sibi faciant, controversias etiam de quaestionibus id genus ne declinent, ut iuvenum mentes ad aequam rerum rationumque aestimationem informent.

Quae si normae servatae religiose fuerint, cum alumni, ad probitatem sinceritatemque instituti atque eruditi, suam non minus ac ceterorum vitae integritatem animique firmitatem summo in pretio habeant, a fallacia et a cuiusvis generis simulatione abhorrebunt. Ab eiusmodi integritate ac sinceritate facile proficiscetur, ut a moderatoribus efficientius iidem adiuvari possint, cum dignoscendum sit utrum divinitus ad sacra capessenda munia vocentur.

Ubi vero iuvenes — qui praesertim a teneris in sacra Seminaria fuerint recepti — in locis educentur ab hominum societate paulo nimium seiunctis, ii profecto, cum in publicum prodibunt, haud ex facili sive cum minuta plebe sive cum litteratis hominibus commercium habebunt, fietque eis plurimum, ut aut inconsiderate cum christiano populo se gerant, aut, quam acceperint institutionem, secus existiment. Opera idcirco danda

est, ut alumni sensim prudenterque in intima populi consilia ac studia pénètrent, ne, sacerdotio aliquando initiati sacrisque addicti muneribus, suae incerti sint actionis; quod non tantum ipsorum perturbaret animos, sed eorum etiam sacerdotales labores minueret.

Ad haec qui sacris Seminariis praepositi sunt plurimas oportet curas locent in mente alumnorum excolenda.

Perspecta sane habetis, Venerabiles Fratres, normas atque praescripta, quae hac de re Apostolica haec Sedes identidem tulit, et quae Nosmet ipsi omnibus commendavimus, cum primum, sub Pontificatus Nostri initio, Seminariorum atque Collegiorum Romanorum alumnos coram admisimus.[74]

Qua de re cupimus cumprimis ne litterarum doctrinarurnque studiis ii qui futuri sint sacerdotes iis nihil saltem cedant qui e laicis iuvenibus paris sint disciplinae auditores. Hoc namque si cautum fuerit, et ut discipulorum mentes severius expoliantur, et ut facilius eorum habeatur suo cuiusque tempore dilectus cautum sane fuerit. Re enim vera si id contigerit, cum sacrorum alumnus de suae vitae futura condicione deliberaturus erit, nulla prorsus necessitate astringetur; aberitque plane a periculo ne, quod ea non ornetur eruditione atque doctrina, quae civilia sibi munera obicere possit, viam insistere sibi non paratam cogatur, secundum illam villici infidelis sententiam : « Fodere non valeo, mendicare erubesco ».[75] Quodsi quis alumnorum, utilem licet Ecclesiae operam ostendens, e Seminario nihilo minus cederet, hoc non esset omnino dolendum; quandoquidem is, rectam viam ingressus, beneficiorum in Seminario acceptorum non recordari non posset, nec ad laicorum hominum catholicam alacritatem multum suae alacritatis non adicere.

In sacrorum institutione alumnorum, quamvis multarum cognitio disciplinarum perquiratur, in quibus hodie rerum socialium investigatio magni quidem est momenti, maxima ta-

[74] Cf. **Orationem diei** 24 **mensis Iunii** 1939 **habitam :** ***A. A. S.,*** XXXI, 1939, pp. 245-251.
[75] Luc, **XVI,** 3.

men vis doctrinis philosophicis ac theologicis « ad Angelici Doctoris rationem »[76] tribuenda est, cum his necessitatum atque errorum, quae nostra invexerit aetas, notitia coniuncta. Huiusmodi enim doctrinae cum sacerdotibus ipsis, tum christiano populo maximi sunt ponderis et utilitatis: pietatis magistris asseverantibus eas, modo fuerint idonea ratione traditae, ad servandum alendumque fidei studium, ad cupiditates debilitandas, ad animum cum Summo Dei Numine coniungendum maxime valere.

Accedit quod sacerdos, qui veluti « sal terrae » et « lux mundi »[77] est putandus, opus est, ut in fidei tuitione conatu maximo elaboret, Christi Evangelium promulgans, atque oppositos errores coarguens, qui omnibus viis hoc tempore serantur in vulgus. Atqui erroribus valenter refragari nequibit, nisi quod firmissima philosophiae ac theologiae catholicae elementa penitus didicerit.

A qua causa alienum non est animadvertere docendi rationem, quae in catholicis scholis iamdiu invaluit, plurimum habere efficacitatis simul ad perspicue rerum notiones mente concipiendas, simul ad hoc confirmandum: veritates nempe, quae ut sacrum depositum fuere Ecclesiae, christianorum magistrae, concreditae inter se perfecte congruere ac cohaerere. Non desunt vero hac nostra aetate qui, cum de recentioribus Ecclesiae documentis deflexerint, cumque minus notionum definitae perspicuitas studeant, praeterquam recta discesserint nostrarum scholarum via, erratis etiam ambiguisque opinionibus, ut est experiendo cognitum, introitum patefaciant.

Quare ne sacrorum administrorum studia fiuctuationibus, vel dubitationibus miserum in modum haereant, maximopere vos, Venerabiles Fratres, hortamur omnes sedulo evigiletis, ut quas Apostolica haec Sedes de huiusmodi studiis colendis certas constituit normas, eae integra fide accipiantur atque serventur.

[76] Cf. *C. I. C*, can. 1366, 2.

[77] Cf. MATTH., V. 13, 14.

Si tam impense, pro Apostolico quo fungimur officio, de clericorum intellegentia praeclare excolenda adhuc admonuimus, haud difficile tamen cognitu est cur nihil sit Nobis potius quam ut eorumdem iuvenum animi moresque probe conformentur; quoniam si secus acciderit, vel exquisitissima doctrina, ob superbiam atque arrogantiam, quae facile descendent in animos, maximas edere poterit ruinas. Quapropter Ecclesia Mater vult praesertim in sacris Seminariis adulescentes illius sanctimoniae initia inchoent, quam deinceps in omni vita praestent atque confirment.

Quemadmodum de sacerdotibus iam scripsimus, haud secus nunc instantius ut sacri ordinis alumnis persuasissimum sit debere se ad animi potiunda ornamenta, quae virtutes sunt, omni nisu contendere, eademque postquam assecuti fuerint, fortiter servare studioseque augere.

Cum cotidie, iisdem fere semper horis, eadem pietatis officia adulescentes exsequantur, timeri potest ne cum extrinseca religionis exercitatione intimus animi sensus non consonat; quod ferme ex consuetudine facilius fieri apud eos poterit vel etiam ingravescere, cum sacra iidem domicilia egressi, in necessariam suorum munerum perfunctionem saepenumero rapientur.

Omnis itaque opera atque industria impendatur, ut qui in cleri spem educantur, vitam pie sibi intentam vivant, quae superno spiritu alatur quaeque superno spiritu gubernante moveatur; Omnia iidem operentur divina fide collustrati atque cum Christo Iesu coniuncti ; pro certo habentes ab sancto hoc vivendi genere abesse eos non posse, qui sint olim sacerdotio initiandi, Divinique ipsius Magistri personam in Ecclesia gesturi. Nihil enimvero magis sacrorum alumnos **impellit** ad virtutes sacerdote dignas consequendas, ad perrumpenclas difficultates, ad salutaria consilia explenda[1], quam intimus hic pietatis sensus.

Qui clericorum moribus effingendis dant operam id summe spectent opus est, ut iidem virtutes eas complectantur, quas Ecclesia a sacerdotibus poscit: Dè quibus cum alió huius Exhortationis loco dixerimus, non est profecto cur eadem hic iteremus.

Attamen facere non possumus quin ex omnibus virtutibus, quibus sacrorum alumni exornandi sunt, ad eas singulariter illos hic incitemus, quibus, veluti fundamentis, tota sacerdotum sanctitas nititur.

Pernecesse est iuvenes ita obedientiae studium assequantur, ut suam voluntatem assuescant Dei voluntati candide subicere, cuius sunt Seminarii moderatores veluti interpretes habendi. Ac nihil umquam sit in eorum agendi ratione, quod a divina sit voluntate alienum. Huius, de qua loquimur, obedientiae iuvenes a Divino Redemptore exemplum expetant, cui hisce in terris illud unum erat propositum : « Ut faciam, Deus, voluntatem tuam».[78]

Qui adulescentes in Seminariis versantur iam a primis annis discant ex animo rectoribus suis filiorum more obsequi ; ut aliquando Episcoporum suorum voluntati mansuete inserviant; sicut in praeceptis est in vietissimi Christi athletae Ignatii Antiochensis : « Omnes Episcopo obtempérate, ut Iesus Christus Patri».[79] <(Qui honorât Episcopum a Deo honoratus est; qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo servit ».[80] « Sine Episcopo nihil facite, carnem vestram ut templum Dei custodite, unionem amate, dissidia fugite, imitatores estote Iesu Christi, sicut et ipse Patris sui ».[81]

Vigil quoque diligensque cura adhibenda est, ut sacrae militiae tirones magni ducant, ament atque in animo suo pudicitiam tutentur, quippe in qua sit magnam partem positum quod eiusmodi vitae genus iidem sibi constituant, in eoque permaneant. Quae propterea, cum in humana consortione in tanta incurrat pericula, est quod, qui sacerdotalem dignitatem suscepturi sint, in illorum animis iamdiu firmiterque inhaeserit. *Non* modo igitur certiores clerici opportune fiant quid sint sacerdo-

[74] ***Hebr.,*** X, 7.

[79] ***Ad Smprnaeos,*** VIII, 1; MIGNE, P. ***O.,*** VIII, 714.

[8Û] Ibid., IX, 1, 714, 715,

[81] Adi ***Philadelphienses*** VII, 2; MIGNE, ***P. G.,*** V. 700.

tum caelibatus ab iisdemque servanda castitas,[82] quidve ea officii exigant, sed de periculis etiam moneantur, quae hanc ob rem afferri ipsis possint. Cohortandi item sunt sacrorum alumni, ut iam a prima aetatula ab periculis praecaveant, ad eas confugiendo cupiditatum comprimendarum rationes, quas caelestium rerum magistri suadeant; quoniam quo erit cupiditatum firmior ac constantior moderatio, eo magis in ceteris virtutibus proficiet animus, uberioresque erunt sacerdotalis sollertiae fructus. Quodsi quis clericorum hac in re ad malum se praestiterit proclivem neque, experimento per aequum temporis spatium capto, ab improba propensione se removerit, is erit utique e Seminario exigendus, antequam sacris ordinibus initietur.

Haec, de quibus diximus, ac cetera animi ornamenta, sacerdotibus digna, iuvenes in Seminariis degentes facile sibi comparaverint, si a pueris sinceram ac teneram pietatem suxerint erga Christum Iesum « vere, realiter, et substantialiter » sub Sacramenti augustissimi specie praesentem interque nos hisce in terris commorantem; si simul aeque a Christo incitata fuerint atque in Christum spectaverint vel consilia vel labores quae alumni susceperint. Laetitia vero summa perfundetur sane Ecclesia, si ad pietatem erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adulescentuli singularem pietatem adiunxerint in Beatissimam Virginem Mariam; pietatem inquimus, cuius impulsu animus se totum Divinae Matri committat, ad eiusque sequenda exempla virtutum moveatur; quandoquidem numquam praeclara sollersque actio in sacerdote desiderantur, cuius adulescentiam praecipuus enutriverit in Iesum et in Mariam amor.

Facere hoc loco, Venerabiles Fratres, non possumus quia etiam vobis hortatores simus, ut novellorum sacerdotum commendatam singulariter vobis curam habeatis.

Eo tempore quo e Seminarii claustris sacra obituri munera egrediuntur, sacerdotibus, idcirco quod in apertum prosiliunt apostolatus campum, periculum occurrere potest, nisi iam ad

[82] Cf. ***O. I. O.,*** can. 132.

novam huiusmodi vitae rationem prudenter ii fuerint instructi. Quam ad rem opportune consideraveritis spes bonas de recentibus sacerdotibus captas saepe posse ad irritum cadere, nisi quis ad labores pedetemptim eos admovent, nisive ipsis ad labores accedentibus sapienter quis advigilaverit paternoque more moderatus fuerit.

Quapropter probatur valde Nobis novellos hosce sacerdotes, ubicumque potest, per aliquot annos in certa collegia recipi, quibus locis, viris gubernantibus multarum rerum peritis, altius ad pietatem ad sacrasque disciplinas excolantur, ac pro suo cuiusque ingenio ad sacerdotalia munera erudiantur. Has ob causas in votis Nobis est eiusdemmodi collegia vel singula in singulis dioecesibus vel, si res id postulaverit, singula ad plures dioeceses constitui.

Quod ad Nostram hanc Urbem attinet, idem iam Nos, quinquagesimo expleto Nostri sacerdotii anno, perlibentes fecimus, cum Domum, cui a S. Eugenio nomen est inditum, recentibus a sacerdotio iuvenibus excitari iussimus.[83]

Vos adhortamur, Venerabiles Fratres, ut, quantum fieri potest, inexpertos adhuc sacerdotes in medias ne ingeratis operas, neve eos assignetis locis, vel ab urbe Dioecesis principe vel a celebrioribus eius oppidis remotis. In huiusmodi enim vitae statu si versarentur, segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes, incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas possent.

Probatur quoque admodum Nobis, Venerabiles Fratres, **hos** novellos sacerdotes una cum loci curione maximo eiusque administris vivere ; propterea quod facilius ita, senioribus praeeuntibus, ad sacra munera iidem poterunt informari, atque pietatis studio ardentius imbui. Animorum Pastores omnes ea de causa commonefacimus in suis, magna ex parte, positum esse manibus futurum horum iuvenum sacerdotum successum. Ardor namque et vis, quibus hi in sacerdotio tirones ad primas se conferunt

[83] Cf. *A. A. S.*, XLI. 1949, pp. 165-167.

operas, aut restingui aut certe imminui quandoque poterunt senior um exemplo, talium videlicet qui sive virtutum ornamentis non niteant, sive, illata causa ne veteres, quibus assueti sunt, consuetudines immutentur, otiosum praeoptent vitae institutum.

Quod in votum iam venerat Ecclesiae[84] id Nos ¡et nunc comprobamus et commendamus vehementer, iniri scilicet vel ab unius curiae vel a plurium vicinarum curiarum clero communis vitae consuetudinem.

E qua communis vitae consuetudine etsi quaedam incom-moditates oriri possunt, nemini tamen dubium est maximas proficisci utilitates: primum caritatis atque alacritatis studium magis magisque cotidie apud sacerdotes incendi; deinde christiano populo documentum supponi quomodo iidem sint a suis ipsorum rationibus a suisque propinquis voluntate seiuncti; tum palam fieri omnibus quam religiosa cura sacerdotes castimoniae suae consulant.

Ceterum opus est etiam studiis sacrorum administros dare operam, uti Codice Iuris Canonici continetur: « Clerici studia, praesertim sacra, recepto sacerdotio, ne intermittant ».[85] Quo Codice praeter quam quod periculum a sacerdotibus novellis praecipitur « singulis annis saltem per integrum triennium » faciendum,[86] conventus quoque saepius in anno ab iisdem habendi praescribuntur « ad scientiam et pietatem... promovendam ».[87]

Sed ad studia incitanda, quae saepenumero sacerdotes prae domesticae exiguitate rei celebrare nequeunt, summopere expedit locorum Ordinarios, ex vetere praeclaroque Ecclesiae instituto, bibliothecas vel ad aedem Dioecesis principem, vel ad canonicorum collegia, vel ad curias ipsas quondam ordinatas, in pristinam revocare dignitatem.

Quae quidem bibliothecae, quamvis plerumque expilatae

[84] **Cf. *C. L V.*, can. 134.**

[85] **Can. 129.**

[86] **Can. 130, I°.**

[87] **Can. 131, I».**

eversaeque fuerint, non raro tamen acceptis quasi permagna hereditate cum membranis tum libris aut scriptis aut typis excusis adhuc ornantur atque ditantur: « quae praeclaro sane testimonio hinc sunt quantos Ecclesia exantlaverit labores quantaque auctoritate floruerit, hinc qua divina fide pietateque maiores nostri ardèrent, studia exercerent, politam elegantiam adamaren t ».[88] Ne neglectorum receptaculorum loco hae bibliothecae existimentur, sed veluti viventis potius structurae, in qua idoneum conclave libris pervolutandis paretur. At cumprimis bibliothecae ad nostrorum temporum usus ordinentur, atque scriptis omne genus instruantur, praecipua religiosarum et sociabilium rerum ratione habita; ut nimirum praeceptores, ut curiones, ut novissimi praesertim e sacerdotibus satis inde doctrinarum ad veritates evangélicas promulgandas ad erroresque redarguendos haurire possint.

Nostrarum denique partium esse ducimus, Venerabiles Fratres, de difficultatibus vos commonere, quae ad nostra haec tempora proxime pertinent. Exploratum certumque esse vobis arbitramur serpere latius et gravius in dies novarum rerum studium inter sacerdotes, ut plurimum sive eruditione atque doctrina sive vitae severitate minus quam ceteri praeditos.

Per se novitas neutiquam est veritatis indicium, atque una ea est condicione laudanda, ut simul veritatem confirmet, simul probitati ac virtuti conducat.

Hac, quae volvitur, aetate graviter quidem itinere deerratum est: est siquidem dolendum plura philosophorum genera internasci, eademque, hominum moribus nullo modo emendatis, dilabi; insignia ad deformitatem artis opera cerni, quae christianum nihilo secius nomen mentiuntur; administrandae rei publicae rationem magis ad singulorum civium quam ad communem omnium prosperitatem haud paucis in locis spectare; vitae

[88] Cf. Epistulam **Eoi** i Card. Petri Gasparri, a publicis Ecclesiae negotiis, ad Italiae Episcopos datam die 15 mensis Aprilis anno 1923: in ***Enchiridion Clericorum,*** Typ. Pol. Vat., 1937, p. 613.

instituta de oeconomicis ac -sociabilibus rebus plus periculi honestis quam versutis hominibus moliri. Ex quo proclive consequitur sacerdotes nostris hisce diebus omnino non deesse, in quos eiusmodi contagio aliquo modo influat; qui non numquam opiniones imbibant vitaeque genus, etiam in ipso vestis ornatu cultuque corporis, instituant, aeque a sua dignitate aeque a suis muneribus aliena; qui novitatis cupiditate ducantur, cum in concionibus ad christianum populum habendis, tum in adversariorum erroribus coarguendis; qui denique, cum haec fecerint, non solum animi sui fidem infirment, sed, sua etiam attrita fama, efficacitatem sacri officii exténuent.

Quibus super rebus diligentiam summopere excitamus vestram, Venerabiles Fratres, nihil sane dubitantes inter immodi - eam, quae apud non paucos invaluit, vel acti temporis vel futuri Cupiditatem, eam vos esse prudentiam adhibituros, quae tum etiam sapiens ac vigilans sit oportet, cum in novis periclitabitür viis, quid alteritatis quidve contentionis suscipiendum sit quaerens, ut una veritas tandem victrix emergat. Longe plane absumus, ut profiteamur apostolicos labores non debere cum ipsa, quae nunc agitur, vita congruere ,neque eas, quae nunc instituuntur, operas non debere huius aetatis necessitatibus inservire. Sed cum sacerdotalem quamvis in Ecclesia sumptam operositatem per legitimae dignitatis gradus necesse sit digeri, nova hac de re incepta non nisi Episcopo sinente ineantur. Sacri autem Pastores ex eadem regione vel Natione hisce super causis identidem opportuna consilia inter se conferant, ea quidem mente ut propriis locorum utilitatibus prospiciant, ac rationibus caveant ad religiosam actionem magis accommodatis atque idoneis. Quae si omnia ad mandatum ordinem relata fuerint, sacerdotum officia non poterit quidem efficacitas non consequi. Haec sibi persuadeant omnes: Aeterni Numinis potius quam hominum voluntati esse obsequendum, atque apostolicam assiduitatem non pro suis cuiusque opinationibus, sed pro sacrae potestatis aut legibus aut normis esse praebendam. Spe enim usquequaque destituitur qui in opinione est posse se insolitis atque

absurdis agendi rationibus et animi sui egestatem obtegere et Christi prolatando regno efficientem dare operam.

Porro non dissimilerò recto huic, de quo diximus, agendi modo sacerdotibus ineundum esse putamus, cum de doctrinis socialibus, perinde ut hodie explicantur, causa versatur.

Sunt quidem hoc tempore qui ad communistarum, quos vocant, machinationes id videlicet cumprimis spectantium, ut quibus temporalem iidem polliciti fuerint felicitatem, ex eorum animis fidem extrahant, non modo expavescant, sed aestuante etiam sint animo. Verumtamen Apostolica haec Sedes, documentis recens hac super re datis, luculentem stravit viam, cui se committant omnes, e qua, salva officii conscientia, excedat nemo i

Ex alia vero parte non desunt qui se pavidos atque incertos ostendant, ad oeconomicam illam rationem quod attinet, quae a nimio privatarum divitiarum congestu nomen invenit; ex quo gravia consequi nocumenta Ecclesia non semel declaravit. Ecclesia siquidem non tantum ingentium opum ac vel ipsius possidendi iuris abusus indicavit, quos eadem oeconomica ratio parit ac defendit, sed etiam edocuit divitiae ac possessiones ad res labore procreandas conferant oportere, cum universae hominum societatis emolumento, itemque cum humanae libertatis dignitatisque tuitione atque incremento. Quae ex utraque oeconomica ratione oriuntur damna omnibus peculiarique modo sacerdotibus persuadeant, ut de re sociali doctrinam, quam Ecclesia tradit, fideli animo amplectantur, eamdemque ceteris impertiant ac pro viribus in usum deducant. Haec enim doctrina una potest tam late invalescentibus malis mederi; quandoquidem omnia iustitiae unaque simul caritatis officia summa perfectione componit ;ac talem excitari iubet societatis ordinem, qui singulos cives non opprimât, neque ob nimium utilitatis cuiusque suae studium invicem eos distineat, sed omnes potius quodam mutuarum rationum concentu fraternaeque necessitudinis vinculis devinciat.

Sacerdotes, Divini Magistri vestigiis insistentes, egentium atque opificum necessitatibus pro facultate occurrant, iisque omnibus, qui in rerum angustiis versentur; in quibus quidem non pauci, ut omnes norunt, e media etiam societatis elasse atque ex ipso sacerdotum ordine censendi sunt. Nihilominus eos ne neglegant, qui, cum satis fortunae habeant, animi tamen egestate laborant; atque adeo ad vitam penitus instaurandam vocandi sunt, Zachaei exemplo in memoriam redacto, qui dixit: ((Dimidium bonorum meorum... do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum ».[89] Cum de re sociali causa vertitur, sacrorum administri numquam obliviscuntur quo suum debeat spectare munus : alacres nempe ac nihil haesitantes recta ea proponant doctrinae principia, quae, in variis societatis classibus, ad ius dominii, ad divitias, ad iustitiam caritatemque pertineant; eademque principia quo aptiore modo efficienda sint suo exemplo doceant.

Haec tamen doctrinae praecepta laici homines ad effectum deducenda curent. Quodsi ad rem pares non sint, eos sacrorum administer quam aptissime instruat atque conformet.

Heic opportunum esse ducimus causam attingere de domesticarum rerum angustiis, quibus plurimi sacerdotes post recens bellum affiictantur; in iis praesertim regionibus, quae vel eiusdem belli causa, vel ob politicarum rerum statum maxima acceperunt detrimenta. Harum rerum condicionibus cum acerrime Nos angamur, nihil reliqui facimus, quod pro facultate Nostra possit calamitatesi aerumnas summamque multorum indigenti am relevare.

Probe nostis, Venerabiles Fratres, Nos — quibus in locis maiores viderentur esse necessitates — per Sacrum Consilium cleri disciplinae praepositum, extraordinarias Antistitibus fecisse facultates ac peculiares edidisse normas, quibus graviores oeconomicarum rerum disparilitates aequo modo componeren-

[89] Luc, XIX, 8.

tur, quae ad sacerdotes pertinerent Dioecesis cuiusque suae. Atque exploratum Nobis est alicubi sacrorum administros non paucos, laude sane dignos, suorum Pastorum monitis obsecutus esse; alicubi vero, ob natas difficultates, datas normas integra ex parte suos effectus consecutas non fuisse. Vos igitur adhortamur ut, paterno ducti animo, inceptum iter insistatis, cum non liceat operarios in vineam Domini missos cotidiano carere pane. Hac de re ne gravemini identidem Nos certiores facere qui successus operam vestram consecuti fuerint.

Ac praeterea consilia illa summopere commendamus, Venerabiles Fratres, quae inter vos collaturi estis, ut non modo in praesens sacerdotibus cotidiano victui necessaria ne desint, sed ut iisdem, etiam in posterum, certis statutis opportunisque rationibus, prospiciatur — quod quidem in civili societate factum admodum probamus — idque cum praecipue vel iidem sacerdotes in morbos incidant, vel devexa valetudine laborent, vel senectute conficiantur. Ita enim eos sollicito dine exsolveritis de futuro ipsorum vitae statu.

Quam ad rem gratum placet sacerdotibus Nostrum significare animum, qui incommoda posthabentes, quae inde sibi exo riantur, suis in sacro ministerio collegis, ope egentibus, suppetias venerint ac veniant, senio praesertim, vel infirmitate affectis. Id enim praestantes, egregium mutuae illius caritatis praebent indicium, quam Christus discipulis suis quasi insigne dedit, quo ab omnibus dignoscerentur: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem ».[90] Ominamur quoque ut arctioribus cotidie fraternae huius necessitudinis vinculis Nationum omnium sacerdotes invicem copulentur, ut luculentius usque pateat eos, cum Dei communis omnium Patris administri sint, eodem, ubique gentium commorentur, amoris afflatu inter se animari.

At vobis procul dubio perspectum est gravibus huius causae difficultatibus vos mederi penitus non posse, nisi christifideles

[90] IOANN., XIII, 35.

etiam se officio teneri sentiant, pro sua cuiusque parte, clero subveniendi ; ac nisi opportuna omnia adhibeantur, quae ad huiusmodi conducant finem.

Propterea concreditum vobis populum admoneatis debito eum obstringi ferendi opem sacerdotibus, qui in necessitate versentur; quandoquidem semper Divini Redemptoris sententia viget: «Dignus est enim operarius mercede sua».[91] Quomodo enim a sacrorum administris alacrem sui muneris operam postulari potest, quibus necessariae ad vivendum res non suppetant? Ceterum qui christifideles hoc neglegunt, Ecclesiae inimicis, etsi nolentes, viam quasi sternunt, qua facilius iidem queant ad inopiam in non paucis Nationibus redigere clerum, ut eum a legitima auctoritate abstrahant.

Ii etiam, qui publicae rei praesunt, pro diversis Civitatum condicionibus, necessitatibus cleri consulant oportet, ex cuius perfunctione muneris plurimae utilitates ad civium animos eorumque mores, summo cum totius societatis profectu, permanare possunt.

Postremo, antequam scribendi finem faciamus, temperare Nobis non possumus quin ea hortamenta summatim heic vobis iteremus, quae cotidie ante oculos habeatis necesse est, utpote praecipuae existimandae sint vitae novitatisque vestrae normae. Cum Iesu Christi sacerdotes simus, eo contendamus oportet, ut quam ipse egit, hominum redemptio validissimam in singulorum animos vim exserat. Gravissimas autem aetatis huius nostrae necessitates intento reputantibus animo, enitendum nobis est ut fratres, vel a recto itinere aberrantes, vel cupidinum obcaecatos caligine, ad christiana praecepta reducamus ; ut populos christianae doctrinae luce collustremus, christianis regamus normis et christianorum officiorum conscientia penitus informemus; ut denique omnes incitemus ad veritatis et iustitiae animose certanda certamina.

[91] Luc, X, 7.

At propositam metam tum solummodo assecuturi erimus, cum ad talem sanctitudinis pervenerimus verticem, ut quam a Christo vitam virtutemque in nos derivayerimus, eam in ceteros effundamus.

Singulos igitur sacerdotes Apostoli hortatione monemus: <(Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi... cum impositione manuum presbyterii » ;[92] « in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis ».[93]

Dilecti filii, suscepti muneris gratiam plurimi facientes, ita vivite ut eadem in vobis vigeat fructusque pariat uberrimos, qui ad spiritualem Ecclesiae utilitatem ad eiusque inimicorum emendationem summopere conferant.

Utque paterna haec adhortatio Nostra quod spectat feliciter assequatur, vos etiam atque etiam hisce verbis admonemus, quae hoc Sacro praesertim vertente Anno tam opportuna videntur : ((Renovamini... spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis » ;[94] « estote... imitatores Dei, sicut filii carissimi: et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo » ;[95] <(implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et in canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino » ,[98] « vigilantes in omni instantia, et obsecratione pro omnibus sanctis » .[97]

Quae Apostoli gentium incitamenta animo recogitantes, opportunum ducimus suadere vobis ut, hoc eodem Sacro volvente Anno, Spiritualibus Exercitiis operam praeter statum ordinem

I Tim., IV, 14.

" *Tit.,* II, 7, 8.

'* *Ephes ,* IV, 23, 24.

95 Ibid., V, 1, 2.

96 Ibid., V, 18, 19.

" Ibid., VI, 18.

detis; ita quidem ut, pietatis ardore moti, quem inde percepturi estis, ceterorum quoque animos ad potiundos divinae indulgentiae thesauros aptius advocetis.

Cum autem peculiari modo experiemini quam difficile sit per arduum sanctimoniae procedere iter, ac vobis creditis perfungi officiis, tum ad eam fidentes oculos fidentemque animum erigile, quae Aeterni Sacerdotis cum ^it Genetrix, catholici quoque cleri est Mater amantissima. Non modo huius Matris erga vos benignitatem optime nostis, sed multis etiam locis, illius Immaculati Cordis misericordia concionando proposita, christiani populi fidem ac pietatem mirum in modum saepenumero exsuscitastis.

Si omnes Deiparae Virgini flagranti in amore sunt, at singulari dilectionis studio ipsa sacerdotes amplectitur, qui vivam Iesu Christi imaginem in se referunt. Cum igitur eiusmodi singularem amorem ac peculiarem in vos omnes Beatissimae Virginis tutelam summo cum animi solacio consideraveritis, tum vestros sentietis ad sanctitatem et ad sacerdotalia exercenda munera nisus faciliores fieri.

Nos Almae Dei Parenti, caelestium gratiarum conciliatrici, omnes quotquot in orbe terrarum sunt sacerdotes, enixe commendatos volumus, ut, ea deprecante, largissimam Deus effusionem sui Spiritus descendere iubeat; qui quidem et sacrorum omnes administros ad sanctimoniam impellat, hominumque genus renovatis moribus instauret.

Quae fausta ac salutaria, Immaculatae Virginis Mariae interposito patrocinio, eventura sperantes, supernorum munerum copiam omnibus imploramus; sacris praesertim Antistitibus ac sacerdotibus, qui, cum Ecclesiae iura eiusque libertatem pro officii sui conscientia tuiti fuerint, insectationes, carcerem, exsilium patiuntur. Eos Nos peculiari caritate prosequimur; utque sacerdotali illa, qua adhuc in exemplum praestitere, fortitudine ac virtute excellere pergant, paterno eos adhortamur animo.

Quorum interea supernorum munerum sit auspex paternaeque voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabilis Fratres, cunctoque clero vestro amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxni mensis Septembris anno Maximi Iubilaei mdccccx, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

INDEX *

Adhortationis ad clerum universum « Menti Nostrae... »

INTRODUCTIO

PARS I

SANCTITAS VITAE SACERDOTALIS

IMITATIO CHRISTI

NECESSITAS GRATIAE SUPERNAE AD IMITATIONEM CHRISTI PERSEQUENDAM

NECESSITAS ORATIONIS ET EXERCITIORUM PIETATIS

* Ad utilitatem lectorum Index proponitur.

PARS II

SANCTITAS IN SACRO MINISTERIO

PARS III

NORMAE AD HODIERNAE VITAE USUM

PARS IV

DIFFICULTATES PRAECAVENDAS

An. et vol. XXXXII 28 Octobris 1950 (Ser. II, v. XYII) - N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE KILIMANJARO
(TANGAËNSIS)

TICARIATUS APOSTOLICI DB KILIMANJARO TERRITORIUM BIPARTITUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA TANGAËNSIS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Amplissima plerumque Missionum inter gentes adhuc evangelica carentes luce territoria maxime iuvat dismembrare et novas erigere Missiones, apostolicis aliorum Evangelii praeconum curis concredendas. -Quod quidem munus ad Sanctam Sedem unice spectare dignoscitur. Peropportunum itaque visum est venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, regimini Sacri Consilii Christiano Propagando Nomini praepositis, territorium Vicariatus Apostolici de Kilimanjaro in Africa Orientali Britannica, sollertibus sodalium Congregationis S. Spiritus curis concrediti, bipartire et novam ibidem Praefecturam Apostolicam constituere. Habito igitur venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia et Delegati Apostolici in Africa Orientali et Occidentali Britannica, favorabili voto, Patres illi Cardinales, facultatibus utentes sibi a Nobis peculiariter pro toto hoc iubilari anno concessis, in plenariis comitiis die tertia proxime elapsa huius mensis, omnibus mature perpensis, atque attentis incrementis, quae po-

stremis hisce annis sodales Instituti a Caritate (vulgo Patres Eosminiani) iam ab anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto in orientali illius Vicariatus parte missionali incumbentes labori in catholica fide diffundenda retulerunt, ipsam orientalem quam diximus Vicariatus Apostolici de Kilimanjaro portionem, districtus nempe civiles de *Tanga,* de *P angami,* de *Eendeni* et de *Lushoto,* idest provinciam civilem de *Tanga,* districtu de *Pare* excepto, complectentem, ab illius Vicariatus territorio sei unxerunt et. exinde novam Praefecturam Apostolicam, « Tangaënsem)) nuncupandam, erexerunt eamque sedulis sodalium memorati Instituti a Caritate curis, ad Apostolicae tamen Sedis beneplacitum, committendam decreverunt. Nos vero hanc Sacrae Congregationis de Propaganda Fide sententiam adprobantes ac ratam habentes, suprema auctoritate Nostra confirmamus et ideo harum Litterarum vi Praefecturam Apostolicam Tangaènsem ita erectam et constitutam decernimus ac declaramus. Novae itaque huic Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore Praesulibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae in catholico orbe Praefecturae Apostolicae earumque Antistites iure communi fruuntur et gaudent eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia uti supra disposta et constituta, rata ac valida esse et fore volumus- et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notari publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti, confirmationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Eomae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die duo de vicesima Aprilis mensis, Pontificatus Nostri, anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
8. C. de Propaganda Fide Praefectus

t Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc, *Dee. Proton. Aposta*
Franciscus Hanniba1 Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco •© Plumbi

Reg. in Oanc. Ap., vol. LXXIX, n. 30. - Al. Trussardi.

II

. GUAYAQUILENSIS

(GALAPAGENSIS)

A DIOECESIS ^GUAYAQUILENSIS TERRITORIO INSULAE VULGO ((GALÁPAGOS)) SEPARANTUR, QUARUM TERRITORIUM IN PRAEFECTURAM APOSTOLICAM GALAPAGENSBM NOMINE ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Peranijdum quarumdam dioecesium territorium dismembrare peropportunum videtur, aliasque ecclesiasticas condere circumscriptiones maxime iuvat, in quibus Pastores ovibus suis pabulum facilius satiusque praebere queant. Quo moti consilio, lubentissime preces excipiendas censuimus, quibus venerabilis Frater Ioseph Felix Heredia Zurita, Episcopus Guayaquilensis, a Nobis enixe postulavit, ut a sua dioecesi *Galápagos* insulas seiungere, ad novam ibidem Praefecturam Apostolicam constituendam, decernamus, quo spiritualibus christifidelium illic commorantium necessitatibus plenius consuli possit. Audito itaque venerabili Fratre Ephraem Forni, Archiepiscopo titulari Darnitano, in Kepublica Aequatoriana Nuntio Apostolico, de venerabilis Fratris Nostri S. E. E. Cardinalis S. Congregationis Consistorialis a Secretis consilio, atque suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praefatae dioecesis Guayaquilensis territorio insulas *Galápagos,* quibus nomen *Isa-"bela, Fernandina, S. Salvador, Santa Cruz, S. Cristóbal,* et ceteras minores circumstantes insulas, ad memoratam Guayaquilensem dioecesim hucusque pertinentes, separamus et totum harum insularum territorium in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, *Galapagensem* nuncupandam, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide iurisdictioni ad iuris tramitem plene subiiciendam. Huic itaque novae Praefecturae eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae in orbe Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstriguntur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad

exsecutionem mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Republica Aequatoriana Nostrum Nuntium deputamus, vel illum, qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praesit, et ipsi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eique onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas «rit, peractae exsecutionis actorum authenticum exemplar transmittendi. Haec autem universa quae a Nobis decreta sunt, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, deputationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die sexta Maii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI

S. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA

8. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco © Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. LXXIX, n. 43: - Al. Trussardi.

III

CAFAELANDENSIS

(LIPENSIS)

DIOECESIS CAFAELANDENSIS SEDES EPISCOPALIS TRANSFERTUR ET EIUS APPELLATIO LINENSIS NOMINE MUTATUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicis sub plumbo Litteris *Ea est in praesenti,* a fel. rec. Pio Undecimo, Decessore Nostro, die vicesima prima Iunii mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo sexto, datis, latissimo dioecesis Botucatuensis territorio dismembrato, nova erecta est dioecesis Cafaelandensis,. cuius episcopalis sedes et cathedra Cafelandiae constituta et S. Elisabeth, Hungariae Reginae, ecclesia in cathedralem evecta. Quum vero, postremis potissimum hisce annis, *Lins* urbs tantum susceperit incrementum ut princeps dioecesis Cafaelandensis evaserit urbs, et aptior visa sit Episcopi sedes, quippe quae commodioribus pluribus viis terrestribus et aeréis cum ceteris dioeceseos urbibus et oppidis coniuncta est, quaeque humano civilique cultu et oeconomicis operibus praestat, seminari umque minus dioecesanum in ea exstat, venerabilis Frater Henricus Gelain, hodiernus dioecesis istius Episcopus, ceteris ecclesiasticae provinciae S. Pauli in Brasilia Antistitibus consentientibus, ab Apostolica Sede postulavit, ut sedes episcopalis et cathedra a *öafelandia* urbe in memoratam *Lins* urbem transferri nomenque dioecesis in *Linensem* mutari possit. Sacra vero Congregatio Consistorialibus Negotiis praeposita, audito venerabili Fratre Carolo Chiarlo, Archiepiscopo titulari Amideno et in Brasiliana Republica Nuntio Apostolico, facultatibus utens, sibi a Nobis per totum hunc iubilarem annum concessis, omnibus mature perpensis, ac certa scientia, praefatis precibus libenter annuere censuit, et, suppleto, quatenus opus sit, aliorum interesse habentium aut habere praesumentium consensu, ea quae sequuntur decrevit: 1) Sedes et Cathedra Episcopalis dioecesis Cafaelandensis, hactenus Cafelandiae exstans, ab hac urbe ad *Inns* urbem transfertur; quae idcirco ad civitatis episcopalis gradum et dignitatem evehitur cum omnibus iuribus, privilegiis et praerogativis, quibus ceterae episcopales sedes pollent ; 2) Dioecesis Cafaelandensis eiusque pro tempore Episcopus in po-

sterum *Linensis* nuncupabitur ; eademque suffraganea, ut antea, manebit metropolitanae Ecclesiae S. Pauli in Brasilia; 3) Ecclesia paroecialis, Deo in honorem S. Antonii Confessoris et Doctoris dicata, in *Lins* urbe exstans, ad Cathedralis Ecclesiae gradum evehitur ; antiqua tamen Ecclesia Cathedralis Cafaelandensis concathedralis titulo posthac decorantur ; 4) Curia quoque dioecesana pariter in *Lins* urbem transfertur, una cum omnibus documentis et actis ad dioecesim spectantibus, in eius archivo religiose asservandis.

Nos vero hanc S. Congregationis Consistorialis sententiam adprobantes ac ratam habentes eam suprema auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, confirmamus et omnia uti supra disposita et constituta valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Ad quae omnia vero exsequenda deputamus praefatum venerabilem Fratrem in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praesit, cum facultate subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus facimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum exsecutionis actorum exemplar quam primum transmittendi. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Nemini autem hanc paginam Nostrae confirmationis, deputationis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima septima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
8. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
8. C. Consistorialis a Secretis

t Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc, *Dec. Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi

Reg. in Cane Ap., vol. LXXIX, n. U- ~ Al. Trussardi.

IV

MEXICANA

(TOLUCENSIS)

A MEXICANAE ARCHIDIOECESIS TERRITORIO QUAEDAM OCCIDENTALIS PARS DISTRAHITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM TOLUCENSEM NOMINE NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si tam amplo territorio tamque ingenti christifidelium numero aliqua dioecesis in catholico orbe redundet, ut vix a vel vigilantissimo Praesule qua par sit diligentia regi queat, Apostolicae Nostrae sollicitudis est illam dispertire novasque exinde dioeceses constituere aliorum sollertibus Pastorum curis tradendas. Quo moti consilio, favorabile votum prae oculis habentes venerabilis Fratris Gulielmi Piani, Archiepiscopi titularis Nicosiensis et in Mexicana Republica Visitatoris Apostolici, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum consilio, libentissime annuendum censuimus enixis venerabilis Fratris Aloisii Martínez, Archiepiscopi Mexicani, precibus, quibus ab Apostolica sede flagitavit ut a suae archidiocesis amplissimo territorio quaedam ad occidentem sita pars distrahatur, in qua peculiarem requirere curam spirituales fidelium, necessitates videntur, et nova illic dioecesis erigatur. Suppleto itaque, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesis Mexicanae territorio duodecim seiungimus Vicarias foráneas, prout nunc exstant, cum suis quibusque paroeciis et ecclesiis filialibus vulgo : *Almoloya Jurez, Coatepec Harinas, Ixtlahuaca, EI Oro, Sultepec, tejupilco, Temoaya, Teenancingo, Tenango dei Valle, Tianguistengo, Toluea, Valle del Bravo; totum* autem harum Vicariarum foranearum territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, quam a *Toluea* urbe *Tolucensem* nuncupandam decernimus. Fines novae huius dioecesis attingent : ad septentrionem et orientem communes limites Vicariarum foranearum vulgo *EI Oro, Ixtlahuaca, Temoaya, Tianguistengo-Jilotepec, Tlaneplanta, Temascalcingo;* — ad occidentem archidioecesim Moreliensem et dioecesim Tacambarensem ; — ad meridiem dioeceses Chilapensem et Cuernavacensem. Dioece-

sim ita erectam et constitutam suffraganeam esse decernimus Mexicanae archidioecesi, eiusque pro tempore Episcopos Mexicani Archiepiscopi metropolitico subiicimus iuri. Sedem autem episcopalem in urbe-*Toluca,* a qua dioecesis mutuatur nomen, fìgimus; quam idcirco urbem ad civitatis episcopalis fastigium evehimus. Episcopi vero cathedram in paroeciali ecclesia ibi exstante, Deo in honorem S. Ioseph, Sponsi **B. M.** V., dicata, constituimus ; quam proinde ad cathedralis Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus; et ipsi atque Tolucensibus pro tempore Episcopis omnia tribuimus iura, honores, privilegia, insignia, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi gaudent ; simulque eosdem iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur Episcopi. Praeterea, ad iuris canonici praescripta maiorique huius novae cathedralis Ecclesiae decori et utilitati, Cathedrale Canonicorum Capitulum in ea instituendum decernimus iuxta normas, per alias Apostolicas Litteras edendas. Quandiu vero hocce Episcopi senatu dioecesis carebit, ad iuris tramitem consultores dioecesani eligantur et adhibeantur. Mensae autem episcopalis dotem constituent congrua redituum et bonorum pars ad Mexicanam archidioecesim pertinentium, nec non Curiae emolumenta et oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum eadem dioecesis erecta est, praeberi solent. Quod porro attinet ad ipsius Dioecesis regimen et« administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, adamussim servari iubemus, quae sacri canones praescribunt. Volumus autem ut quam primum fieri poterit minus saltem Seminarium constituatur ad normam iuris canonici et iuxta regulas a S. Congrega^tione de Seminariis et Studiorum Universitatibus statutas ; ex quo electi. iuvenes in Urbem mittantur ut, in Pontificio Collegio Pio Latino Americano, sub fere oculis Nostris, in disciplinis philosophicis et theologicis, in Ecclesiae bonum instituantur. Decernimus insuper ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem deductae fuerint, clerici eo ipso Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Iubemus denique ut omnia documenta et acta quae novam Tolucensem dioecesim eiusque clericos, fideles ac bona temporalia respiciunt, a Curia Mexicana ad Tolucensem transmittantur, in proprio archivo diligenter asservanda. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad exsecutionem mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Mexicana Republica Visitatorem Apostolicum deputamus eidemque tribuimus necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate consti-

tutum et illi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere ; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel ofiicio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die quarta Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. K. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. *Collegii Decanus*

Fr. A. I. Card. PIAZZA
8. C. Consistorialis a Secretis

f Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc, *Dec. Proton. Apost**
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco £ß Plumbi

Reg. in Canc. Ap.. vol. LXXIX, n. Pl. - Al. **Trussardi.**

LITTERAE APOSTOLICAE

I

"TEMPLUM ((AD ARCEM)) NUNCUPATUM, DEO IN HONOREM S... FRANCISCI ASSISIENSIS, VITERBII EXSISTENS, BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS COHONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae inclytae regionis, ((Patrimonium » nempe Sancti Petri nuncupatae, caput fuit atque ob multiplices cum Apostolica Sede habitas rationes ac necessitudines « Pontificum Civitas » meruit appellari, eadem, Viterbium scilicet Urbs, utpote historiae gloria cumulata, historicis ditissima est monumentis, quibus memorias, cum religiosas tum civiles, tuendas cives commiserunt. Haud .aliter accidisse videtur in Franciscali Templo, quod, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium curae et studio concreditum, anno **MCCXXXVII,** salutaris Sancti Francisci Assisiensis adventus memoria adhuc virente, a Decessore Nostro Gregorio PP. IX, fel. rec, inceptum atque aedificatum fuit. Amplitudine ac maiestate mirabile, atque stylo Gothico-cisterciensi confectum, super antiquissimae Langobardicae Arcis et Romanicae Sancti Angeli Ecclesiae aream ipsum se extollit, carissimumque Romanis Pontificibus eorumque Comitatui nec non Viterbiensibus civibus illico evasit. Renident enim polychromis et sculptis marmoribus Clementis PP. IV et Hadriani PP. V, rec. mem., Decessorum Nostrorum, insignia monumenta, atque nonnullorum Patrum Cardinalium et Episcoporum, qui mortales suas exuvias in Franciscali Viterbiensi Templo componendas voluerunt. Gentilicia insuper sacr aria, inde a saeculo xiv et per insequens tempus exaedificata, potissimumque Botontinum sacellum « a Pietate » nuncupatum, celeberrimam Sebastiani illius ((a Plumbo » tabulam depictam mire exhibens, Templum ipsum summe exornant eiusque augent nitorem. Quod autem, Romanis Pontificibus in Viterbiensi Civitate diu commorantibus, in lucem famamque, haud secus ac Palatium contiguum, « Pontificum » appellatum, tantopere provectum fuit, ut complura celebrarentur sollemnia, e quibus memoratu digna Sancti Richardi, Episcopi Cicestrensis in Anglia, Canonizatio, anno **MCCLXIII** habita, atque, permultis fidelibus occurrentibus, nonnulli Dei Famuli ipsum saepe inviserent, quos inter et Sancta Rosa a Viterbio

et. Sanctus Bernardinus Senensis, cuius suggestus, in Ecclesiae fronte positus, nunc quoque admirationi ac venerationi est. Multis fortunis obnoxium ac vicissitudinibus, memoratum Templum, novissimo teterrimoque saeviente bello, telis ignivomis e caelo mentibus misere percussum ac magna ex parte dirutum est ; sed tanta fuit Minorum Conventualium sollertiae et civium pietatis conspiratio, ut, pristina architectura reperta et in lucem prolata, pulchrius e ruinis feliciter excitatum sit. Quod si bellum ipsum insignes Sanctorum Reliquias, in eodem Templo pie asservatas, perdere fere omnes potuit, numquam fidelium concursum minuit, quin immo Marialia Opera in honore Immaculatae Virginis Mariae magis in eo floruerunt atque Tertii Ordinis Santi Francisci Assisiensis sodalium numerus auctus est. Quo autem proximae optataeque in publicum ac liturgicum cultum restitutionis magis iucundum gratumque exstaret mnemosynon, dilectus filius Procurator Generalis eiusdem Franciscalis Ordinis enixas ad Nos admovit preces, ut Viterbiense Sancti Francisci Templum dignitate ac privilegiis Basilicae Minoris benigne honestare dignaremur. Nos vero, tam frequentia per saecula inter Viter biensem Civitatem eiusdemque praesertim Franciscale Templum et Romanos Pontifices vincula attente considerantes, nec non impensum Minorum Conventualium studium fideliumque flagrantem pietatem consentaneo rependere volentes praemio, huiusmodi preces, amplissima Venerabilis Fratris Adelchi Albanesi, Episcopi Viterbiensis eTTuscanensis atque Abbatis Sancti Martini ad montem Ciminum, commendatione suffultas, excipere libenti statuimus animo. Qua propter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Templum « ad Arcem » nuncupatum, Deo in "honorem Sancti Francisci Assisiensis dicatum, Viterbii exsistens et Fra-

truETffin^^ ho-

norem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quid-

quam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **IX** mensis Decembris, anno **MCMXLIX**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

ECCLESIA DEO IN HONOREM SANCTAE HELENAE, VIDUAE, DICATA, IN LOCO VULGO ((BIRCHIRCARA)) APPELLATO, INTRA FINES MELITENSIS ARCHIDIOCESIS, TITULO BASILICAE MINORIS CONDECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Melitam Insulam, quo Evangelii nuntius ipsa aetate Apostolorum est perlatus, Fidei Catholicae cum constantia et alacritate iugiter haesisse probe cognitum habemus. Tanta ergo populi Christiani pietas plura ibi excitavit Templa artificiosisque instruxit operibus, quae praeclara religionis monumenta Insulam ita décorant ut nihil' potius. In his praecipuum obtinet locum Ecclesia, Deo in honorem Sanctae Helenae, in pago qui vulgo « Birchircara » audit, consecrata, quae et amplitudine excellit atque forma commendatur marmorum, imaginum pictarum, signorum auro obductorum. Haec insuper Aedes, quae et collegialis est simulque paroecialis, sacris ritibus praestat, in quos Canonici aliique naviter incumbunt. Ut ergo huiusce Templi dignitas augeretur ac Christifidelium studium ac religio satius excitarrentur, Venerabilis Frater Michael Gonzi, Melitensis Archiepiscopus, enixe rogavit ut memoratam Ecclesiam honore Basilicae Minoris decoraremus. Nos autem, eiusdem Templi laudes benevolentia Nostra dignas députantes idque per cupientes, ut ad divinarum rerum diligentiam in dies maiorem eius loci incolae pro vocarentur, hasce preces libenti animo statuimus admittere. Quapropter, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Deo in honorem Sanctae Helenae, Viduae, dicatam et in loco vulgo « Birchircara » appellato, intra fines Melitensis Archidioeceseos, positam, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis

quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XVIII** mensis Ianuarii, anno **MCML**, Pontificatus Nostri undecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO - BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatum s expediendis

III

ECCLESIA DEO IN HONOREM Ii. MARIAE VIRGINIS SALUTATAE AB ANGELO DICATA, DREPANENSIS URBIS AC DIOECESIS, BASILICAE MINORIS TITULO HONORIBUSQUE AUGETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Ex hoc », ut ait Sanctus Bonaventura, « quod Virgo Maria effecta est Dei Mater, est effecta Mater omnium creaturarum » ; idcirco, tantae Parenti dicata, plurima per orbem surgunt Tempia, e quibus praecipua ac majore Christifidelium concursu commendata, e Romanorum Pontificum instituto potiore dignitate solent decorari. Quae inter merito recensenda est Ecclesia, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis ab Angelo salutatae extra moenia perantiquae urbis Drepani in Sicilia consecrata atque ea in regione jure merito in famam provecta. Anno enim MCCL nobilis vir, Ribaldus Abbate, aedem suam, Beatae Mariae Virgini, Dei Genetrici designatae, sacram, Fratribus Carmelitis e Palaestina extorribus, qua erat munificentia, obtulit una cum agris aliisque bonis, cui parvae Ecclesiae illustris femina, Perna Abbate, ejusdem Ribaldi in alteris nuptiis uxor, suas etiam ligavit easque amplas fortunas. Quae, Simulacro Almae Deiparae honestata et apud Christianum populum magis magisque inclarescens, cum esset nimis angusta et exigua, coepta est amplificari, ita ut, collato aere atque pecunia, a Rege Jacobo Aragonensi civibus imperata, et imprimis opera et industria Sodalium Carmelitarum, in praeclarum excreverit Templum Ma-

ríale. Quod quidem, anno **MCCCXXXHI** artifìcio eoque structurae genere, quod ((Gothicum » vocitant, perfectum est atque in tres alas divisum,, quae tamen postea, nova aedificandi ratione invecta, in unum spatium coaluerunt. Ceterum Templum hoc undecim aris est spectabile, in quarum tabulis pictis cernuntur Salvatoris Eiusque Matris Inclytae res gestae,, atque aliis afiluit operibus artificiosis, e quibus merito celebrantur ipsum sacellum Beatae Mariae Virginis, variis decorum coloribus lychnisque argenteis renidens. Praeterea ardor et pietas Christifidelium, qui Caeli Reginam deprecabundi adeunt frequentes, in eadem hac Ecclesia non residit ; quae augere studens, dilectus filius, hodiernus Prior Provinciae Siculae Ordinis Fratrum Carmelitarum, enixis a Nobis flagitavit precibus, ut hoc Templum Basilicam Minorem renuntiare benigne dignaremur. Nos autem eius laudes agnoscentes cultumque Beatae Mariae Virginis Drepanensium animis altius cupientes defigere, haec vota, eiusdem loci Ordinarii commendationis officio suffulta, libenti animo statuimus admittere. Quapropter, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis salutatae ab Angelo dicatam et in urbe Drepano atque ejusdem nominis dioecesi positam, ad dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Martii, in festo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae Negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

VENERABILIS DEI FAMULA MARIA DE MATTIAS, VIRGO, INSTITUTI SORORUM AB^ ADORATIONE PRETIOSISSIMI SANGUINIS FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quodsi fortitudo, quae, ut ait Sanctus Gregorius Magnus, Decessor Noster, « est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitae praesentis exstinguere, huius mundi aspera pro aeternis praemiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum in corde superare » *(Moral.,* VII, 8), viris nobili est ornamento, feminis autem, quarum natura imbecillior animus, uberius inde provenit gloriae seges ac materia. Atque novum huiusce virtutis quasi lumen Christifidelibus proponere gestimus, vergente iam Sacri Iubilaei Anno, qui Ecclesiae heroum triumphis praecipue distinguitur et illustratur. Decernentibus ergo Nobis Famulae Dei Mariae De Mattias Beatorum Caelitum honores, oboedientem imitando exprimant puellae, castam aemulentur virgines, prudentem intueantur nuptae, omnes sequantur fortem. Haec ex eis qui « roscida rivis Hernica saxa colunt », valida gente et industria, die quarta mensis Februarii, anno millesimo octingentesimo quinto, in oppido Valle Curtia prognata est, prima e quattuor filiis Ioannis De Mattias et Octaviae De Angelis, quorum sat magnum nomen erat et auctoritas, praeclarior autem vivendi ratio et intemerata coniugii fides. Eodem die lustralibus abluta aquis, infantilia, natura paulo acrior neque aetatis expers ineptiarum, patrem, virum admodum suavem atque probum, magistrum habuit ad ineundas semitas Dei et, ad eius disciplinam docilis, cupiditates frangere assuevit. Ab eius etiam ore pendebat, cum res divinas narrando explicaret, quippe qui in sacris libris studiose et multum esset volutatus. Duobus expletis lustris, puella, Confirmationis chrismate inuncta, ad christianae vitae certamen sese expedivit posteroque anno e divina coepit mensa vesci et, quem Pretiosum Sanguinem, in caelestibus hisce epulis delibatum, numquam exinde desiit sitire, eundem erat praedicatura tamquam nuntia indefatigata. Cuín vero, ab aequalium consuetudine non recedens, quod est subinane in virginibus, aliquamdiu persequentur, imagine Beatissimae Virginis Mariae, iuxta speculum posita, in quo se contemplabatur, subito animus eius ita est contactus ut eliquaretur veritas in cor eius fugeretque ab ea sollicitudo vitae praeteritae. Saeculi

•ergo oblectamenta, quamvis honesta, perosa, demissis induta vestibus, sibimet imperans, in publicum prodibat, Deo impensius consuescebat supplicare corpusque voluntariis exercere cruciatibus et, quae via vitae sibi foret deligenda, ut pernosceret, instantius a Numine flagitabat. Ceterum iniquissima aetate illa qua Romanus Pontifex impie petebatur, maiorum instituta confundebantur, grassatores agros faciebant infestos, providens Deus, qui numquam deest temporibus Ecclesiae, sauciam hanc Sponsam suam voluit consanescere per viros, praestabili virtute et incenso animarum studio ornatos, Vincentium Pallotti, quem inter Beatos Caelites Ipsi nuper rettulimus, çt Beatum Gasparem Dei Bufalo, qui Congregationis Presbyterorum a Pretiosissimo Sanguine auctor fuit. Hic anno millesimo octingentesimo secundo et vicesimo oppidum Vallem Curtiam sacris lustrans contionibus, Mariae mentem ita perfregit ut paulo post in confessione eadem quae esset ipsi aperiret, eumque adhiberet in consilium circa religiosae vitae genus amplectendum. Sacerdos consideratissimus, virginis perspecta virtute, eam in fidem tradidit optimi sodalis Ioannis Merlini, qui in pago illo societatis suae domum constituit. Hoc quidem magistro usa, tandem munus sibi demandatum habuit comprehensum, cuius partes essent saluti consulere alienae, maxime puellarum, easdem erudire et ad tam grave opus suscipiendum novam excitare Sororum Congregationem. Nulla mora interposita coepit primum adulescentulas atque etiam mulieres nuptas domum accire easque ad pietatem informare ac doctrinae christianae ipsis tradere elementa. Sed tempestatem nacta idoneam, quasi navem solvit duxitque in altum. Quae esset patri coniunctissimam forti animo Valle Curtia discessit et, docendi non ignara, Acuti, Ferentino Episcopo ac dioeceseos Anagninae Administratore Apostolico deposcente, ludum subiit litterarium. Cuius in disciplinam puellae frequentiores conveniebant in dies indeque proficiscebantur non solum humanitate politiores sed etiam ad recte faciendum magis instructae. At laborum obruta magnitudine, Dei Famula in gravem morbum incidit, quo tandem depulso, alacris reversa est ad institutum. Cum vero esset domus nimis angusta atque circumfuso umore laesa, in aedes sat amplas, quae Acuti erant Episcopis Anagninis, se recepit. Interea, die quinta mensis Iulii, anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto, sodalitatem Sororum ab Adoratione Pretiosissimi Sanguinis condidit, quae, Congregationi Beati Gasparis Del Bufalo respondens, in Redemptionis nostrae Pretii religione versatur simulque annititur ut eos, qui Salvatoris cruore in libertatem vindicat! sunt, praesertim subolem iuventutis, faciat « Deo nostro regnum ». Iam igitur liquidus fons ex edito monte Acutino excur-

rit, cuius lymphae salutiferae cito desiluerunt flumine, totum fere orbem irrigaturae. Hanc quidem societatem, quam etiam Beatae Virgini Mariae voluit devotam, Dei Ancilla veluti consultissima mater familias ad mortem usque rexit, regulis scite temperavit, epistulis prudentia refertis est moderata. Paupertatis perquam studiosa, perpetuae florens virginitatis honore, Praelatis subiecta et obnoxia, caritate in omnes infiammata, demissum gerens animum, voluntariis castigationibus se affligens, in Deo iugiter defixa, sodalibus ceterisque sibi creditis eximia eadem erat vitae perfectrix. Difficile autem dictu est quot in exsequendo munere curis sit sollicitata, quot pressa angustiis, quot laboribus fracta, qua in re fortitudo quasi notatior virtus in ea elucebat. Domus illa Acutina, quam ex dioeceseos Praesulis permissione cum Sororibus incolebat, subito ei ablata est, Superiores aliquandiu minus recte de ea existimabant progressumque Instituti difficultatibus obstruebant, morosae quaedam atque offirmatae sodales moderationem eius detrectabant, quin leve vulgus, virgini inculpatae suscensens, secius de ea est locutum. Quae omnia modice tulit « mulier fortis », a Christo Crucifixo, Magistro suo, numquam desciscens. Quamvis haud raro morbo languesceret, domos, quarum ad sexaginta constituit, saepe visebat, antiquissimum rata gloriam Dei provehere ac salutem animarum. Pius Pp. IX, fel mem., Decessor Noster, humanius ei favebat eiusque incepta, qua erat munificentia, secundabat. Fructum iam colligens gloriosi laboris, Urbem repetiit, in qua dudum Congregationis domicilia collocaverat, ibique, aegritudine absumpta, asperum vitae certamen confecit. Die vicesima mensis Augusti anno millesimo octingentesimo sexagesimo sexto, animam agens, cum sacerdos hymnum « Vexilla Regis prodeunt » diceret, ad verba « O Crux, ave, spes unica », oculos in arulam iuxta se locatam sustulit et postquam in caliginosi huius saeculi discrimine luctavit virgo, ad triumphantes concessit virgines, quae ((sequuntur Agnum quocumque ierit ». Multitudo, ad exanime corpus accurrens, (< Sanctam » • **Obusse** conclamavit, Summus autem Pontifex Pius Pp. IX, qui morienti bene precatus erat, pauperi aere proprio, iam diviti in Deo ex sua pietate cultissimum sepulcrum in Agro Verano curavit exstruendum. Nomen vero Famulae Dei, quod vel vivens ipsa consecuta est amplissimum, post funus tantopere inclarescebat eiusque fama virtutum, quam Deus prodigiis etiam visus est comprobare, ita pervulgabatur, ut, inquisitionibus potestate ordinaria absolutis, Causa de Beatorum Caelitum honoribus Mariae De Mattias tribuendis penes Sacram Rituum Congregationem coepta sit agitari; cuius introductionis Commissionem Venerabilis Pius Pp. X, Decessor Noster, die nona mensis Decembris, anno mil-

lesiino nongentesimo tertio, sua obsignavit manu. Omnibus igitur eis peractis quae in huiuscemodi iudicio fuerant tractanda, inita est disceptatio de virtutibus sive theologalibus sive cardinalibus Famulae Dei, quas, post subtiles investigationes, probationes iterataque Comitia, gradum heroicum attigisse fel. mem. Pius Pp. XI, item Decessor Noster, edito decreto die decima sexta mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto, edixit. Cum deinde quaereretur de miraculis, quae, Venerabili Dei Ancilla Maria De Mattias intercedente, a Deo ferebantur patrata ac de quibus, magna sane cognitione dignis, in Congregationibus Antepraeparatoria, Praeparatoria et denique Generali, die duodetrigesima mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, coram Nobis habita, actum est, Nos, omnibus rebus perpensis, de duobus, lato decreto die quinta mensis Martii volventis anni, pronuntiavimus constare. Una superfuit disquisitio, an Famula Dei inter Beatos Caelites *tuto* foret recensenda; quod quidem dubium propositum est a Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Ponente seu Relatore, in Generali Conventu, die octava mensis Augusti eodem hoc anno, coram Nobis celebrato. Omnes autem, qui aderant, cum Purpurati Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi tum Praelati Officiales Patresque Consultores, cunctis suffragiis id ipsum affirmarunt. Nos autem mentem distulimus aperire, quo ad tam gravem ferendam sententiam caeleste adiumentum, enixis precibus ad Deum admotis, satius Nobis obveniret. Itaque, die tandem tertia mensis Septembris, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, postquam sacris pie sumus operati, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Relatore, necnon Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo et Supremi Consilii Sacris Ritibus praepositi Viro a secretis, atque dilecto filio Saldatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Famulae Dei Mariae De Mattias Beatificationem *tuto* procedi posse declaravimus. Quae cum ita sint, vota Sororum ab Adoratione Pretiosissimi Sanguinis ac Christifidelium, praesertim Italiae, implentes, harum Litterarum vi atque auctoritate Nostra Apostolica, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Serva Maria De Mattias *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beatae Imagines radiis decoren-

tur. Praeterea eadem Nostra auctoritate concedimus ut de illa quotannis recitetur Officium de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesibus Verulana, cuius intra fines Beata ipsa orta est, Anagnina, in qua religiosam instituit familiam plurimumque operae insumpsit, et Romana, ubi supremum diem obiit; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus sodalitas Sororum ab Adoratione Pretiosissimi Sanguinis utitur, ab omnibus Christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a Sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus Beatae eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Mariae De Mattias, servatis servandis, supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significatione hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die i mensis Octobris, Dominica xvin post Pentecosten, anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium. Regem
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EXCMUM P. D. MESROP HABOZIAN, ARCHIEPISCOPUM TIT. CAM ACHENUM, ABBATEM GENERALEM ORDINIS MECHITARISTARUM VINDOBONENSIS AC REVMUM P. SERAPIONEM ULUHOGIAN, ABBATEM GENERALEM ORDINIS MECHITARISTARUM VENETIARUM : ALTERO EXEUNTE SAECULO AB OBITU PETRI MECHITAR, ORDINIS INSTITUTORIS.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater ac Dilecte Fili. — Altero exeunte saeculo post obitum Petri Mechitar, vestri Ordinis institutoris, opportunum sane iniistis consilium celebrandi in proximum septembrem mensem sollemnia sacra, quibus Dilectus Filius Noster, Cardinalis Gregorius Petrus XV Agagianian, praeclarus Ciliciae Armenorum Patriarcha, praeerit. Iuvat enimvero ad exacuendas monachorum virtutes atque industrias in memoriam revocare egregias laudes, quas eorum maiores, vestigiis gloriosi conditoris inhaerentes, sibi comparaverunt, ut Armenorum gentem ad pristinam catholicae fidei professionem cultioremque vitae rationem, litteris praesertim ac doctrina, reducerent. Probi quidem Mechitaristae utriusque Congregationis, sive antiquioris Venetiarum, sive Vindobonensis, tot annorum decursu, praedicando et docendo, sacras peragendo Missiones, pluraque opera per proprias officinas typographicas polyglottas in vulgus edendo, Armenorum praecipue mores virtutesque excoluerunt, eorumque linguam, litteras, rerum historiam, sacramque doctrinam ac liturgiam mirifice copioseque illustrarunt. In comperto igitur est, tum eremitidem Sancti Lazari insulam ad amoena Venetiarum litora, tum Vindobonense coenobium non modo religiosae pietatis refugium ac palaestram, sed antiquitatis quoque monumentorum sedem ac florens bonarum artium exstare domicilium. Vobis itaque, Venerabilis Frater ac Dilecte Fili, cunctisque monachis, quibus praeestis, de proxima iucundi eventus faustitate ex animo gratulamur, simulque superna a Deo munera adprecamur, quibus omnes, apostolatus studio, quo ipse Petrus Mechitar flagrabat, valde infiammati, cum Apostolica hac Sede, ut semper fuistis, fideliter intimeque coniuncti, Armenorum genti, eo magis Nobis dilectae, quo acrius rerum temporumque asperitatibus vexatae, felicia religionis ac virtutum incrementa afferre possitis. Quorum interea donorum in auspicium, inque peculiaris Nostrae caritatis pignus,

Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabilis Frater ac Dilecte Fili, Cardinali Patriarchae Ciliciae Armenorum, cunctisque utriusque Mechitaristarum Congregationis sodalibus, peramanter in Domino impertimus.

Datum Eomae apud Sanctum Petrum, die n mensis augusti, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EMUM P. D. PETRUM TIT. S. CRUCIS IN HIERUSALEM S. R. E. PRESB. CARDINALEM FUMASONI BIONDI, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTUM, OB CONVENTUM DE SACRIS MISSIONIBUS ROMAE CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Per libenti quidem animo accepimus, proximo ineunte Septembri mense sollemnem de sacris missionibus Conventum in hac alma Urbe celebratum iri, cui plures sacrorum Antistites, missionales, sacerdotes selectique ex ordine laicorum fideles adfuturi nuntiantur.

Oculos mentemque adiecimus ad quaestiones in proximis coetibus agitandam definiendasque propositas, ac visum est Nobis conventurös apostolico quodam intuitu congruentique ratione eo spectaturos esse, ut opera ad sacras missiones adiuvandas instituta, videlicet Unio cleri pro missionibus et Pontificia Opera a Propagatione Fidei, a Sancto Petro Apostolo pro clero indigena et a Sancta Infantia, quantum fieri possit, sollertiora, expeditiora atque efficaciora reddantur.

Etenim praecipuum huic Congressioni propositum est universos christianos de sacrarum expeditionum causae gravitate edocere, eosque ut in illam diligentiores adhibeant curas hortari : « omnes fideles pro omnibus infidelibus ». Clerus cumprimis conscientiam officium suum penitus absolvendi habere nequit, nisi pro missionibus Deum enixe comprecetur, nisi cogitationes industriasque suas in eas quoque impendat ; omni vero ope connitendum est, ut homines doctrina exculti intellegant Evangelii propagationem ad veram hominum prosperitatem, ad civilis cultus stabilitatem, omnino esse necessariam. Generosa itidem iuventus, quae in studia incumbit, quaeque interdum ideologiis, uti dicunt, funestis allicitur, mirifica apostolatus missionalis vi atque idea ad nobiliores ausus incitanda ac trahenda est. Scripta typis consignata, quae ad publicum

informandum iudicium tantopere conferunt, silentio praeterire non possunt neque debent egregia missionalium facinora; quin etiam per validum guttembergiae artis auxilium grande nobilissimumque est apparandum confieiendumque certamen, quod videlicet certamen est veritatis et iustitiae omniumque gentium concordiae ac pacis.

Profecto sacrorum missionalium labor et navitas, recentioribus bisce annis, novas experta sunt necessitates, quae opportuna indigent investigatione, ad normas praesertim quod attinet persequendam apostolatus, sive apud populos primaevo ingenio exstantes, sive apud gentes litteris artibusque expolitas.

Quaestiones autem sociales, eae maxime quae ad laborem congruamque tribuendam mercedem pertinent, providentiae, quas vocant, sociales et nobilitandae opificum condiciones ad meliorem efficiendam societatem, magni videntur ponderis argumenta, quae missionalibus cognoscenda sunt, diligenti excutienda studio, ad exitum, quoad possibile erit, perducenda, christiana ipsa caritate postulante acriterque in dies urgente.

Siquidem missionalium caritas inter flagrantieres procul dubio caritatis rivulos annumeranda est, qui e Sacratissimo Christi Corde continenter profluunt. Impraesentiarum humana consortio gravi torquetur discrimine, solusque Divinus Redemptor « verba vitae aeternae » [1] habet adversum depravatam eorum opinionem, qui de vita humana, omnia ad materiam referentes, perperam sentiunt praedicantque. At egregii homines Romam Conventuri praesentis temporis gravitatem clare animadvertentes, rursum' animis suis vocem hauriunt Spiritus Sancti, •qui « postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus », [2] et illa Christi verba, quae sunt veluti indeficientis amoris sui testamentum : « et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem audient, et fiet unum ovile et unus Pastor ». [3]

Hac discriminum concertationumque aetate haud satis est amplius «. romanticismus », quem vocant, expeditionum sacrarum, quique tanto favore missionalium operam quondam prosequebatur ; hodie vero per sollemnes conventus, per scripta praelo excusa, per relationes, quae e missionum locis afferuntur, scientia efficitur missionologica, uti cathedrae ipsae palam ostendunt de missionologia in Universitatibus studiorum inque clericorum Seminariis institutae, istaque Congressio, omni apparata diligentia et navitate.

[1] Io., 6, 69.
[2] *Rom.,* 8, 26.
[3] IOAN., 10, 16.

Nos quidem in primis Encyclicis Litteris « Summi Pontificatus», die **XX** mensis Octobris anno **MCMXXXIX** datis, ediximus : « Et curas omnes ac normas, quae facultatibus viribusque sapienter explicandis temperateque augendis inserviunt — quae quidem ex occultis cuiusvis -stirpis latebris oriuntur — Ecclesia approbat maternisque votis prosequitur, si modo officiis non adversentur, quae communis mortalium omnium origo comunisque destinatio imponant. Quod profecto ex impensa opera, quam sacrarum expeditionum praecones navant, iterum iterumque ostendit; idque esse profitetur quasi rectricem stellam, ad quam in suo universalis apostolatus itinere intentis oculis respiciat ».

Praeterea in Allocutione die xxix mensis iunii anno **MCMXLJV** a Nobis habita, adstantibus Praesulibus et administris Pontificiorum Operum Missionalium Romae congregatis, aperte declaravimus, praeclarissimum esse finem expeditionum sacrarum, Ecclesiam in locis infidelium firmiter constituere adeo ut, radices altius agendo, per se ipsa vivere et efflorescere queat sine Missionalium Operum adiumento, quod proinde, cum suimetipsius ibi ratio desit, cessare debet.

Ecclesia equidem nullum habet propositum in populos dominandi, aut imperio in res modo temporales potiundi, uno cum flagret studio omnibus gentibus supernum Fidei lumen afferendi, humani civilisque cultus incrementum fovendi fraternamque populorum concordiam.

Quibus memoratis, paterno cupimus exstimulare animo Sacerdotes universos laicosque religiosos, omnes Sorores, eosque in primis qui magistri munere funguntur, omnes christifideles, ut secum arcte coniuncti actuosique, alii per Unionem cleri pro missionibus, alii per Pontificia Opera a Propagatione Fidei, a Sancto Petro Apostolo pro clero indigena et a Sancta Infantia, in suscepto proposito sacras expeditiones provehendi perseverent, suas in earum bonum industrias multiplicent, enixas Deo preces indesinenter adhibeant, ad missionalium munera vocatos adiuvent eis necessaria auxilia pro viribus suppeditando.

Ecclesia enim corpus Christi mysticum est, in quo « si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra ».[4] Quapropter, cum plura ex his membris hodie acerbis discrucientur doloribus ac vulneribus sauciata reperiantur, omnes christifideles sacro tenentur ofiicio cum illis quadam virium animorumque necessitudine sese coniungendi. In quibusdam missionum locis bellicus furor ecclesias non paucas ac missionalium sedes, scholas et valetudinaria horrendum in modum vastavit delevitque. Ad haec damna repensanda, ad tot aedificia denuo exstruenda, totus orbis catholicus, quem constat singulari erga sacras expedi-

[4] *1 Cor.,* 12, 26.

tiones sollicitudine et caritate teneri, idonea subsidia liberaliter praestabit.

Cogitationem interea Nostram convertimus ad intrépidos Fidei praecones, qui naviter in suo quisque campo allaborant, res adversas fortiter tolerant, cum gaudio omnes ferunt molestias, « quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati » ; [5] neque grato animo intueri omittimus collegia atque instituta optime de Ecclesia merita, in quibus futuri erudiuntur et educantur missionales.

Dum itaque Nos libenter gratulamur Sacerdotibus laicisque fidelibus, qui veluti missionales domi manentes sacris missionalibus procul domo versantibus auxilio sunt, laeta admodum voluntate vota Nostra atque omina publice significamus, ut secundo plane exitu auspicata peragatur Congressio, quae inter multifaria clare gesta et sollemnes celebritates Sacri vertentis Anni profecto recensebitur. Votum itaque pro universali omnium ad Christum reditu maturando, quod in primis Encyclicis Litteris enuntiavimus, peculiarem prae se fert significationem, si cogitatione complectimur ingentia agmina hominum, pro quibus omnibus Christus Redemptor suum sanguinem fudit, quamvis nondum illi redemptionis gratiam agnoscant, neque eadem fruantur.

Hisce votis optatisque Nostris, in caelestium donorum auspicium inque praecipuae Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, universis Conventui proximo adfuturis, cunctisque fidelibus, qui operam suam ultro navabunt, ut regni Dei fines finibus orbis terrarum terminentur, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die ix mensis Augusti, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

III

CHRISTIFIDELIBUS E LINGUA GERMANICA, OB CONVENTUM ANNUUM IN URBE. PASSAIT COADUNATIS.

Geliebte Söhne und Töchter des katholischen Deutschlands!

Ihr findet euch in wenigen Tagen zu eurer jährlichen Heerschau in der altehrwürdigen Bischofsstadt Passau ein. Mit Betonung sprechen Wir von der « altehrwürdigen Bischofsstadt ». Die Stadt ist so alt wie das Christentum, wenn nicht noch älter. Das Bistum Passau schaut auf eine schon mehr als zwölfhundertjährige Geschichte zurück und kann.

[5] ***Act.,*** 5, 41.

sich rühmen, einstmals die spätere Kaiserstadt Wien in seinen Grenzen eingeschlossen zu haben. Die Stadt selbst wie das umgebende Land — Wir denken besonders an die herrlichen Ufer der Donau gen Regensburgp zu — sind reich an Kirchen und anderen Stiftungen, wo lebendige Frömmigkeit und feinster Sinn für das Edle und Schöne sich zusammengetan haben, um Kultur werke hohen Wertes zu schaffen, die heute um so kostbarer sind, als an vielen anderen Orten vergleichbares Kulturgut der Vernichtung durch den Krieg anheimfiel.

Es besteht jedoch kaum die Gefahr, dass die reiche Geschichte des Bodens, auf dem ihr tagt, euren Blick banne und der Vergangenheit so sehr verhafte, dass ihr die graue Wirklichkeit übersähet. Die beiden voraufgehenden Katholikentage in Mainz und Bochum mit ihren ausführlichen und umfassenden EntSchliessungen haben bewiesen, dass ihr euch eurer Gegenwartsaufgabe sehr wohl und sehr lebendig bewusst seid. Und wenn ihr dieses Jahr in ausgesprochen ländlicher Kultur tagt, so wisst ihr doch, dass auch auf dem Land sich die Verhältnisse von Grund aus geändert haben.

Aber ebenso seid ihr euch bewusst, dass ohne die befruchtenden Wasser des Gebets und des persönlichen Opfers die sorgsam gestreute Saat nicht Wurzel fassen und aufspriessen kann. Ihr seid euch bewusst,. dass alle guten Ansätze verkümmern, dass alles Wollen und Tun wie gelähmt und wie tot bleiben muss, wenn nicht die Gnade Jesu Christi und das machtvolle Wehen des Heiligen Geists Leben, Kraft und tiefgehende Wirkung verleihen. Ihr seid euch bewusst, dass, so notwendig Organisation ist, mit dem Organisieren allein noch nicht viel getan ist, dass das Entscheidende vielmehr der persönliche, fest im Glauben,, stehende und aus dem Glauben handelnde Christ ist.

Deshalb wolltet ihr die Tage in Altoetting und Passau dem religiösen Leben und der inneren Erneuerung weihen. Es sollte'ganz der Katholikentag des Heiligen Jahres, des Jahres der inneren Einkehr, des- Gebets und der Busse sein. Wir loben euren Entschluss und möchten zu dessen Förderung euch drei Erwägungen ans Herz legen :

1) Ihr könnt *das Los, das euer Vaterland getroffen* •— Wir denken in erster Linie an die Millionen der Ostvertriebenen, wenn auch nicht an sie allein — seelisch nicht meistern, wenn ihr es nicht schaut in gläubigem Aufblick zur göttlichen Vorsehung. Was in den verflossenen Jahrzehnten, vor allem im letzt verflossenen vor sich gegangen, ist, hoch über allen, wenn auch noch so sehr Antwort heischenden Fragen von Recht und Gerechtigkeit, eine jener Heimsuchungen Gottes, eine jener Abrechnungen, die auf die Geschichte und die Verstrickungen, auch die schuld-

beladenen, ganzer Jahrhunderte zurückgreifen. Tragt euer Los in demütiger Hinnahme. Gebt ihm ein christliches Gepräge, indem ihr jenes Los von Gott entgegennehmt als Sühne, wenn nicht für eigene Schuld, so für die schwere, in ihren Auswirkungen erschütternd unheilschwangere Schuld anderer des eigenen Volks und fremder Völker. Bleibt aber auch dabei nicht stehen. Schicksalswendungen solchen Ausmasses sind, ganz unabhängig von dem Auf und Ab der weltlichen Geschichte eines Volks, immer Heimsuchungen Gottes im eigentlichen Sinn des Wortes, also Zeiten weitgespannter Möglichkeiten für das Eeich Gottes, Zeiten stärksten Anrufs der Wahrheit und Gnade an alle Kinder und Schichten des Volks, aber nicht ohne euer Zutun und euer Mitwirken, geliebte Söhne und Töchter. Und der Kern, die innere Kraft eures Mitwirkens möge die bereitwillige Hinnahme eures Loses sein, wie es der Herrgott gefügt hat und wie er es fügen wird, als Sühne, als Busse, als Opfer, aus dem, in Vereinigung mit dem Opfer Jesus Christi, eurem Volk und anderen Völern Erbarmen, Segen und Heil werden möge, vielleicht auf Wegen, die euch augenblicklich unausdenkbar sind, die aber immer zum Guten führen werden ; denn « die Gesamtheit dessen, was Gott geschaffen hat, lenkt und leitet Er durch seine Vorsehung, "vom einen Ende zum anderen alles machtvoll erfassend und aufs beste anordnend. Liegt doch alles bloss und offen vor seinen Augen auch die zukünftigen freien Handlungen seiner Geschöpfe ». [1]

2) Ihr habt auf das Programm eurer Tagung *denKampf gegen den Materialismus* gesetzt. Der Materialismus ist fortschreitendes Abwerten und Absetzen des Übersinnlichen und Überirdischen, Geistigen und Religiösen bis zur ausgesprochenen Gottlosigkeit ; er lässt nur gelten was das Experiment, die Erfahrung der Sinne bestätigt, was mit Mass, Zahl und Gewicht erfassbar ist. Die unerhörten, sich überstürzenden Entdeckungen der Naturwissenschaften, die in Wahrheit ebensoviele Offenbarungen Gottes sind, und die Fortschritte der Technik missbraucht der Materialismus, um die Menschen zu blenden, dass sie das Uebersinnliche, Uebernatürliche und Ewige daneben übersehen und vergessen, und er erfüllt sich im Kult des « Stoffes », des Leibes und der Leibeskraft, des Geldes und der Macht. Kaum eine Zeit hat so wie die gegenwärtige das Wort der Schrift wahr gemacht, dass alles in der Welt « Fleischeslust, Augenlust und Hoff art des Lebens » ist. [2] Die organisierte und in der Rüstung politischer Macht einherschreitende Gottlosigkeit wäre weniger gefährlich, wenn sie nicht als Rückhalt und Zu-

[1] *Conc. Vat.*, Sess. III, e. 1; Denz. 17S4. Cfr. *Sap.*, S, 1; *Hebr..*, 4, 33.

[2] *1 Io., 2,* 16.

kunftshofrnung alle die vielen für sich buchen könnte, die, ohne sich *zu* ihr zu bekennen, ja vielleicht vermeinend, noch gläubige Menschen und Christen zu sein, in der Wirklichkeit des Alltags ganz so leben, als ob es keinen Herrgott gäbe.

Einen Damm gegen den Materialismus zu bilden ist Aufgabe der Katholiken auf der ganzen Welt. Diese Aufgabe ist nicht hoffnungslos. Die Katholiken zählen gleichfalls nach Hunderten von Millionen und stellen auch eine Macht dar. Es ist nicht wahr und kann lediglich aus einseitiger zu eng begrenzter Erfahrung erklärt werden, was vor kurzem geäussert wurde, dass nämlich die Katholiken nur noch zu einer nicht bedeutenden Minderheit mit innerer Freude ihrem Glauben anhangen. Die Erfahrung der Weltkirche ist eine andere. Und mit den Katholiken steht, Wir wagen es zu sagen, immer noch auf Seiten Gottes die Mehrzahl der Menschen. Es gibt Länder, die gleichfalls nach Hunderten von Millionen zählen und deren Volk vor allem Religiösen eine Ehrfurcht hat, dass sie selbst manchen Katholiken beschämen könnte. « Gott ist der Herr auch unserer Zeit ».

Wenn wir an die Christen der ersten Jahrhunderte denken, so ist der Kampf gegen den Materialismus, vielleicht wie keine der Kirche inzwischen gewordene Aufgabe, jener vergleichbar, vor die sie sich gestellt sahen : die alte heidnische Weltanschauung und Lebensordnung zu überwinden. Wie damals verlangt ein solcher Kampf den vollen Einsatz des katholischen Menschen, den geistigen und sittlichen.

Den geistigen : Nur solche, die den katholischen Glauben wirklich erfasst haben und seine Kenntnis dem Grad ihrer intellektuellen Reife entsprechend immer wieder vertiefen, denen der Glaube also persönliches Eigentum geworden ist, werden unter euren Verhältnissen sich und andere vor der Ansteckung durch den Religionsschwund bewahren. Das katholische Deutschland konnte sich seinerzeit der zuverlässigen religiösen Schulung rühmen, die es seinen Söhnen und Töchtern mit auf den Weg ins Leben gab. Lasst dies auch heute euren Stolz sein. Beachtet dabei ein Doppeltes : Haltet euch in dem, was ihr über die Welt des Religiösen sagt und schreibt, immer auf dem Weg, der durch die sichere katholische Glaubenslehre abgegrenzt wird. Nur so seid ihr geschützt vor Verirrung und vor dem Absturz in die Tiefe. Was sodann Glaube und Wissen angeht, ist erkenntnismässig ein Widerspruch zwischen ihnen innerlich unmöglich. Die damit aufgeworfenen Fragen hat die katholische Wissenschaft eingehend behandelt und wird sie weiter eingehend behandeln. Nur sollen dann auch ihre Ergebnisse Gemeingut der Gläubigen, besonders jener der führenden Berufe werden. Alle,

welche die Jugend in die Glaubenswahrheiten einführen; diejenigen, welche die zukünftigen Priester und führenden Laien ausbilden; die Priester, die das Wort Gottes verkünden; endlich die Männer und Frauen des gesamten katholischen Schrifttums erinnern Wir eindringlich an die überaus schwere Verantwortung, die ihnen heute der Beruf der Glaubensverkündigung auferlegt.

Der Kampf gegen den Materialismus fordert den sittlichen Einsatz des katholischen Menschen. In den Schlusskapiteln seiner Briefe, da wo der Völkerapostel von der Praxis des christlichen Lebens spricht, stellt er an den gewöhnlichen Gläubigen Anforderungen, die für Heilige bemessen scheinen. Aber nicht allein die Grösse der damals zu meisternden Aufgabe, schon das « Christ sein » an sich verlangte eine solche Höhe des sittlichen Strebens. Das galt immer; nur hat der Kampf gegen den Materialismus die Gläubigen von heute besonders hellsichtig dafür gemacht. Ein jeder fühlt, dass er den Materialismus erst einmal in sich selber überwinden muss. In seinen Grundsätzen und in seinem Handeln, am Tag des Herrn wie im Alltag, im häuslichen Kreis wie im Beruf, allein wie in der Gemeinschaft und im öffentlichen Leben, ob ledig oder in der Ehe, in Vergnügen und Sport, beim Griff zur Presse, zur Illustrierten und zum Buch, beim Besuch der Bühne und des Films, immer und überall steht der Katholik unter dem Gebot Gottes und dem Gesetz Christi. Niemand kann ihn davon entbinden. Der Gegensatz gegen den Materialismus hat im Christen das Bewusstsein geschärft, dass Gott im Mittelpunkt alles Seins steht, Gott, der einzig unbedingte Wert, an dem alles Geschaffene zu messen ist. Wo der Christ dies unterlässt, hat er sich schon auf die Seite des Gegners gestellt.

Christ sein verlangt also gebieterisch Tugend und Opfer. Es hat sie immer verlangt, es verlangt sie aber heute ganz besonders und nicht selten heroische Tugend und heroische Opfer. Wer den Kampf gegen den Materialismus aufnehmen will, darf vor dieser Tatsache, dieser Folgerung nicht einen Augenblick zurückschrecken.

3) Ihr habt, geliebte Söhne und Töchter, den diesjährigen Katholikentag eingetaucht in die begnadigende Atmosphäre des *Gebetes.* Ihr habt gut daran getan. Denn wenn das, was heute vom katholischen Menschen verlangt wird, fast übermenschlich erscheint — das Gebetsleben gibt die Kraft, es zu meistern.

Die deutschen Katholiken haben sich immer ausgezeichnet durch Organisation und Leistung auf den verschiedensten Gebieten des kirchlichen Lebens. Mögen sie sich ebenso auszeichnen als ein Volk von Betern.

Wir rufen den Priestern zu : Betet. Betet mehr. Seid euren Gläubigen das Vorbild frommer Beter!

Wir rufen den Familien in Stadt und Land zu : Pflegt nach Vätersitte das Gebet im häuslichen Kreis! Es bringt Segen, stärkt den Glauben, schafft Gottesfurcht und Gottvertrauen, gegenseitige Ehrfurcht und Liebe und Starkmut in schweren Tagen.

Wir rufen eurer Jugend zu : Lernt beten — nicht nur in der Gemeinschaft, sondern ebenso jeder und jede für sich, damit ihr auch auf euch selbst gestellt in der Gefahr zu bestehen vermögt und auf jeden Ruf Gottes bereit seid.

Wir rufen den katholischen Arbeitgebern und Arbeitnehmern zu : Tragt die Fragen und Schwierigkeiten, die zwischen euch liegen, auch im Gebet aus. Wir wissen, wie verwickelt die Verhältnisse oft liegen und wie schwer Lösungen zu finden sind. Aber Programme, Gesetze und Schiedssprüche allein schaffen überhaupt noch nicht den sozialen Frieden. Selbst hervorragende Arbeiterführer in anderen Lagern gestehen, dass er letztlich nur werden kann aus christlichem Geist und christlicher Liebe der Beteiligten auf beiden Seiten. Betet viel um diesen Geist und diese Liebe!

Euch allen rufen Wir zu : Hebt die Herzen und Hände zu Gott empor! Die Zukunft ist unsicher und dunkel. Betet, dass Gott in gnadenvoller Vorsehung alles zum Besten lenke.

Ihr habt eure Tagung unter den Schutz der *Mutter Gottes von Altoetting* gestellt.' Im segensvollen Zeichen ihres Gnadenbilds entfalten sich eure Beratungen am Gnadenort selbst und vollziehen sich eure Kundgebungen in Passau. In wehmütig froher Erinnerung gedenken *Wir* der Stunden, da Wir selbst am Altoettinger Gnadenaltar das hl. Opfer darbrachten und uns erbauten an der Inbrunst, mit der die foramen Pilger Maria ihre Hingabe erzeigten und ihre Bitten vortrugen. Drei kostbare Güter haben Deutschlands Katholiken die Jahrhunderte hindurch besonders treu gehütet und gepflegt : den tiefen Glauben an das Heiligste Sakrament des Altars, die innige Verehrung der Gottesmutter und die lebendige Verbindung mit dem Stellvertreter Christi auf Erden, die jetzt im Heiligen Jahr wieder so selbstverständlichen Ausdruck gefunden hat. Mögen eure Priester sich der hohen Verantwortung bewusst bleiben, diese drei Quellen religiöser Kraft ihren Gläubigen in voller Reinheit und Stärke zu erhalten.

Als Unterpfand dessen erteilen Wir, den ganzen Reichtum der Gnade Jesu Christi und der mütterlichen Liebe Marias auf euch herabflehend, den in Passau anwesenden Oberhirten, Unseren Ehrwürdigen Brüdern,

dem Klerus und den Gläubigen, allen Unseren Söhnen und Töchtern in deutschen Landen und eurem ganzen Volk aus der Fülle des Herzens den Apostolischen Segen.

Den 16. August 1950.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

Ad eos qui interfuerunt tertio Thomistico internationali Conventui, Romae habito. *

Singulari animi erga vos affectu, nescientes, utrum maiore aestimat tfone an maiore studio, cum et aestimatione et studio perquam digni sitis, excipimus et salutamus vos, qui tertium Thomisticum ex universis nationibus acturi Conventum, Romam confluxistis. Magni momenti et instans causa vos coegit : de coniunctionibus enim tractastis, quae inter catholicam fidem et rectam rationem, inter hodiernam philosophiam et christianam religionem intercedunt.

Quo super argumento Encyclicas Litteras *Eumani generis* scitis nuper a Nobis editas esse. Piae vobis disputan ti bus et edisserentibus tutum iter annuerunt, praelucente veluti radiantissimo sole Sancti Thomae Aquinatis doctrina, Sancti Thomae, inquimus, a quo Academia vestra nominis decus mutuatur et sumit.

Profecto philosophia perennis immensae molis opus, est, ad quod exstruendum a providentissimo Dei numine excitata, per saeculorum decursum lectissima ingenia, ños sapientiae, elaborarunt; eademque,, perpetua pollens iuventa, nunc quoque robusta virescit et variarum disciplinarum incrementis semper patet et prodest, sive cum res physicae altius sunt indagandae, sive cum rerum gestarum memoria considera-tas est tradenda, sive cum critica methodus accuratius instruenda est,

At vero inter omnes scholasticae philosophiae cultores Sancto Thomae incomparabilis palma reservatur : ipseque principem occupat locum. Veritatis unice amator, is quanta reverentia, quam quidem veritas poscit, res penitus intelligendas considerat, facta rimatur, litteras et documenta, e quibus acta dictaque exploran tur, investigat! Quam apta est ipsi in disquisitionibus partium dispositio, quam firmum ar-

* Habita die 17 Septembris mensis a. 1Ô50.

gumentorum robur et lucida dicendi proprietas! Victrici fortitudine, quam mentis celsitas parit, ad conclusiones progreditur; metaphysica principia, quae sunt omnibus aetatibus commune christianae sapientiae patrimonium, usque ad extrema consectaria placide et tuto enucleando deducit.

Hoc sane indubium : quantum caelum supereminet terras, tantum Divinae Revelationis vera supergrediuntur humanae mentis vires : illa his celsiora sunt, at minime quidem adversantur et repugnant; supra sunt, non contra. Sanctus Thomas autem mira quadam alacritate hominis intelligentiam, nimio illo fulgore quasi haesitantem et suspensam, in templum mysteriorum Dei introducit, et argumentationis arte quaestiones exsolvens, efficit, ut inter se divinarum et humanarum rerum convenientia resplendeat et appareat. Nunc quoque quam acris ardeat certatio in stabiliendis rationibus, quae inter fidem et humano lumine haustas doctrinas mutuae sunt, supra memoratae Nostrae Encyclicae Litterae demonstrant, quas quidem hoc consilio et proposito ducti edidimus, ut catholicae fidei depositum integrum, illaesum et indemne servetur. Quas Nos illic attigimus quaestiones, inter vos ac postea studiosae iuventuti, cui vacatis, pertractate, nullo non tempore obtemperantes afflatu!, quo Angelicus Doctor vera perdidicit, summo nempe nisu intelligentiae ac religiosa pietate. Pertractate, eius methodo insistentes, qua semper is sententiarum continentiam et limites definit, sine inutili verborum efficientia, sed sobrio et solido sermone, illa claritate perspicuus, qua tum ipse tum scholasticae philosophiae doctores aurea sua aetate enituerunt atque Ecclesiam et scientiarum fines suo lumine collustrarunt.

Hoc strenui tacite et de catholico nomine praeclarorum promeritorum serta colligetis. Copiosae demum messis pignus, Apostolicam Benedictionem paramanter in Domino impertimus universis, qui philosophico vestro Conventui praefuerunt vel adfuerunt, et Academiae a S. Thoma moderatoribus et sodalibus: Deus auctor luminis et "pacis sit vobiscum.

II

Ad docentes et alumnos Universitatum Studiorum et Scholarum e Gallia Romam peregrinantes. *

En vous souhaitant la bienvenue, chers fils des Instituts catholiques de France, venus célébrer ici l'Année Sainte, Nous saluons aussi avec une profonde émotion et une ardente fierté les trois quarts de siècle

* Habita die 21 Septembris a. 1950.

de votre vaillante histoire. Emotion et fierté, oui, car c'est une histoire de grands sacrifices, de grands dévouements, qui s'est déroulée à travers tant de vicissitudes, tour à tour brillantes et sombres, toujours laborieuses.

Or, il ne serait pas raisonnable de dépenser son bien, sa peine, sa vie, au service d'une cause superflue ou insignifiante. Ce qui a été fait par vous et par la génération précédente suppose la conviction qu'un intérêt capital est engagé. Lequel?

Grâce à Dieu, il ne s'agit plus guère, comme à la fin du siècle dernier et au début de celui-ci, d'une polémique de défense ou de contre-offensive. Nous-mêmes avons eu maintes fois l'occasion de recevoir et de haranguer d'illustres représentants du monde intellectuel, ceux notamment des grandes universités, qui Nous ont apporté le témoignage de leur déférence et de leur droite volonté.

Quel est donc, actuellement, la raison d'être des Instituts catholiques, leur opportunité, sur laquelle, même dans les meilleurs milieux, on semble élever parfois quelque doute? On pourrait d'abord voir une question de dignité pour l'Eglise dans le maintien de l'œuvre plus que millénaire, qui lui doit sa naissance, ses développements, son extraordinaire et féconde influence. Mais une pure considération de dignité, de tradition historique vénérable, suffit-elle à justifier, à expliquer une pareille dépense d'argent et d'efforts? H en est une autre, à Notre avis, plus importante et plus vitale. La permanente actualité d'Instituts ou Universités catholiques réside dans l'utilité, le besoin de constituer un corps de doctrine, ordonné, solide, de créer toute une ambiance de culture spécifiquement catholique. Un enseignement, même irréprochable, dans toutes les branches du savoir, complété aussi par l'annexion à côté de lui d'une instruction religieuse supérieure, ne suffit pas. Toutes les sciences ont, directement ou indirectement, quelque rapport avec la religion, non seulement la théologie, la philosophie, l'histoire,[4] la littérature, mais encore les autres sciences : juridiques, médicales, physiques, naturelles, cosmologiques, paléontologiques, philologiques. A supposer qu'elles n'inclueraient aucune relation positive aux questions dogmatiques et morales, elles risqueraient néanmoins souvent de se trouver en contradiction avec elles. Il faut donc, même si l'enseignement ne touche pas directement à la vérité et à la conscience religieuse, que l'enseignant, lui, soit tout imbu de religion, de la religion catholique.

Ce n'est pas tout. Des circonstances tout à fait extrinsèques ont fait .substituer en certains pays d'autres noms à celui d'Universités catholi-

ques. Le nom seul a pu disparaître; le caractère demeure et doit demeurer. Université rie dit pas seulement juxtaposition de facultés étrangères les unes aux autres, mais synthèse de tous les objets du savoir. Aucun d'eux n'est séparé des autres par une cloison étanche; tous doivent converger vers l'unité du champ intellectuel intégral. Et les progrès modernes, les spécialisations toujours plus poussées, rendent cette synthèse plus nécessaire que jamais. Autrement, le risque est grand de l'alternative entre l'excès d'indépendance, l'isolement de cette spécialisation au détriment de la culture et de la valeur générales et, d'autre part, le développement d'une formation générale, plus superficielle que profonde, au détriment de la précision, de l'exactitude, de la compétence propre. Réaliser cette synthèse elle-même, dans toute la mesure du possible, est la tâche de l'Université, la réaliser jusqu'à son nœud central, jusqu'à la clef de voûte de l'édifice, au-dessus même de tout l'ordre naturel, est la tâche d'une Université catholique.

Si les vicissitudes des temps en ont paralysé ou ralenti l'exécution, du moins l'effort est loin d'avoir été stérile. Vos Instituts catholiques de France peuvent être fiers de leur Livre d'or. Sans parler des maîtres éminents en toutes les sciences, professeurs, écrivains, inventeurs, initiateurs, dont les noms sont parmi les plus illustres de l'histoire contemporaine, quelle phalange d'hommes, aussi remarquables par leur valeur professionnelle que par leur foi et leur vie chrétienne, ont été* fournis par eux à l'Eglise et à la société!

Poursuivez donc votre route, très chers fils, le regard fixé sur l'idéal que, hommes de sciences et hommes de foi, vous avez choisi pour votre étoile. Marchez dans sa lumière; elle brille au ciel, indéf eetiblement ; si jamais elle venait à pâlir à vos yeux, vous connaissez le guide, à qui le Christ vous a confiés. Et c'est pour vous aider à avancer d'un pas ferme dans sa clarté, que Nous avons donné Notre toute récente Encyclique ((*Huma/ni generis* ». Etudiez-la ; soyez activement dociles à ses enseignements; faites-les passer en acte. Faites-le aivec ce courage, dont vous ont donné l'exemple, à tous les âges de l'Eglise, les plus célèbres parmi les savants, les penseurs et les chefs. Ni les surprises ménagées par les découvertes de la science, ni les tâches d'actualité ne furent jamais pour les déconcerter même un seul instant. Forts de la conviction que, entre la science et la foi, entre les conclusions définitives de celle-là et les dogmes de celle-ci, aucune contradiction, aucune opposition irréductible n'est possible, ils vivaient dans l'assurance sereine que la foi catholique, sans maquillage et sans réticence, reste toujours,

au temps présent comme aux temps des Apôtres, l'arche du salut. Telle doit-elle être dans la pensée et dans le sentiment de l'humanité.

Qu'aucun effort ne vous décourage, qu'aucune incompréhension ne vous intimide, ni ne vous lasse ; vous avez pour vous l'assistance divine, en gage de laquelle Nous vous donnons, à vous tous, à vos Instituts, à vos collègues, à vos disciples, à tous ceux qui vous sont chers, Notre Bénédiction Apostolique.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DECRETUM

PROSCRIPTIS LIBRI

Feria IV, die ***W*** *Septembris 1950*

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur :

IOSEPH KLEIN, *Grundlegung und Grenzen des kanonischen Rechts* (Tübingen, 1947).

Et die dominica, 24 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exorno D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 2 Octobris 1950.

MARINUS MARANI, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

BRISBANES. - TOOWOOMBAEN.

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

Excfîtus Dnus Ordinarius Toowoombaensis, plene assentiente Exmo Ordinario Brisbanensi, preces obtulit ad hanc Sacram Congregationem de Propaganda Fide ut, in fidelium bonum, pars territorii Archidioecesis Brisbanensis aggregaretur Dioecesi Toowoombaensi et proinde fines hoc modo immutarentur ut limites a fontibus fluminis vulgo vocati Ma Ma Heifer Creek, relinquant fastigia Montium qui appellantur Magni Dividentes, vulgo Great Divi ding Range, et sequantur cursum supradicti fluminis usque ad confluentem eiusdem fluminis Ma Ma Heifer et fluminis Lockyer Creek. Ex illo loco limites linea recta versus septentriones, superato cacumine Montis Perseverantiae, sequantur lineam meridianam 152° 104' longitudinis occidentalis usque ad punctum quo intercidit cum linea parallela 27° latitudinis meridionalis et postea eandem lineam usque ad Montes quibus nomen Blackbutt Range, quorum montium fastigia superando iterum tangant Magnos Dividentes Montes, scilicet Great Dividing Range et sequantur antiquos fines.

Porro haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide, rei opportunitate perpensa, de mandato Ssmi D. N. Div. Prov. Papae XII, vigore scilicet facultatum ab Eodem Ssmo Domino Nostro sibi specialiter concessarum et per totum annum iubilarem 1950 valiturarum, praesenti Decreto statuit ut praefata pars territorii, cum clero et fidelibus ibi legitime exsistentibus, ab Archidioecesi Brisbanensi dismembretur et Dioecesi Toowoombaensi perpetuo incorporetur, mutatis hac ratione finibus utriusque Dioecesis.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 5 mensis Maii anno Domini 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. *Cß* S..

f Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ROMANA SEU ANAGNINA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE DE MATTIAS, FUNDATRICIS SORORUM ADORATRICUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Venerabilis Beatificationem.*

Viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno... et cantabant dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signaculo• eius: quoniam occisus es et redemisti nos Deo in sanguine tuo cœ omni tribu et lingua et populo et natione et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes et regnabinrms super terram (Ap., 5, 8-10).

Divina haec verba Beati Gasparis Del Bufalo cor adeo adusserunt, ut nunquam a divini sanguinis virtute praedicanda se abstinuerit; uberrima animorum segete inde collecta.

Lectissimus huius apostolatus fructus merito Venerabilis Maria De Mattias est censenda, quae, divinae Providentiae inscrutabili consilio, Instituti Sororum ab Adoratione Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. fundatrix facta est.

In hoc constituendo, moderando ac dilatando plurimum Venerabilis Maria adlaboravit, difficultatesque superavit, divini Sanguinis virtuti Beataeque Virginis patrocinio confisa, adeo ut vix post duodecim annos ab eius morte, quae Romae die 20 augusti anno 1866 contigit, Apostolica Sede illud approbaverit.

In hoc exantlando opere insignia virtutum omnium specimina dedit. Quare sanctitatis fama non defervente, canonicis auctoritate ordinaria inquisitionibus peractis, Beatificationis causae die 9 decembris anno 1903 commissio a sa. me. Pio Papa X fuit subsignata ; dein Apostolica auctoritate processibus constructis, servatis de iure servandis, per decretum diei 16 februarii anno 1936, Pio Papa XI approbante, heroicum virtutes attigisse gradum edictum est.

Nec satis. Non enim divinum quoque miraculorum testimonium de-

fuit, die namque 5 martii anni huius, duo miracula eius interventione a Deo patrata fuisse Summi Pontificis auctoritate decretum est.

Hisce praeiactis, ut iuridice omnia, quae ad sollemnem Beatificationem a sacris canonibus requiruntur, servata fuisse constet, necesse est ut in generali S. R. O. coetu coram Summo Pontifice, actorum serie perpensa, dubium discutiatur : *An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum.* Tuto *procedi possit ad sollemnem Venerabilis Servae Dei Beatificationem.* Hoc dubium Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens seu Relator, in generali Congregatione die 8 augusti habita proposuit, cui omnes, quotquot aderant, Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores unanimi affirmativo suffragio responderunt. Beatissimus vero Pater, his attente auscultatis, noluit statim Suum edere iudicium, ut rem coram Deo aliquantisper perpenderet.

Diem hunc selegit ut supremam ferret sententiam. Quapropter Rmos Cardinales Alexandrum Verde et infrascriptum S. R. C. Praefectum, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem, meque Secretarium ad Se advocavit atque sacrosancto Missae Sacrificio religiose celebrato, edixit : Tuto *procedi posse ad sollemnem Venerabilis Mariae De Mattias Beatificationem.*

Hoc autem decretum promulgari, in acta S. R. C. referri nec non Apostolicas Litteras sub anulo Piscatoris de Beatificationis sollemniis in Vaticana Basilica quandocumque celebrandis, expediri mandavit.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die 3 Septembris, Dominica XIV post Pentecosten, Anno Sacro 1950.

£ß C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus*

L. **83** S.

f A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius*

II

MARIANOPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARGARITAE BOURGEOYS, FUNDATRICIS CONGREGATIONIS A DOMINA NOSTRA.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Magnum decus magnamque Trecensis civitas gloriam adepta est, quae natales Venerabili Servae Dei Margaritae Bourgeoys dedit. Haec die decimo septimo aprilis anno 1620 e piis honestisque parentibus orta

eodemque die baptizata, vel ab infantia apostolicum in animorum salutem ingenium ostendit, quod in Canadensi regione, ad quam anno 1653 primo appulit, nova religiosa familia constituta, mirabilius se prodidit, in insula praesertim Marianopolitana, quae tunc silva erat a barbaris magna ex parte crudelibusque sylvicolis habitata, quam ipsa evangelica caritate in civilem humanamque coloniam mutavit, magnae deinde civitatis rudimentum. Meritis onusta die 12 ianuarii anno 1700, Ecclesiae sacramentis sancte acceptis, placidissime animam exhalavit.

Servatis de iure servandis, die 10 decembris anno 1878 Beatificationis causa a Leone XIII fel rec. est introducta; heroicas Servam Dei exercuisse virtutes, ex decreto diei 10 iunii a. 1910, Pio X sa. me. approbante, constat.

Quum caelestia signa non deesse viderentur, duae mirae sanationes ab actoribus Sacrae huic Congregationi exhibitae sunt, ut causa ad Beatificationem posset procedere. Hae sunt :

I. Iosephus Descôteaux a gravissimo gangraenae morbo in parte sinistri pedis fuit attactus. Qui morbus, ut patet, est omnino insanabilis. Has diagnosim ac prognosim non modo officiales periti sed et ipsum nostrae Congregationis medicum Collegium edicunt. Incassum per octo saltem annos medicis remediis cedentibus, plures ingeminatae sunt preces plurium Sanctorum, praesertim S. Ioseph, intercessionem implorantes; demum novendiales preces Venerabili Margaritae pro infirmi sanatione effusae sunt, atque sepulchri eiusdem pulvere aegri pes fuit aspersus. Tum Iosephus insueto calore pedem persentit affectum, a doloribus, quibus iugiter cruciabatur, statim liber evadit, atque somno correptus, ab hora octava postmeridiana ad quintam sequentis diei placide obdormit. Postridie mane expergefactus plagam nova pelle opertam invenit, sanatum se sentit, e lecto surgit, in domo déambulât. Paullatim cetera morbi adiuncta remittunt, caro virescit, ungues renascuntur, pes in pristinum sanitatis statum rursus reducitur.

Miraculo sanationem tribuunt unus ex medentibus superstes, duo ex officio periti, medicum S. R. C. Collegium atque testes in processu excussi.

Mira haec sanatio in oppido Saint-Célestin in comitatu ac Dioecesi Meoletana in Canadensi regione contigit mense augusto a. 1904.

II. Ioannes Ludgerus Lacroix, septuaginta septem annos natus, qui ob arterioscleroticam gangraenam anno 1940 dexteri cruris ampliationem fuerat passus, sequenti anno eodem morbo in sinistro pede fuit tentatus. Noluit amputazioni subici, sed totam fiduciam in Venerabilis Bourgeoys intercessione collocavit.

Quare die 2 ianuarii a. 1942 novendiales preces instituit dieque 10 eiusdem mensis de repente omnino perfecte sanatus est.

Diagnosim et prognosim morbi, nec non supernaturalem actionem duo medentes, duo ex officio periti medicumque nostrae Congregationis Collegium unanimiter confirmant. Mirum hoc factum in oppido Saint-Johnsbury Vermont contigit.

Super his duabus sanationibus apostolica auctoritate in Marianopolitana Archiepiscopali Curia annis 1928 atque 1946 constructi sunt processus, pro quorum iuridica vi diebus 6 augusti 1931 et 4 aprilis 1948 favorabilia edita sunt decreta. Servatis canonicis legibus, duo pro unaquaque sanatione officiales periti electi sunt, qui suam sententiam ferrent.

Hae a cuncto medico Collegio diebus 3 ac 10 martii a. 1949 penitus fuerunt discussae atque unanimiter confirmatae.

Die 24 ianuarii anni huius Praeparatoria habita est Congregatio, quam die 8 augusti Generalis subsecuta est coram Ssmo D. N., in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, Causae Ponens, dubium posuit disceptandum : *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque protulit sententiam. Beatissimus Pater attento animo suffragia auscultavit, Suam vero ferre sententiam ad hunc usque diem distulit, ut Suis adstantiumque precibus maiori a Deo lumine illustraretur.

Quapropter Rmis Cardinalibus Alexandro Verde, Causae Ponente, ac infrascripto, S. R. C. Praefecto, nec non R. P. Salvatore Natucei, Fidei generali Promotore meque Secretario arcessitis, divina Hostia religiosissime litata, sententiam hanc tulit: *Constare de duobus miraculis a Deo, Venerabili Margarita Bourgeoys intercedente, patratis,* nempe: *Constare de instantánea perfectaque sanatione cum Iosephi Descôteaux a gravissimo gangraenoso morbo in sinistro pede, tum Ioannis Ludgeri Lacroix a gravissima gangraena in laevo pede.*

Hoc autem decretum rite promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die 3 Septembris, Dominica XIV post Pentecosten, Anno Sacro 1950.

£g C. Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus*

L. !${ S.

t A. Carinci, Archiep. Seleuc, *Secretarius*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

BUFFALEN.

NULLITATIS MATRIMONII (DRAGO-PRIVITERA)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Iosephi Privitera, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Romae, Palazzo della Cancelleria) die 23 Ianuarii 1951, hora 11, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An constet de nullitate matrimonii, in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Iosephi Privitera curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Augustus Fidecicchi, *Ponens.*

Ex Cancelleria Tribunalis S. R. Rotae die 11 Octobris 1950.

Ovidius Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Ioseph Privitera, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 23 Janvier 1951, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans la cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Ioseph Privitera devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (SANTI - MATTIOLI)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dñi Sebastiani Mattioli, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Romae, Palazzo della Cancelleria) die 15 Decembris 1950, hora undecima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione.

An sententia Rotalis diei 2 maii 1950 confirmanda vel infirmanda sit in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti domini Sebastiani Mattioli curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur. *

Henricus Caiazzo, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die **14** Octobris 1950.

Ovidius Bejan, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de M. Sebastien Mattioli, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 15 décembre 1950, à 11 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devante la Rote.

Doit-on confirmer ou casser la sentence Rotale du 2 mai 1950 dans cette cause?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Sebastien Mattioli devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Sainto Padre Pio MI, felicemente regnante, si è degnato di nominare :

6	ottobre	1950.	S. E. Revma Monsig. Di Jorio Alberto, Pillino e Revmo Monsig. Serafini Alberto e il Revmo Padre Bidagor Raimondo, *Consultori della Sacra Congregazione del Concilio.*
13	»	»	L'Illmo e Revmo Monsig. Fontenelle Renato, *Ministro della Cappella Pontificia.*

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire :

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

20	agosto	1948.	Al sig. Abdullah Khosrovi (Iran).
»	»	»	Al sig. Adle Tabatabaï (Iran).
22	maggio	1949.	Al sig. Doehling Ernesto, della diocesi di Würzburg.
12	ottobre		AL sig. Piccotti Giovanni, dell'arcidiocesi di Pisa.
20	»	»	Al sig. Marino Luigi Saverio, dell'arcidiocesi di Bogota.
12	dicembre		Al sig. Nicolini Marco, dell'arcidiocesi di Lima.
»	»	»	Al sig. Wiese Augusto,, della medesima arcidiocesi.
»	»	»	Al sig. Wiese Fernando, della medesima arcidiocesi.
10	febbraio	1950.	Al sig. Bocca Alessandro (Roma).
»		»	Al sig. Cornaro Vittorio (Roma).
»		»	Al sig. Gattamelata Felice (Roma).
»	»	»	Al sig. Guidi Francesco (Roma).
25	»	»	Al sig. Brillant Giulio A., dell'arcidiocesi di S. Germano di Rimouski.
»		»	Al •sig. Toutoungi Giuseppe, del patriarcato di Antiochia dei Melchiti.
o	marzo	»	Al sig. Bustamante Perez Carlo, dell'arcidiocesi di Quito.
25	»		Al sig. Lodolo D'Oria Alessandro (Roma).

6	aprile	1950.	Al sig. Mazzitelli Antonio, dell'arcidiocesi di Reggio Calabria.
»	»	»	Al sig. Malin verno Franco, dell'arcidiocesi di Milano.
17	»	»	Al sig. Mennini Luigi (Roma).
24	»	»	Al sig. Carlesi Alfonso, della diocesi di Prato.
21	»		Al sig. McShain Giovanni, dell'arcidiocesi di Filadelfia.
»		»	Al sig. McGranery Giacomo, della medesima arcidiocesi.
»		»	Al sig. Santoro Guglielmo, dell'arcidiocesi di Boston.
5	maggio		Al sig. Bevilacqua Giuseppe, dell'arcidiocesi di Genova.
10	»		Al sig. Ferrari Giovanni, della diocesi di Novara.
»	»	»	Al sig. Di Gregorio Giuseppe, della diocesi di Caltagirone.
12			Al sig. Gallina Amedeo, della diocesi di Treviso.
17	»	»	Al sig. Pierini Piero, dell'arcidiocesi di Milano.
18		»	Al sig. Moraschi Aldo, della diocesi di Alessandria.
27	»		Al sig. McConville Giuseppe,, dell'arcidiocesi di Nuova York.
»	»		Al sig. Amici Enrico (Roma).
»			Al sig. Ermini Giovanni (Roma).
»	»	»	Al sig. Paris Luigi (Roma).
»			Al sig. Costarelli Francesco, dell'arcidiocesi di Catania.
16	giugno	»	Al sig. Scalla Luigi, dell'arcidiocesi di Monreale.
»	»	»	Al sig. Valenti Onofrio, della medesima arcidiocesi.
22		»	Al sig. Calton Giovanni Beda, della diocesi di Lismore (Australia).
	»	»	Al sig. Glynn Aroldo Marco, della medesima diocesi.
	»		Al sig. McDermott Guglielmo Francesco, della medesima diocesi.
24	»	»	Al sig. Borromeo Giberto, dell'arcidiocesi di Milano.
»	»		Al sig. Salmi Mario, della diocesi di Arezzo.
30			Al sig. conte Balladore Palleri Cesare (Roma).
»			Al sig. Negri Lamberto (Roma).
21	luglio		Al sig. Perez Giacomo, dell'arcidiocesi di Caracas.
»			Al sig. Borri Silvio (Roma).
24			Al sig. Fasolino Giuseppe (Roma).

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe militare:

20	giugno	1950.	Al sig. Herzog Lorenzo, ten. col. della Guardia Palatina d'Onore di Sua Santità.

Il Cavalierato dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

20	gennaio	1950.	Al sig. Carassero Gaudenzio, della diocesi di Casale Monferrato.

2	aprile	1950.	Al sig. Ficoneri Astorre (Roma).
6	maggio	»	Al sig. Brena Tommaso, dell'arcidiocesi di Montevideo.
»	»	»	Al sig. Regules Dardo, della medesima arcidiocesi.
»		»	Al sig. Zorrilla de San Martin Ignazio, della medesima arcidiocesi.
	giugno		Al sig. Cerioli Francesco, della diocesi di Cremona.
16	»		Al sig. Salvo Felice, della diocesi di Ventimiglia.
»			Al sig. Frediani Enrico, della diocesi di S. Miniato.
4	luglio		Al sig. Fornasini Leo, della diocesi di Mantova.
»	»		Al sig. Catti Pietro (Roma).
6	agosto		Al sig. Siri Carlo A., dell'arcidiocesi di S. Salvador.

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

28	aprile	1948.	Al sig. Eichenlaub Ottone, della diocesi di Magonza.
»	»	»	Al sig. Schmid Giuseppe, della medesima diocesi.
18	gennaio	1949.	Al sig. Brenha da Fontoura Abilio, dell'arcidiocesi di S."Paolo del Brasile.
22	maggio	»	Al sig. Pattloch Paolo, della diocesi di Würzburg.
		»	Al sig. Mai Giuseppe, della medesima diocesi.
25	giugno	»	Al sig. Ruby Giuseppe, dell'arcidiocesi di Friburgo in Brisgovia.
10	febbraio	1950.	Al sig. Seganti Guglielmo (Roma).
7	marzo	»	Al sig. Thompson Federico Riccardo, dell'arcidiocesi di Sidney.
17	marzo	»	Al sig. Leo Raffaele, della diocesi di S. Marco e Bisignano.
	»	»	Al sig. Blasimme Federico (Roma).
»	»	»	Al sig. Cenciarelli Alfredo, dell'arcidiocesi di Milano.
»	»	»	Al sig. Reguitti Silvio, della diocesi di Brescia.
21	»	»	Al sig. Filippetti Giovanni, della diocesi di Acqui.
31	»	»	Al sig. Rizzuti Antonio, dell'arcidiocesi di Rossano.
4	aprile	»	Al sig. Masdea Alfredo (Roma).
6	»	»	Al sig. Gagliardi Raffaele, della diocesi di Cerreto Sannita.
»	»	»	Al sig. Massa Paolo Emilio (Roma).
17	»	»	Al sig. Adami Casimiro, della diocesi di Verona.
»		» ,	Al sig. Ulisse Giuseppe, del'arcidiocesi di Ancona.
	»	»	Al sig. Bosman Carlo (Roma).
21	»	»	Al sig. Frazier Pryor Samuele, dell'arcidiocesi di Filadelfia.
24		»	Al sig. Gabellini Alessandro, dell'arcidiocesi di Fermo.
-»	»	»	Al sig. Pappalardo Concetto, dell'arcidiocesi di Catania.
30	»	»	Al sig. Salata Giovanni, della diocesi di Tortona.

5	maggio	1950.	Al sig. Campobasso Giuseppe, dell'arcidiocesi di Bari.
8	»	»	Al sig. Silvagni Mario (Roma).
10	»		Al sig. Airoldi Benigno, della diocesi di Novara.
»	»		Al sig. Barbano Giovanni, della medesima diocesi.
»		»	Al sig. Flury Placido, della medesima diocesi.
	»		Al sig. Lombardi Renato, della medesima diocesi.
»			Al sig. Manfredi Arnaldo, della medesima diocesi.
»	»		Al sig. Padelli Vincenzo, della diocesi di Campagna.
12			Al sig. Vanini Abramo, della diocesi di Treviso.
17	»	»	Al sig. Micheloni Placido (Roma).
27			Al sig. Tambutto Daniele, della diocesi di Tortona.
7	giugno		Al sig. Ferdinando Rossi, dell'arcidiocesi di Genova.
13		»	Al sig. Sabetti Giovanni (Roma).
»	»		Al sig. Jachetti Domenico, della diocesi di La Spezia.
			Al sig. Vaccari Benito, della medesima diocesi.
	»		Al sig. Vaccari Eugenio, della medesima diocesi.
		»	Al sig. Vaccari Federico, della medesima diocesi.
»		»	Al sig. Vaccari Mario, della medesima diocesi.
	»	»	Al sig. Santambrogio Mario, dell'arcidiocesi di Milano.
16			Al sig. Banchi Giuseppe (Roma).
»			Al sig. La Rosa Antonio, dell'arcidiocesi di Monreale.
22		»	Al sig. dott. Myen Tjyang Giovanni, del vicariato apostolico di Seul.
27		»	Al sig. Vento Cono (Roma).
»	»		Al sig. De Gregorio Luciano, della diocesi di Agrigento.
30		»	Al sig. Conte Giuseppe (Roma).
»	»	»	Al sig. Forni Giovanni (Roma).
»			Al sig. Loy Ballerò Antonio (Roma).
»			Al sig. Marchei Ettore (Roma).
	»		Al sig. Monticelli Giuseppe (Roma).
			Al sig. Lozzi Romolo (Roma).
»			Al sig. Negri Giovanni (Roma).
4	luglio	»	Al sig. Michele Brusasca, dell'arcidiocesi di Milano.
16	»	»	Al sig. Rovesci Antonio, della diocesi di Matelica.
26	»	»	Al sig. Ortolani Giovanni, della diocesi di Imola.
21	»		Al sig. Pasini Angelo, della diocesi di Rimini.

Al Cavalierato dell'Ordine di San Silvestro Papa :

25	gennaio	1950.	Al sig. Rho Angelo, dell'arcidiocesi di Milano.
17	marzo		Al sig. Cucchiani Cesare, dell'arcidiocesi di Milano.
»			Al sig. Canella Carlo, della diocesi di Feltre.
»	»	»	Al sig. Reale Giuseppe, della diocesi di Policastro.
»	»		Al sig. Tolve Luigi, della diocesi di Pesaro.

17	marzo	1950.	Al sig. Cecchi Gino, dell'arcidiocesi di Siena.
25			Al sig. Gazzella Giulio (Roma).
31	»		Al sig. Canepa Faliero, dell'arcidiocesi di Ancona.
2	aprile	»	Al sig. Toppino Alessandro, della diocesi di Alba.
»		»	Al sig. Mutawonga Pietro, del vicariato apostolico di Masaka.
		»	Al sig. Mwanje Giuseppe, del medesimo vicariato apostolico.
G	»		Al sig. Ruvolo Giuseppe (Roma).
			Al sig. Biava Osvaldo, dell'arcidiocesi di Milano.
»			Al sig. Mangiagalli Riccardo, della medesima arcidiocesi.
		»	Al sig. Quarta Francesco, della diocesi di Lecce.
	»		Al sig. Minestra Oesare, della diocesi di Lodi.
			Al sig. Festuccia Pompilio, della diocesi di Rieti.
			Al sig. Ajovalasit Vincenzo, dell'arcidiocesi di Palermo.
24			Al sig. Matteucci Gino, dell'arcidiocesi di Fermo.
»			Al sig. Guffanti Mario, dell'arcidiocesi di Milano.
5	maggio		Al sig. Fabbri Lorenzo (Roma).
6	»		Al sig. Berro Roberto, dell'arcidiocesi di Montevideo.
»			Al sig. Fernandez Elbio, della medesima arcidiocesi.
10		»	Al sig. Barbieri Alberto, dell'arcidiocesi di Milano.
»			Al sig. Cerruti Guglielmo, della diocesi di Novara.
11	»	»	Al sig. Adams Simpson Alva (IT. S. A.).
12	»	»	Al sig. Spinelli Paolo, dell'arcidiocesi di Acerenza e Matera.
»	»		Al sig. Bortolato Giuseppe, della diocesi di Treviso.
			Al sig. Mancini Antonio, della medesima diocesi.
	»	»	Al sig. Marchesini Terenzio, della medesima diocesi.
»		»	Al sig. Rossetti Giovan Battista, della medesima diocesi.
			Al sig. Stocco Giovanni, della medesima diocesi.
»			Al sig. Visentin Giovanni, della medesima diocesi.
17	»	»	Al sig. Filidei Pilade, della diocesi di Livorno.
18			Al sig. Del Bello Filippo, dell'arcidiocesi di Spoleto.
27	»	»	Al sig. Tilado Zoungrana Alberto, del vicariato apostolico di Ouagadougou.
22	giugno		Al sig. Markwalder Saverio, della diocesi di Basilea.
»	»	»	Al sig. Santi Bruno (Roma).
»			Al sig. Santi Lorenzo (Roma).
»			Al sig. Santi Roberto (Roma).
24			Al sig. Berarducei Giuseppe, della diocesi di Pesaro.
»			Al sig. Caruso Eraldo, della medesima diocesi.
		»	Al sig. Filippucei Gino, della medesima diocesi.
	»		Al sig. Giovannelli Giulio, della medesima diocesi.

24	giugno	1950.	Al sig. Ligi Giulio, della medesima diocesi.
»		»	Al sig. Manfredini Marzio, della medesima diocesi.
27		»	Al sig. Gucciardo Paolo, della diocesi di Agrigento.
		»	Al sig. Politi Gerardo, della medesima diocesi.
»	»	»	Al sig. Saetta Luigi, della medesima diocesi.
		»	Al sig. Bernardini Bernardino (Roma).
»	»	»	Al sig. Olmi Massimo (Roma).
4	luglio	»	Al sig. Pedrazzoli Giuseppe, della diocesi di Mantova
14		»	Al sig. Vercelloni Luigi, dell'arcidiocesi di Milano.

NECROLOGIO

23	marzo	1949.	Monsig. Faveau Paolo Alberto, Vescovo tit. di Tamaso.
22	maggio	1950.	Monsig. Klerlein Leone, Vescovo tit. di Voncaria.
3	settembre	»	Monsig. Pasotti Gaetano, Vescovo tit. di Barata, Vicario Apostolico di Rajaburi.
18	"	»	Monsig. Marina Alcide, Arcivescovo tit. di Eliopoli di Fenicia, Nunzio Apostolico nel Libano.
23	»	»	Monsig. Roche Edoardo Patrizio, Arcivescovo di San Giovanni di Terranova.
5	ottobre	»	Monsig. Emmet Tommaso A., Vescovo tit. di Tuscania.
16	»	»	Monsig. Gayet Luigi Francesco, Vescovo di Nagpur.
20	»	»	Monsig. Tosti Liberato, Arcivescovo tit. di Leucade.
23	"	»	Monsig. Mulligan Silvestro Patrizio, Arcivescovo tit. di Cirro.

An. et yol. XXXXII é Novembris 1950 (Ser. IT, v. XVII) - N. 15

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

(FIDEI DOGMA DEFINITUR DEIPARAM VIRGINEM MARIAM CORPORE ET ANIMA FUISSE AD CAELESTEM GLORIAM ASSUMPTAM.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Munificentissimus Deus, qui omnia potest, cuiusque providentiae consilium sapientia et amore constat, arcano suae mentis proposito populorum singulorumque hominum dolores intersertis temperat gaudiis, ut, diversis rationibus diversisque modis, ipsum diligentibus omnia cooperentur in bonum.[1]

Iamvero Pontificatus Noster, quemadmodum praesens aetas, tot curis, sollicitudinibus angoribusque premitur ob gravissimas calamitates ac multorum a veritate virtuteque aberraciones; cernere tamen magno Nobis solacio est, dum catholica fides publice actuoseque manifestatur, pietatem erga Deiparam Virginem vigere ac fervescere cotidie magis, ac fere ubique terrarum melioris sanctiorisque vitae praebere auspicia. Quo fit ut, dum Beatissima Virgo sua materna munia pro Christi sanguine redemptis amantissime explet, filiorum mentes animique

[1] Cf. *Rom.,* VIII, 28.

ad studiosiorem eius privilegiorum contemplationem impensius excitentur.

Deus reapse, qui ex omni aeternitate Mariam Virginem propensissima singularique intuetur voluntate, « ubi venit plenitudo temporis », [2] providentiae suae consilium ita ad effectum deduxit, ut quae privilegia, quas praerogativas liberalitate summa eidem concesserat, eadem perfecto quodam concentu refulgerent. Quodsi summam eiusmodi liberalitatem perfectumque gratiarum concentum Ecclesia semper agnovit ac per saeculorum decursum cotidie magis pervestigavit, nostra tamen aetate privilegium illud corporeae in Caelum Assumptionis Deiparae Virginis Mariae clariore luce profecto enituit.

Quod quidem privilegium, cum Decessor Noster imm. mem. Pius IX almae Dei Parentis immaculatae conceptionis dogma, sollemniter sanxit, tum novo quodam fulgore illuxit. Arctissime enim haec duo privilegia inter se conectuntur. Christus quidem peccatum et mortem propria sua morte superavit; et qui. per baptismum superno modo iterum generatus est, per eumdem Christum peccatum et mortem vicit. Attamen plenum de morte victoriae effectum Deus generali lege iustis conferre non vult,, nisi cum finis temporum advenerit. Itaque iustorum etiam corpora post mortem resolvuntur, ac novissimo tandem die cum sua cuiusque gloriosa anima coniungentur.

Verumtamen ex generali eiusmodi lege Beatam Virginem Mariam Deus exemptam voluit. Quae quidem, singulari prorsus privilegio, immaculata conceptione sua peccatum devicit, atque adeo legi illi permanendi in sepulcri corruptione obnoxia non fuit, neque corporis sui redemptionem usque in finem temporum exspectare debuit.

Ideo cum sollemniter sancitum fuit Deiparam Virginem Mariam hereditaria labe immunem inde ab origine fuisse, tum. christifidelium animi incensiore quadam spe permoti fuere, futurum ut a supremo Ecclesiae Magisterio dogma quoque cor-

[2] ***Galat.,*** IV, 4.

poreae Assumptionis Mariae Virginis in Caelum quamprimum definiretur.

Siquidem cernere fuit non modo singulos christifideles, sed eos quoque, qui Nationum vel ecclesiasticarum provinciarum quasi personam gererent, ac vel etiam non paucos Concilii Vaticani Patres hoc instanter ab Apostolica Sede postulare.

Decursu autem temporum huiusmodi postulationes ac vota, nedum remitterent, cotidie magis et numero et instantia succrevere. Etenim piae habitae sunt, hac de causa, precum contentiones; studia hac super re a pluribus eximiisque theologis vel privatim, vel in publicis ecclesiasticis Athenaeis et in ceteris scholis sacris disciplinis tradendis alacriter impenseque provecta; Conventus Mariales multis in catholici orbis partibus vel ex una tantum, vel ex pluribus Nationibus celebrati. Quae quidem studia pervestigationesque maiore in luce posuere in christianae fidei deposito, Ecclesiae concredito, dogma quoque contineri Assumptionis Mariae Virginis in Caelum; ac plerumque inde consecntae sunt postulationes, quibus ab Apostolica Sede suppliciter efïïagitabatur, ut haec veritas sollemniter definiretur.

Hoc pio certamine christifideles miro quodam modo coniuncti fuere cum suis sacris Antistitibus ; qui quidem eiusdem generis petitiones, numero profecto spectabiles, ad hanc divi Petri Cathedram miserunt. Propterea, cum ad Summi Pontificatus solium evecti fuimus, supplicationes eiusmodi ad milia bene multa ex quavis terrarum orbis parte et ex quovis civium ordine, ex Dilectis nempe Filiis Nostris Sacri Collegii Cardinalibus,, ex Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, ex Dioecesibus, atque ex paroeciis ad hanc Apostolicam Sedem iam delatae erant.

Quamobrem, dum impensas ad Deum admovimus preces, ut ad gravissimam hanc causam decernendam lumen Sancti Spiritus menti Nostrae impertiretur, peculiares edidimus normas,[1] quibus iussimus ut collatis viribus severiora hac de re inirentur studia ; atque interea petitiones omnes colligerentur accurateque

perpenderentur, quae inde a Decessore Nostro fel. rec. Pio IX ad nostra usque tempora de Assumptione Beatae Mariae Virginis in Caelum ad Apostolicam hanc Sedem missae fuissent.[3]

Cum vero tanti momenti tantaeque gravitatis causa ageretur, opportunum duximus Venerabiles omnes in Episcopatu Fratres directo atque ex auctoritate rogare út mentem cuiusque suam conceptis verbis Nobis aperire vellent. Quapropter die i mensis Mai, anno MDCCCCXXXXVI, Nostras ad eos dedimus Litteras ((Deiparae Virginis Mariae », in quibus haec habebantur: « An vos, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra sapientia et prudentia censeatis: Assumptionem corpoream Beatissimae Virginis tamquam dogma fidei proponi et definiri posse, et an id cum clero et populo vestro exoptetis ».

Ii autem quos « Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei »,[4] ad utramque quaestionem quod attinet, unanima fere voce assentientes responderunt. Haec « singularis catholicorum Antistitum et fidelium conspiratio »,[5] qui Dei Matris autumant corpoream in Caelum Assumptionem ut fidei dogma definiri posse, cum concordem Nobis praebeat ordinarii Ecclesiae Magisterii doctrinam concordemque christiani populi fidem •— quam idem Magisterium sustinet ac dirigit — idcirco per semet ipsam ac ratione omnino certa ab omnibusque erroribus immuni manifestat eiusmodi privilegium veritatem esse **a.** Deo revelatam in eoque contentam divino deposito, quod Christus tradidit Sponsae suae fideliter custodiendum et infaL libili ter declarandum.[6] Quod profecto Ecclesiae Magisterium non quidem industria mere humana, sed praesidio Spiritus veritatis,[7] atque adeo sine ullo prorsus errore, demandato sibi munere fungitur revelatas adservandi veritates omne per aevum puras et integras ; quamobrem eas intaminatas tradit, eisdem

[3] ***Petitiones de Assumptione corporea B. Virginis Mariae in caelum definienda ad S. Sedem delatae;*** 2 vol., Typis Polyglottis Vaticanis, 1942.

* ***Act.,*** XX, 28.

[5] Bulla ***Ineffabilis Deus, Acta Pii IX,*** p. I, vol. I, p. 615.

[6] Cf. Conc. Vat., ***De fide catholica,*** cap. 4.

[7] Cf. IOAN., XIV, 26.

adiciens nihil, nihil ab iisdem detrahens. « Neque enim — ut Concilium Vaticanum docet — Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est ut, eo revelante, novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ».[8] Itaque ex ordinarii Ecclesiae Magisterii universali consensu certum ac firmum sumitur argumentum, quo comprobatur corpoream Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptionem — quam quidem, quoad caelestem ipsam « glorificationem» virginalis corporis almae Dei Matris -, nulla humanae mentis facultas naturalibus suis viribus cognoscere poterat — veritatem esse a Deo revelatam, ideoque ab omnibus Ecclesiae filiis firmiter fideliterque credendam. Nam, ut idem Concilium Vaticanum asseverat : « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali Magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur».[9]

Communis huius fidei Ecclesiae varia inde a remotis temporibus per saeculorum decursum manifestantur testimonia, indicia atque vestigia; eademque fides luculentiore in dies lumine panditur.

Siquidem christifideles, suorum Pastorum institutione ac ductu, a Sacris Litteris didicere Virginem Mariam, per terrestrem suam peregrinationem, vitam egisse sollicitudinibus, angustiis, doloribus affectam; ac praeterea id evenisse, quod sanctissimus senex Simeon cecinerat, acutissimum nempe gladium cor eius transverberasse ad Divini sui Nati crucem nostrique Redemptoris.., Parique modo haud difficile iisdem fuit assentiri magnam etiam Dei Matrem, quemadmodum iam Unigenam suum, ex hac vita decessisse. Hoc tamen minime prohibuit quominus palam crederent ac profiteantur sacrum eius corpus sepulcri corruptioni obnoxium fuisse numquam, numquam augustum illud Divini Verbi tabernaculum in tabem, in cinerem re-

[8] Conc. Vat., Const. ***De Ecclesia Christi,*** cap. 4.

[9] ***De fide catholica,*** cap. **3.**

solutum fuisse. Quin immo, divina collustrati gratia pietateque erga eam permoti, quae Dei Parens est suavissimaque Mater nostra, clariore cotidie luce mirabilem illam privilegiorum concordiam ac cohaerentiam contemplati sunt, quae Providentissimus Deus almae huic Redemptoris nostri sociae impertiit, et quae talem attigere celsissimum verticem, qualem praeter ipsam nemo a Deo creatus, excepta humana Iesu Christi natura, assecutus est umquam.

Hanc eamdem fidem innumera illa templa manifesto testantur, quae in honorem Mariae Virginis Caelo receptae Deo dicata fuere; itemque sacrae illae imagines inibi christifidelium venerationi propositae, quae singularem eiusmodi Beatae Virginis triumphum ante omnium oculos efferunt. Urbes praeterea, dioeceses ac regiones peculiari tutelae ac patrocinio Deiparae Virginis ad Caelum evectae fuere concreditae; parique modo religiosa Instituta, probante Ecclesia, excitata sunt, quae quidem ex eiusmodi privilegio nomen accipiunt. Neque silentio praetereundum est in mariali rosario, cuius recitationem Apostolica haec Sedes tantopere commendat, unum haberi mysterium, piae meditationi propositum, quod, ut omnes norunt, de Assumptione agit Beatae Virginis in Caelum.

Universali autem ac splendidiore modo haec sacrorum Pastorum ac christifidelium fides tum manifestatur, cum inde ab antiquis temporibus in Orientis et in Occidentis regionibus liturgica sollemnia hac de causa celebrantur; hinc enim Sancti Ecclesiae Patres atque Doctores lucem haurire numquam praetermisere, quandoquidem, ut omnibus in comperto est, sacra Liturgia, « cum sit etiam veritatum caelestium professio, quae supremo Ecclesiae Magisterio subicitur, argumenta ac testimonia suppeditare potest, non parvi quidem momenti, ad peculiare decernendum christianae doctrinae caput ».[10]

In liturgicis libris, qui festum referunt vel *Dormitiónis,* vel *Assumptionis Sanctae Mariae,* dictiones habentur, quae' con^ cordi quodam modo testantur, cum Deipara Virgo ex hoc ter-

[10] Litt,. Enc. ***Mediator Dei, A. A. 8.,*** vol XXXIX, p. 541.

restri exsilio ad superna pertransiit, sacro eius corpori ex Providentis Dei consilio ea contigisse, quae cum Incarnati Verbi Matris dignitate consentanea essent cum ceterisque privilegiis eidem impertitis. Haec, ut praeclaro utamur exemplo, in *Sacramentario* asseverantur, quod Decessor Noster imm. mem. Hadrianus I ad Imperatorem misit Carolum Magnum. In eo enim haec habentur: « Veneranda nobis, Domine, huius est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quae Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum».[11]

Quod vero heic verborum illa temperantia indicatur, qua Romana Liturgia uti solet, in ceteris vel orientalis, vel occidentalis antiquae Liturgiae voluminibus luculentius ac fusius declaratur. *Sacramentarium Gallicanum*, ut unum in exemplum afferamus, hoc Mariae privilegium dicit « inexplicabile sacramentum, tanto magis praeconabile, quanto est inter homines assumptione Virginis singulare ». Atque in Byzantina Liturgia corporea Mariae Virginis Assumptio non modo cum Dei Matris dignitate etiam atque etiam conectitur, sed cum aliis quoque privilegiis, peculiarique ratione cum virginea eius maternitate, singulari Providentis Dei consilio praestituta: « Tibi rex rerum omnium Deus ea, quae supra naturam sunt, tribuit; «sicut enim in partu te virginem custodivit, sic et in sepulcro »corpus tuum incorruptum servavit, et per divinam translationem conglorificavit ».[12]

Quod autem Apostolica Sedes, quae muneris est heres, Apostolorum Principi concrediti, in fide confirmandi fratres,[13] sollemniorem in dies auctoritate sua eiusmodi celebrationem reddidit, id profecto studiosam christifidelium mentem efficaciter permovit ad magis cotidie magisque huius commemorati mysterii gravitatem considerandam. Itaque Assumptionis festum «ex illo honoris gradu, quem in ceteris Marialibus celebrationi-

[11] ***Sacramentarium Gregorianum.***

[12] ***Menaei totius anni.***

[13] Cf. Luc, XXII, 32.

bus inde ab initio obtinuerat, ad sollemniorum celebrationum ordinem totius liturgici cycli evectum fuit. Ac Decessor Noster S. Sergius I, cum Litaniam seu Processionem Stationalem, quae dicitur, in quattuor Marialibus celebrationibus habendas praescriberet, una simul festum *Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis* ac *Dormitionis* Mariae Virginis, enumerat.[14] Deinceps vero S. Leo IV festum, quod iam titulo Assumptionis Beatae Genetricis Dei celebrabatur, sollemniore etiam modo recolendum curavit, cum pervigilium ante habendum iuberet, postea vero supplicationes in octavum diem; atque ipsemet, hanc opportunitatem libenter nactus, ingenti stipatus multitudine sollemnes eiusmodi celebrationes participare voluit.[15] Ac praeterea pridie huius diei sacrum habendum ieiunium iam antiquitus fuisse praeceptum, ex iis omnino patet, quae Decessor Noster S. Nicolaus I testatur, cum de praecipuis ieiuniis agit, ((quae... sancta Romana suscepit antiquitus et tenet. Ecclesia ».[16]

Quandoquidem vero Ecclesiae Liturgia catholicam non gignit fidem, sed eam potius consequitur, ex eaque, ut ex arbore* fructus, sacri cultus ritus proferuntur, idcirco Sancti Patres magnique Doctores in homiliis orationibusque, quas hoc festo die ad populum habuere, non hinc veluti ex primo fonte, eiusmodi doctrinam hauserunt, sed de ea potius, utpote christifidelibus iam nota atque accepta, locuti sunt; eamdem luculentius declararunt; eius sensum atque rem altioribus rationibus proposuere, id praesertim in clariore collocantes luce, quod liturgici libri saepenumero presse breviterque attigerant: hoc nempe festo non solummodo Beatae Virginis Mariae nullam habitam esse exanimis corporis corruptionem commemorari, sed eius etiam ex morte deportatum triumphum, eiusque caelestem « glorificationem », ad Unigenae sui exemplum Iesu Christi

[14] ***Liber Pontificalis.***

" Ibid.

[16] ***Responsa Nicolai Papae I ad consulta Bulgarorum.***

Itaque S. Ioannes Damascenus, qui prae ceteris eximius traditae huius veritatis praeco exstat, corporeum almae Dei Matris Assumptionem cum aliis eius dotibus ac privilegiis comparans, haec vehementi eloquentia edicit: « Oportebat eam, quae in partu illaesam servaverat virginitatem, suum corpus sine ulla corruptione etiam post mortem conservare. Oportebat eam, quae Creatorem ut puerum in sinu gestaverat, in divinis tabernaculis commorari. Oportebat sponsam, quam Pater desponsaverat, in thalamis caelestibus habitare. Oportebat, eam, quae Filium suum in cruce conspexerat, et, quem pariendo effugerat doloris gladium, pectore exceperat, ipsum Patri considentem contemplan. Oportebat Dei Matrem ea, quae Filii sunt, possidere et ab omni creatura tamquam Dei Matrem et ancillam excoli ». [17]

Haec quidem S. Ioannis Damasceni vox aliorum vocibus, eamdem asseverantium doctrinam, fideliter respondet. Etenim haud minus clarae accurataeque dictiones in orationibus illis inveniuntur, quas vel superioris vel eiusdem aevi Patres, per occasionem plerumque huius festi, habuere. Itaque, ut aliis utamur exemplis, S. Germanus Constantinopolitanus corpus Deiparae Virginis Mariae incorruptum fuisse et ad Caelum evectum non modo cum divina eius maternitate consentaneum putabat, sed etiam cum peculiari sanctitate eiusdem virginalis corporis : « Tu, secundum quod scriptum est, ' in pulchritudine ' appares; et corpus tuum virginale totum sanctum est, totum castum, totum Dei domicilium ; ita ut ex hoc etiam a resolutione in pulverem deinceps sit alienum; immutatum quidem, quatenus humanum, ad excelsam incorruptibilitatis vitam;, idem vero vivum atque praegloriosum, incolume atque perfectae vitae particeps ». [18] Alius vero antiquissimis scriptor asseverat : « Igitur ut gloriosissima Mater Christi Salvatoris nostri Dei, vitae et immortalitatis largitoris, ab ipso vivificatur, in

[17] S. IOAN. DAMASO., ***Encomium in dormitionem Dei Genitricis semperque Virgini» Mariae,*** nom. II, 14; Cf. etiam ibid., n. 3.

[18] S. GEBM. CONST., ***In Sanctae Dei Genitricis Dormitionem,*** sermo I.

aeternum concorporea in incorruptibilitate, qui illam a sepulcro suscitavit et ad seipsum assumpsit, ut ipse solus novit ».[19]

Cum autem hoc liturgicum festum latius in dies impênsioreque pietate celebraretur, Ecclesiae Antistites ac sacri oratores, crebriore usque numero, officii sui esse duxerunt aperte ac nitide explanare mysterium, quod eodem hoc festo recolitur, atque edicere illud esse cum ceteris revelatis veritatibus coniunctissimam.

In scholasticis theologis non defuere qui, cum in veritates -divinitus revelatas altius introspicere vellent, atque illum praebere cuperent concentum, qui inter rationem theologicam, quae dicitur, ac catholicam intercedit fidem, animadvertendum putarent hoc Mariae Virginis Assumptionis privilegium cum divinis veritatibus miro quodam modo concordare, per Sacras Litteras nobis traditis.

Cum hinc ratiocinando proficiscerentur, varia protulere argumenta, quibus mariale eiusmodi privilegium illustrarent, quorum quidem argumentorum quasi primum elementum hoc esse asseverabant, Iesum Christum nempe, pro sua erga Matrem pietate, eam voluisse ad Caelum assumptam; eorumdem vero argumentorum vim incomparabili inniti dignitate eius divinae maternitatis atque etiam eorum omnium munerum, quae eam consequuntur; quae quidem sunt insignis eius sanctitas, omnium hominum angelorumque sanctitudinem exsuperans; intima Mariae cum Eilio suo coniunctio ; ac praecipuae illius dilectionis affectus, qua Filius dignissimam Matrem suam pro«equebatur.

Ac saepenumero theologi occurrunt oratoresque sacri, qui Sanctorum Patrum vestigiis insistentes,[20] ut suam illustrent Assumptionis fidem, quadam usi libertate, eventus ac verba referunt, quae a Sacris Litteris mutuantur. Itaque, ut non-

[19] ***Encomium in Dormitionem Sanctissimae Dominae nostrae Deiparae semperque Virginis Mariae*** (S. Modesto Hierosol. attributum), n. 14.

[20] Cf. S. IOAN. DAMASO., ***Encomium in Dormitionem Dei Genitricis semperque Virginis Mariae,*** hom. II, 2, 11; ***Encomium in Dormitionem*** (S. Modesto Hierosol. attributum).

nulla tantum memoremus, quae hac de re saepius usurpantur, sunt qui Psaltae sententiam inducant: « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et Arca sanctificationis tuae »;[21] atque *Aream foederis*, incorruptibili ligno instructam atque in Dei templo positam, quasi imaginem cernant purissimi Mariae Virginis corporis, ab omni sepulcri corruptione servati immunis, atque ad tantam in Caelo gloriam evecti. Parique modo, hac de re agentes, Reginam describunt in regiam Caelorum aulam per triumphum ingredientem ac dextero Divini Redemptoris assistentem lateri;[22] itemque Canticorum Sponsam inducunt, «quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrae et thuris », ut corona redimiatur.[23] Quae quidem ab iisdem veluti imagines proponuntur caelestis illius Reginae, caelestisque Sponsae, quae una cum Divino Sponso ad Caelorum aulam evehitur.

Ac praeterea scholastici doctores non modo in variis Veteris Testamenti figuris, sed in illa etiam Muliere amicta sole, quam Ioannes Apostolus in insula Patmo[24] contemplatus est, Assumptionem Deiparae Virginis significatam viderunt. Item ex Novi Testamenti locis haec verba peculiari cura considerationi proposuere suae: « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus »,[25] cum in Assumptionis mysterio complementum cernèrent plenissimae illius gratiae, Beatae Virgini impertitae, singularemque benedictionem maledictioni Hevae adversantem.

Eam ob rem, sub Scholasticae Theologiae initio vir piissimus Amedeus Lausannensis Episcopus affirmat Mariae Virginis carnem incorruptam permansisse; — neque enim credi fas «st corpus eius vidisse corruptionem — cum revera animae suae iterum coniunctum fuerit, atque una cum ea in caelesti aula excelsa redimitum gloria. « Erat namque plena gratia et

[21] ***Ps. CXXXI.* 8.**
[22] ***Ps. XLIV,*** 10, 14-16.
[23] ***Cant.*** III, 6; cf. IV, 8; VI, 9.
[24] ***Apoo.,*** XII, 1 sq.
[25] Luc, I, 28.

in mulieribus benedicta (Luc, I, 28). Deum verum de Deo vero> sola meruit concipere, quem virgo peperit, virgo lactavit, fovens in gremio, eique in omnibus almo ministravit obsequio ».[26]

In sacris vero scriptoribus, qui eo tempore Divinarum Litterarum sententiis variisque similitudinibus seu analogiis usi, Assumptionis doctrinam, quae pie credebatur, illustrarunt ac confirmarunt, peculiarem locum obtinet Doctor Evangelicum S. Antonius Patavinus. Is enim, festo Assumptionis die, haec Isaiae prophetae verba interpretatus : « locum pedum meorum glorificabo»,[27] modo certo asseveravit a Divino Redemptore Matrem suam dilectissimam, ex qua humanam sumpserat carnem, summa ornatam fuisse gloria. « Per hoc aperte habes — ita ait — quod Beata Virgo in corpore, quo fuit locus pedum. Domini, est assumpta». Quamobrem sacer Psaltes scribit: ((Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et Arca sanctificationis tuae »: Quemadmodum, ita ipse asserit, Iesus Christus ex triumphata morte resurrexit atque ad dexteram sui Patris- ascendit, ita pariter « surrexit et Arca sanctificationis suae, cum in hac die Virgo Mater ad aethereum thalamum est assumpta ».[28]

Cum autem, media aetate, Theologia Scholastica maxime floreret, S. Albertus Magnus, variis ad rem probandam collatis argumentis, quae vel Sacris Litteris, vel sententiis a maioribus traditis, vel denique Liturgia rationeque theologica, quae dicitur, innituntur, ita concludit : « His rationibus et auctoritatibus et multis aliis manifestum est, quod Beatissima Dei Mater in corpore et anima super choros Angelorum est assumpta. Et hoc modis omnibus credimus esse verum».[29] In oratione vero, quam die Annunciationi sacro Beatae Mariae Virginis habuit, haec Angeli salutantis verba explanans: «Ave, gratia plena... »,

[26] AMEDEUS LAUSANNENSIS, ***De Beatae Virginis obitu, Assumptione in Caelum, exaltatione ad Filii dexteram.***

[27] Is., LX, 13.

[28] S. ANTONIUS PATAV., ***Sermones dominicales et in solemnitatibus. In Assumptione 8. Mariae Virginis sermo.***

[29] S. AIBEBTUS MAGNUS, ***Mariale sive quaestiones super Evang. ' Missus est ', q. 132.***

Doctor Universalis, dum Hevae Sanctissimam Virginem comparat, hanc clare significanterque asseverat quadruplici illa maledictione fuisse immunem, cui Heva obnoxia fuit.[30]

Doctor Angelicus, insignis magistri sui vestigia premens, quamvis dedita opera eiusmodi quaestionem numquam agitaverit, quotiescumque tamen per occasionem eam attingit, una «cum Catholica Ecclesia constanter retinet cum Mariae anima eius corpus in Caelum fuisse assumptum.[31]

Eamdem sententiam amplectitur, in multis aliis, Doctor Seraphinus, qui quidem pro certo omnino habet, quemadmodum Deus Mariam Sanctissimam, sive concipientem, sive parientem, virginalis pudoris virginalisque integritatis violatione immunem servavit, sic minime permisisse ut eius corpus in taberri, in cinerem resolveretur.[32] Haec Sacrae Scripturae verba interpretans, eademque sensu quodam accommodato Beatae Virgini tribuens: « Quae est ista, quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum»,[33] ita arguit: « Et hinc constare potest quod corporaliter ibi est... Cum onim... beatitudo non esset consummata nisi personaliter ibi • esset, et persona non sit anima, sed coniunctum, patet quod secundum coniunctum, id est corpus et animam, ibi est: alioquin consummatam non haberet fruitionem».[34]

Sera autem Scholasticae Theologiae aetate, hoc est saeculo XV, S. Bernardinus Senensis ea omnia, quae medii aevi theologi hac super causa edixerant ac disceptaverant, summatim colligens ac diligenter retractans, non satis habuit praecipuas eorum referre considerationes, quas superioris temporis doctores iam proposuerant, sed alias etiam adiecit. Similitudo nempe divinae Matris divinique Filii, ad animi corporisque no-

[30] Idem, ***Sermones de sanctis,*** sermo XV: ***In Annuntiatione B. Mariae;*** cf. etiam ***Mariale,*** q. 132

[31] Cf. ***Summa Theol.,*** III, q. 27, a. 1 c.; ibid., q. 83, a. 5 ad 8; ***Expositio salutationis .angelicae; In symb. Apostolorum expositio,*** art 5; ***In IV Sent.,*** D. 12, q. 1, art. 3, sol. 3; .D, 43, q. 1, art. 3, sol. 1 et 2.

[32] Cf. S. BONAVENTURA, ***De Nativitate B. Mariae Virginis,*** sermo 5.

[33] ***Cant.,*** VIII, 5.

[34] S. BONAVENTURA, ***De Assumptione B. Mariae Virginis,*** sermo I.

bilitatem dignitatemque quod attinet — ob quam quidem similitudinem ne cogitare quidem possumus caelestem Reginam a caelesti Rege separari — omnino postulat ut Maria « esse non *debeat,* nisi ubi est Christus »;[35] ac praeterea rationi congruens et consentaneum est, quemadmodum hominis, ita etiam mulieris animam ac corpus sempiternam iam gloriam in Caelo assecuta esse ; ac denique idcirco quod numquam Ecclesia Beatae Virginis exuvias requisivit ac populi cultui proposuit, argumentum praebetur, quod « quasi sensibile experimentum »[36] referri potest.

Recentioribus vero temporibus, quas supra rettulimus, Sanctorum Patrum Doctorumque sententiae communi in usu fuere. Consensum christianorum amplectens, a superioribus aetatibus traditum, S. Robertus Bellarminus exclamavit: « Et quis,, obsecro, credere posset, aream sanctitatis, domicilium Verbi, templum Spiritus Sancti corrüisse? Exhorret plane animus-meus vel cogitare carnem illam virgineam, quae Deum genuit, peperit, aluit, gestavit, vel in cinerem esse conversam, vel in escam vermibus traditam ».[37]

Parique modo S. Franciscus Salesius, postquam asseveravit, dubitare fas non esse Iesum Christum perfectissimo modo divinum mandatum, quo filii iubentur proprios honorare parentes, ad rem deduxisse, hanc sibi quaestionem proponit: « Quinam filius, si posset, matrem suam ad vitam non revocaret, atque eam post mortem in Paradisum non adduceret? ».[38] Ac S. Alfonsus scribit: « Iesus Mariae corpus post mortem corrumpi noluit, cum in suum dedecus redundaret virginalem eius carnem in tabem redigi, ex qua suam ipsemet carnem assumpserat ».[39]

Cum vero mysterium, quod hoc festo celebratur, iam in sua.

[35] S. BERNARDINUS SENENS., ***In Assumptione B. M. Virginis,*** sermo II.

[36] Idem, **1.** c. •

[37] S. ROBERTUS BELLARMINUS, ***Conciones habitae Lovanii,*** concio 40: ***De Assumptione B. Mariae Virginis.***

[38] ***Œuvres de St François de Sales,*** Sermon autographe pour la fête de l'Assomption.

[39] S. ALFONSO M. DE' LIGUORI, ***Le glorie di Maria,*** parte II, dise. 1.

luce positum esset, haud defuere doctores, qui, potius quam de theologicis argumentis agerent, quibus demonstraretur conveniens \omnino ac consentaneum esse corpoream credere Beatae Mariae Virginis in Caelum Assumptionem, mentem animumque suum ad ipsam converterent Ecclesiae fidem, mysticae Christi Sponsae non habentis maculam aut rugam[40] quae quidem ab Apostolo nuncupatur « columna et firmamentum veritatis»;[41] atque communi hac fide innixi, contrariam sententiam temerariam putarent, ne dicamus haereticam. Siquidem, ut alii non pauci, S. Petrus Canisius, postquam declaravit ipsum Assumptionis vocabulum non modo animae, sed corporis etiam « glorificationem » significare, atque Ecclesiam multis iam saeculis hoc mariale Assumptionis mysterium venerari ac celebrare sollemniter, haec animadvertit : « Quae sententia iam saeculis aliquot obtinet, ac piorum animis infixa, totique Ecclesiae sic commendata est, ut qui Mariae corpus in Caelum negant assumptum, ne patienter quidem audiantur, sed velut nimium contentiosi, aut prorsus temerarii, et haeretico magis quam catholico spiritu imbuti homines passim exsibilentur ». [42]

Eodem tempore Doctor Eximius, cum hanc de mariologia^ profiteretur normam, nempe « mysteria gratiae, quae Deus in Virgine operatus est, non esse ordinariis legibus metienda, sed divina omnipotentia, supposita rei decentia, absque ulla Scripturarum contradictione aut repugnantia»,[43] universae Ecclesiae communi fretus fide, ad Assumptionis mysterium quod attinet, concludere poterat hoc idem mysterium eadem animi firmitate credendum esse, ac Immaculatam Conceptionem B. Virginis; iamque tum aütumabat veritates eiusmodi definiri posse.

Haec omnia Sanctorum Patrum ac theologorum argumenta, considerationesque Sacris Litteris, tamquam ultimo fundamento, nituntur; quae quidem almam Dei Matrem nobis veluti

[40] Cf. *Ephes.*, V, 27.

[41] *I Tim.*, III, **15.**

[42] S. PETRUS CANISIUS, ***De Maria Virgine.***

[43] SUAREK F., ***In tertiam partem D. Thomae,*** quaest. 27, art. 2, disp. 3, sec. 5, n. 31..

ante oculos proponunt divino Filio suo coniunctissimam, eiusque semper participantem sortem. Quamobrem quasi impossibile videtur eam cernere, quae Christum concepit, peperit, suo laete aluit, eumque inter ulnas habuit pectorique obstrinxit suo, ab eodem post terrestrem hanc vitam, etsi non anima, corpore tamen separatam. Cum Redemptor noster Mariae Filius sit, haud poterat profecto, utpote divinae legis observator perfectissimus, praeter Aeternum Patrem, Matrem quoque suam dilectissimam non honorare. Atqui, cum eam posset tam magno honore exornare, ut eam a sepulcri corruptione servaret incolumem, id reapse fecisse credendum est.

Maxime autem illud memorandum est, inde a saeculo **II,** Mariam Virginem a Sanctis Patribus veluti novam Hevam proponi novo Adae, etsi subiectam, arctissime coniunctam in certamine illo adversus inferorum hostem, quod, quemadmodum in protoevangelio [44] praesignificatur, ad plenissimam deventurum erat victoriam de peccato ac de morte, quae semper in gentium Apostoli scriptis inter se copulantur.[45] Quamobrem, sicut gloriosa Christi anastasis essentialis pars fuit ac postremum huius victoriae tropaeum, ita Beatae Virginis commune cum Filio suo certamen virginei corporis « glorificatione » concludendum erat; ut enim idem Apostolus ait, « cum... mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: absorpta est mors in victoria ».[46]

Idcirco augusta Dei Mater, Iesu Christo, inde ab omni aeternitate, ((uno eodemque decreto »[47] praedestinationis, arcano modo coniuncta, immaculata in suo conceptu, in divina maternitate sua integerrima virgo, generosa Divini Redemptoris socia, qui plenum de peccato eiusque consectariis deportavit triumphum, id tandem assecuta est, quasi supremam suorum privilegiorum coronam, ut a sepulcri corruptione servaretur immunis, fitque, quemadmodum iam Filius suus, devicta morte, corpore

"[4] ***Gen.,*** **III,** 15.

[15] Cf. ***Rom.,*** cap. **V** et **VI; J** ***Cor.,*** **XV,** 21-26; 54-57.

[48] J ***Cor.,*** **XV,** 54.

[47] Bulla ***Ineffabilis Deus,*** 1. c, p. 599.

•et anima ad supernam Caeii gloriam eveheretur, ubi Regina refulgeret ad eiusdem sui Filii dexteram, immortalis saeculorum Regis. [48]

Quoniam igitur universa Ecclesia, in qua viget Veritatis Spiritus, qui quidem eam ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem infallibiliter dirigit, multipliciter per saeculorum decursum suam fidem manifestavit, et quoniam universi terrarum orbis Episcopi prope unanima consensione petunt, ut tamquam divinae et catholicae fidei dogma definiatur veritas corporeae Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae in Caelum — quae veritas Sacris Litteris innititur, christifidelium animis penitus est insita, ecclesiastico cultu inde ab antiquissimis temporibus comprobata, ceteris revelatis veritatibus summe consona, theologorum studio, scientia ac sapientia splendide explicata et declarata — momentum Providentis Dei consilio praestitutum iam advenisse putamus, quo insigne eiusmodi Mariae Virginis privilegium sollemniter renuntiemus.

Mos, qui Pontificatum Nostrum peculiari Sanctissimae Virginis patrocinio concredidimus, ad quam quidem in tot tristissimarum rerum vicibus confugimus, Nos, qui Immaculato eius Cordi universum hominum genus publico ritu sacraviinus, eiusque praesidium validissimum iterum atque iterum experti sumus, fore omnino confidimus ut sollemnis haec Assumptionis pronuntiatio ac definitio haud parum ad humanae consortionis profectum conferat, cum in Sanctissimae Trinitatis gloriam vertat, cui Deipara Virgo singularibus devincitur vinculis. Futurum enim sperandum est ut christifideles omnes ad impensiorem erga caelestem Matrem pietatem excitentur; utque eorum omnium animi, qui christiano gloriantur nomine, ad desiderium moveantur Mystici Iesu Christi Corporis participandae unitatis, suique erga illam augendi amoris, quae in omnia eiusdem augusti Corporis membra maternum gerit animum. Itemque sperandum est ut gloriosa mediantibus Mariae exempla magis magisque persuasum sit quantum valeat hominum vita,

[48] Cf. ***I Tim.,*** I. 17.

si-Caelestis Patris voluntati exsequendae omnino sit dedita ac ceterorum omnium procurando bono ; ut, dum « materialismi » commenta et quae inde oritur morum corruptio, virtutis lumina, submergere minantur, hominumque, excitatis dimicationibus, perdere vitas, praeclarissime hoc modo ante omnium oculos, plena in luce ponatur ad quam excelsam metam animus corpusque nostrum destinentur; ut denique fides corporeae Assumptionis Mariae in Caelum nostrae etiam resurrectionis fidem firmiorem efficiat, actuosiorem reddat.

Quod autem hoc sollemne eventum in Sacrum, qui vertitur, Annum Providentis Dei consilio incidit, Nobis laetissimum est;, ita enim Nobis licet, dum Iubilaeum Maximum celebratur, fulgenti hac gemma Deiparae Virginis frontem exornare, ac monumentum relinquere aere perennius incensissimae Nostrae in Dei Matrem pietatis.

Quapropter, postquam supplices etiam atque etiam ad Deum admovimus preces, ac Veritatis Spiritus lumen invocavimus, ad Omnipotentis Dei gloriam, qui peculiarem benevolentiam suam Mariae Virgini dilargitus est, ad sui Filii honorem, immortalis saeculorum Regis ac peccati mortisque victoria, ad eiusdem augustae Matris augendam gloriam et ad totius Ecclesiae gaudium exsultationemque, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra pronuntiamus, declaramus et definimus divinitus revelatum dogma esse: Immaculatam Deiparam semper Virginem Mariam, expleto terrestris vitae cursu, fuisse corpore et anima ad caelestem gloriam assumptam.

Quamobrem, si quis, quod Deus avertat, id vel negare, vel. in dubium vocare voluntarie ausus fuerit, quod a Nobis definitum est, noverit se a divina ac catholica fide prorsus defecisse.


Ut autem ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra corporeae Mariae Virginis in Caelum Assumptionis definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Litteras ad perpetuam rei memoriam exstare voluimus; mandantes ut harum transum-

ptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronuntiationis ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum anno Iubilaei Maximi millesimo nongentesimo quinquagesimo, die prima mensis Novembris, in festo omnium Sanctorum, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus,
ita definiendo subscripsi



✠ Ego **FRANCISCUS** Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis **MARCHETTI SELVAGGIANI, S.** Collegii Decanus.

✠ Ego **EUGENIUS** Episcopus Portuensis et **S.** Rufinae Cardinalis **TISSERANT.**

✠ Ego **CLEMENS** Episcopus Veliternus Cardinalis **MICARA.**

✠ Ego **IOSEPH** Episcopus Albanensis Cardinalis **PIZZARDO.**

Ego **BENEDICTUS** Episcopus Praenestinus Cardinalis **ALOISI MASELLA.**

£g Ego **ADEODATUS IOANNES** Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis **PIAZZA.**

Ego **ALEXIUS** tituli S. Oalisti Presbyter Cardinalis **ASCALESI.**

Ego **MICHAEL** tituli S. Anastasia« Presbyter Cardinalis de **FAULHABER.**

Ego **IOANNES BAPTISTA** tituli S. Mariae in Transpontina Praesbyter Cardinalis **ì i A S A L L i ROCCA.**

Ego **ALEXANDER** tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis **VERDE.**

Ego **IOSEPH ERNESTUS** tituli S. Mariae de Ara Caeli Presbyter Cardinalis **VAN RÖEY.**

Ego **PETRUS** tituli S. Mariae trans Tiberini Presbyter Cardinalis **SEGURA Y** SAËNS.

Ego **ALFRIDUS ILDELPONSUS** tituli S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis **SCHUSTER.**

Ego **EMMANUEL** tituli Ss. Marcellini et Petri Presbyter Cardinalis **GONÇALVES C**EREJEIRA.

Ego **ACHILLES** tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis **LIÉNART.**

Ego **PETRUS** tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FuMASONi **BIONDI.**

Ego **FRIDERICUS** tituli S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis **TEDESCHINI.**

Ego **ELIAS** tituli S. Marci Presbyter Cardinalis **DALLA COSÍA.**

Ego **THEODORUS** tituli S. Chrysogoni Presbyter Cardinalis **INNITZER.**

Ego **IGNATIUS GABRIEL** tituli Basilicae XII Apostolorum Presbyter Cardinalis **TAPPOUNI.**

Ego **DOMINICUS** tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis **JORIO.**

Ego **MAXIMUS** tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis **MASSIMI.**

Ego **PETRUS** tituli SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis **GERLIER.**

Ego **GREGORIUS PETRUS** XV tituli S. Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Agagianian.

Ego **IULIUS** tituli S. Pudentianae Presbyter Cardinalis **S\LIEGE.**

Ego **IACOBUS CAROLUS** tituli S. Mariae de Populo Presbyter Cardinalis Me **GUIGAN.**

Ego **CLEMENS AEMILIUS** tituli S. Balbinae Presbyter Cardinalis **ROQUES.**

Ego **NORMANNUS THOMAS** tituli Ss. Quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis **GILROY.**

Ego **FRANCISCUS** tituli Ss. Ioannis et Pauli Presbyter Cardinalis **SPELLMAN.**

Ego **THEODOSIUS CLEMENS** tituli S. Petri ad vincula Presbyter Cardinalis **DE GOUVEIA.**

Ego **EMMANUEL** tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis **ARTEAGA Y BETANCOURT.**

Ego **IOSEPH** tituli S. Ioannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis **FRINGS.**

Ego **BERNARDUS** tituli Ss. Andreae et Gregorii Presbyter Cardinalis **GRIPPIN.**

Ego **CONRADUS** tituli S. Agathae Presbyter Cardinalis **VON PREYSING.**

Ego **THOMAS** tituli S. Mariae in Via Presbyter Cardinalis **TIEN CHEN SIN.**

Ego **NICOLAUS** S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis **CANALI.**

Ego **IOANNES** S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis **MERCATI.**

Ego **IOSEPH** S. Eustachii Diaconus Cardinalis **BRUNO.**

SACRUM CONSISTORIUM

CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM

Feria secunda, die xxx Octobris mensis a. **MCML**, in aula supra porticum Basilicae vaticanae, *Consistorium semipublicum* habitum est de Assumptione corporea Beatissimae Virginis Mariae tamquam dogmate definienda.

Huic actioni Beatissimus Pater sic praefatus est:

VENERABILES FRATRES,

Nostis profecto qua de causa in hoc Sacrum Consistorium vos hodie convocaverimus. Res agitur, quae Nos, quae vos, quae catholicum orbem universum summa procul dubio laetitia afficiet, Calendis enim Novembribus, in Festo Sanctorum omnium Caelitum, eorum Reginae almaeque Dei Matris gemmea frons novo fulgore nitescet; quandoquidem corpoream eius in Caelum Assumptionem, Divino aspirante faventeque Numine, sollemniter pronuntiaturi ac decreturi sumus.

Quod inde a remotis temporibus pie ab Ecclesia creditur ac colitur, quod, per saeculorum decursum, Sanctorum Patrum, Doctorum ac Theologorum opera, in clariore cotidie luce positum est, quod denique ex omni terrarum orbis parte et a cuiusvis ordinis viris, paene innumeris datis litteris, efflagitatum fuit, id Nos auctoritate illa, quam Divinus Redemptor Apostolorum Principi eiusque successoribus commisit, in animo habemus rite sancire ac decernere; hoc est Deiparam Virginem Mariam fuisse anima et corpore ad caelestem gloriam evectam.

Antequam vero hanc amplecteremur sententiam, opportunum duximus, ut vobis in comperto est, causam doctissimis viris pervestigandam ac perpendendam concredere. Ii quidem, ex iussu Nostro, postulationes omnes, quae hac de re ad Apostolicam hanc Sedem pervenerant, et in ordinem redegere, et diligentissime explbrarunt, ut luculentius inde pateret quid Sa-

crum Magisterium, quid omnis Ecclesia Catholica de hoc doctrinae capite credendum retinerent. Itemque ex iussu Nostro communis fidei Ecclesiae testimonia, indicia atque vestigia circa corpoream Beatissimae Virginis in Caelum Assumptionem diligentissimo studio perscrutati sunt tum in concordi eiusdem sacri Magisterii institutione, tum in Divinis Litteris et in antiquissimo Ecclesiae cultu, tum denique in Patrum ac Theologorum documentis in ceterarumque revelatarum veritatum contentu.

Ac praeterea ad omnes sacrorum Antistites Nostras dedimus Litteras, quibus rogabamus non modo ut suam sententiam hac super re Nobis aperire vellent, sed ut etiam quid clerus, quid populus sibi creditus censerent, quid haberent in votis, Nobis significarent.

Postquam vero undique terrarum prope unanimo ac mirabili quodam concentu sacrorum Pastorum ac christiani populi -voces ad Nos pervenerunt, quae eamdem fidem profitebantur idemque, utpote rem omnibus optatissimam, postulabant, nihil cunctandum esse putavimus; atque adeo ad sollemnem huius dogmatis definitionem deveniendum statuimus.

Si enim Catholica Ecclesia universa neque fallere, neque falli potest, cum divinus ipse eius Conditor, qui veritas est[1] .Apostolis edixerit: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi»;[2] inde omnino consequitur hanc veritatem, quam sacri Antistites eorumque populi firmissima mente credunt, divinitus esse revelatam, ac suprema auctoritate Nostra definiri posse.

Quod autem hoc faustum eventum in Annum Sacrum incidit, qui ad exitum felicissime vergit, id profecto non sine Providentis Dei consilio contigisse putandum est. Videtur enim Beata Virgo Maria, e caelesti sua sede quasi nova luce refulgens, hominibus universis, iis praesertim, qui undique terrarum hanc almam petiere Urbem, ut suas animi labes eluerent

[1] Cf. IOAN., XIV, 6.

[2] MATTH., XXVIII, 20.

suamque christianis moribus -rénovaient vitam, materna brach ia pandere, omnesque etiam atque etiam invitare ad illum animose ascendendum virtutis verticem, ex quo, post terrestrehoc exsilium, beati tate summa fruitüri caelestem poterunt contingere patriam.

Quas innumeras multitudines per elapsos menses magno» cum animi solacio vidimus non mòdo communis Patris aulas ¿ non modo amplissimam Vaticanam Basilicam, sed Petrianum etiam stipare Forum confluentesque vias, ac vividam suam testari fidem, flagrantique fervescere pietate, eas omnes Magna Dei Parens velit presentissimo tutari patrocinio suo, iisdemque caelestia illa impetrare lumina ac munera, quibus collustrati atque adiuti ad christianam cotidie alacrius pergant assequendam perfectionem.

Ac valde etiam confidimus fore ut alma Dei Genetrix, nova in terris redimita gloria, eos quoque amantissime cernat potenterque ad se alliciat, qui vel spirituali inertia langüescant, vel vitiorum illecebris deleniti iaceant, vel e recto veritatis itinere devii suam ipsius non agnoscant excelsam dignitatem, cum qua quidem privilegium corporeae in Caelum Assumptionis coniungitur quam maxime.

Velit benignissima Mater nostra, ad caelestem gloriam evecta, mundum universum, multis locis errorum adhuc tenebris involutum, gravibus excruciatum calamitatibus gravibusque periculis anxium, ad supernam illam adducere lucem, quae é-Caelo panditur; atque eidem superna illa impertire solacia, quae hominum animos, etsi acerrimis doloribus affectus, récréant et ad excelsa relevant.

Ac velit etiam a Divino Filio suo impetrare ut Nationibus* ac gentibus, quae in praesens, communi cum omnium detrimento, invicem disiunguntur, pax illa tandem aliquando affulgeat, quae recti ordinis tranquillitate firmiter constabilita; quae iustitia civibus ac populis attributa, quae debita libertate dignitateque omnibus concessa, veluti tutissimo fundamenta innitatur.

Imprimisque Catholicam Ecclesiam velit, quae in non paucis terrarum orbis partibus vel parum cognoscitur, vel falsis criminationibus ac calumniis laeditur, vel iniustis denique opprimitur insectationibus, potentissimo patrocinio suo tueri; ad eiusque unitatem aberrantes omnes ac via deceptos feliciter reducere.

Haec vos, Venerabiles Fratres, unaque vobiscum christianus populus universus a caelesti omnium Matre flagrantioribus usque precibus impetrare contendatis.

In praesens autem, quamvis, ut diximus, hac super gravissima causa sacrorum Antistitum responsa ex universo terrarum orbe ad Nos pervenerint, cupimus tamen ut hoc etiam in frequentissimo et augusto consessu mentem vestram Nobis aperire velitis.

Placet igitur vobis, Venerabiles Fratres, ut corpoream Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptionem ut divinitus revelatum dogma sollemniter pronuntiemus ac definiamus ?

Habitis adstantium suffragiis per verba « Placet », vel « Non placet Augustus Pontifex haec adiecit :

Summopere quidem laetamur una vos mente ac voce in eo consentire, quod idem Nobismet ipsis placet et in votis est. Ex hac enim mirabili Purpuratorum Patrum atque Episcoporum cum Romano Pontifice consensione luculentius usque patet quid hac de re Ecclesia credat, quid doceat, quid in optatis habeat.

Ne gravemini tamen haud intermissis precibus a Deo exposcere ut, ipso favente atque aspirante, id, quod omnes impensissimo praestolamur, feliciter eveniat; et ad divini nominis honorem, ad christianae religionis incrementum, ad gloriam Deiparae Virginis, ad omniumque erga eam pietatis studium excitandum conferat.

Postremo Summus Pontifex fere septingentis sacris Antistitibus adstantibus Apostolicam Benedictionem impertiit.

IN SOLLEMNI DOGMATICA DEFINITIONE

BEATAE MAEIAE VIEGINIS COEPOEEAE IN CAELUM ASSUMPTIONIS

'?DIE PRIMA NOVEMBRIS MENSIS. «IN FESTO SANCTORUM OMNIUM, ANNO SACRO MCML, IN PETRIANO FORO ANTE BASILICAM VATICANAM HABITA.

Summus Pontifex, e Sacello sixtino in sella gestatoria procedens, praeeuntibus Eminentissimis Patribus ac Excellentissimis Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ceterisque, prout de more, litanias praecinentibus, in platea sancti Petri ab utroque Clero urbis receptus, Solium ascendit et Cardinales ad obedientiam recepit.

Subinde ab Eiho Cardinali Sacri Collegii Subdecano postulationem excepit pro dogmatis definitione corporeae Assumptionis in caelum B. Mariae Virginis, his verbis factam.

BEATISSIME PATER,

Summo honori mihi est, Sacri Cardinalium Collegii, Catholicorum Antistitum universorumque christifidelium nomine, á 'Sanctitate Tua instanter efflagitare ut supremo iudicio Tuo, ex Iesu Christi pollicitationibus fallenti numquam, pronuntietur ac definiatur Deiparam Virginem Mariam, post terrestre hoc exsilium, anima corporeque fuisse in Caelum evectam. Velit Sanctitas Tua hac nova fulgenti gemma diadematam frontem exornare dulcissimae Matris nostrae, eiusque in terris amplificare gloriam atque Angelorum Sanctorumque in Caelis augere gaudium. Ac velit ipsa magna Dei Parens uberrimum supernarum gratiarum imbrem a Divino Filio suo nobis omnibus impetrare.

Tum Sanctissimus respondit :

Non sine Aeterni Numinis consilio sollemnis haec hora advenit. Quod iam diu Catholica Ecclesia communibus exoptat votis vehementerque praestolatur, quod dignitas ipsa magnae Dei Matris postulat, ut ea nempe animato corpore una cum

Filio suo in caelesti beati tate triumphet, id iam in eo est ut rite a Nobis pronuntietur ac definiatur. Cupimus tamen non ante hac de gravissima causa sententiam edere Nostram, quam imploratum ab omnibus, quotquot adestis, Sancti Spiritus iubar luculentius usque menti Nostra affulgeat.

His dictis, sequutus est cantus hymni *Veni Creator* cum *Oremus.*

Tunc Summus Pontifex, sedens cum mitra, ceteris omnibus operto capite stantibus, elata voce ex Cathedra Divi Petri pronunciavit definitionem dogmaticam Beatae Mariae Virginis corporeae in caelum Assumptionis, verbis in Constitutione Apostolica, uti supra, contentis. *

Postea Cardinalis Subdecanus, gratias agens Pontifici, dixit :

Immortales Tibi grates agimus, Beatissime Pater, quod catholici orbis obsecundans votis, hac decretoria sententia Tua ad pietatem erga Deiparam Virginem refovendam, ad sanctae promovendum religionis incrementum et ad huius Anni Sacri adaugendum decus tantopere contulisti. Abs Te autem demisse poscimus ut de dogmatis huius definitione Apostolicas Litteras in lucem proferri iubeas.

Subinde Summus Pontifex respondit : *Decernimus* et Advocatus Consistorialis rogavit Protonotarios Apostolicos ut Instrumenta super sollemni eiusmodi definitione conficerent.

Expleto cantu hymni *Te Deum laudamus* cum *Oremus* ad Beatam Mariam Virginem in caelum Assumptam, Beatissimus Pater coram innumera multitudine Cleri et Christifidelium exsultantium, Beatae Deiparae Virgini hosanna clamantium ac veneratissimo Patri grati animi ac devotionis sensus depromentium, haec verba fecit :

« Venerabili Fratelli e diletti figli e figlie, accorsi alla Nostra presenza, e voi tutti che Ci ascoltate in questa Roma santa e in ogni regione del mondo cattolico!

Commossi per la proclamazione, come dogma di fede, dell'assunzione della Beatissima Vergine in anima e in corpo al cielo ; esultanti per il

* V. pag. 753 ss.

gaudio che inonda il cuore di tutti i credenti, appagati nei fervidi loro» desideri; proviamo irresistibile il bisogno di elevare insieme con voi un inno di ringraziamento all'amabile provvidenza di Dio, che ha voluto^ riservare a voi la letizia di questo giorno e a Noi il conforto di cingere la fronte della Madre di Gesù e Madre nostra, Maria, col fulgido diadema, che ne corona le singolari prerogative.

Per imperscrutabile disegno divino, sugli uomini della presente generazione, cosi travagliata e dolorante, smarrita e delusa, ma anche salutarmente inquieta nella ricerca di un gran bene perduto, si apre un lembo* luminoso di cielo, sfavillante di candore, di speranza, di vita beata, ove siede Eegina e Madre, accanto al Sole della giustizia, Maria.

Da lungo tempo invocato, questo giorno è finalmente Nostro; è finalmente vostro. Voce di secoli — anzi, diremmo, voce della eternità — è la Nostra, che, con l'assistenza dello Spirito Santo, ha solennemente definito l'insigne privilegio della Madre celeste. E grido di secoli è il vostro, che oggi prorompe nella vastità di questo venerando luogo, già sacro alle glorie cristiane, approdo spirituale di tutte le genti, ed ora fatto altare e tempio per la vostra traboccante pietà.

Come scosse dai palpiti dei vostri cuori e dalla commozione delle vostre labbra, vibrano le pietre stesse di questa Patriarcale Basilica, e insieme con esse pare che esultino coìi arcani fremiti gl'innumerevoli e vetusti templi, innalzati per ogni dove in onore dell'Assunta, monumenti di un'unica fede e piedistalli terrestri dei trono celeste di gloria della Regina dell'universo.

In questo giorno di letizia, da questo squarcio di cielo, insieme con l'onda dell'angelica esultanza, che si accorda con quella di tutta là Chiesa militante, non può non discendere sulle anime un torrente di grazie e d'insegnamenti, suscitatori fecondi di rinnovata santità.

Perciò a così eccelsa creatura Noi leviamo fidenti gli occhi da questa; terra, in questo nostro tempo, tra questa nostra generazione, e a tutti gridiamo : in alto i cuori!

Alle tante anime inquiete ed angosciate, triste retaggio di una età sconvolta e turbolenta, anime oppresse ma non rassegnate, che non credono più alla bontà della vita e solo ne accettano, quasi costrette, l'istante, l'umile ed ignorata fanciulla di Nazaret, ora gloriosa nei cieli, aprirà visioni più alte, e le conforterà a contemplare a quale destino e a quali opere fu sublimata Colei, che, eletta da Dio ad essere Madre del Verbo^ incarnato, accolse docile la parola del Signore.

E voi, più particolarmente vicini al Nostro cuore, ansia tormentosa dei Nostri giorni e delle Nostre notti, sollecitudine angosciosa d'ogni

nostra ora, voi, poveri, malati, profughi, prigionieri, perseguitati, braccia senza lavoro e membra senza tetto, sofferenti di ogni genere e di ogni paese ; voi a cui il soggiorno terreno sembra dar solo lacrime e privazioni, per quanti sforzi si facciano e si debbono fare, affine di venirvi in aiuto, — innalzate lo sguardo verso Colei, che prima di voi percorse le vie della povertà, del disprezzo, dell'esilio, del dolore, la cui anima stessa fu trafitta da una spada ai piedi della Croce, ed ora fissa non titubante l'occhio nell'eterno lume.

A questo mondo senza pace, martoriato dalle reciproche diffidenze, dalle divisioni, dai contrasti, dagli odi, perchè in esso è affievolita la fede e quasi spento il senso dell'amore e della fraternità in Cristo, mentre supplichiamo con tutto l'ardore che l'Assunta segni il ritorno del calore d'affetto a di vita nei cuori umani, non Ci stanchiamo di rammentare che nulla mai deve prevalere sul fatto e sulla consapevolezza di essere tutti figli di una medesima Madre, Maria, che vive nei cieli, vincolo di unione per il Corpo mistico di Cristo, quale novella Eva, e nuova madre dei viventi, che tutti gli uomini vuol condurre alla verità e alla grazia del suo Figlio divino.

Ed ora prostrati devotamente preghiamo! ».

« O Vergine Immacolata, Madre di Dio e Madre degli uomini.

1. - Noi crediamo con tutto il fervore della nostra fede nella vostra assunzione trionfale in anima e in corpo al cielo, ove siete acclamata Regina da tutti i cori degli Angeli e da tutte le schiere dei Santi;

e noi ad essi ci uniamo per lodare e benedire il Signore, che vi ha esaltata sopra tutte le altre pure creature, e per offrirvi l'anelito della nostra devozione e del nostro amore.

2. - Noi sappiamo che il vostro sguardo, che maternamente accarezzava l'umanità umile e sofferente di Gesù in terra, si sazia in cielo alla vista della umanità gloriosa della Sapienza increata, e che la letizia dell'anima vostra nel contemplare faccia a faccia l'adorabile Trinità fa sussultare il vostro cuore di beatificante tenerezza ;

e noi, poveri peccatori, noi a cui il corpo appesantisce il volo dell'anima, vi supplichiamo di purificare i nostri sensi, affinchè apprendiamo, fin da quaggiù, a gustare Iddio, Iddio solo, nell'incanto delle creature.

3. - Noi confidiamo che le vostre pupille misericordiose si abbassino sulle nostre miserie e sulle nostre angoscie, sulle nostre lotte e sulle nostre debolezze ; che le vostre labbra sorridano alle nostre gioie e alle nostre vittorie ; che voi sentiate la voce di Gesù dirvi di ognuno di noi, come già del suo discepolo amato : Ecco il tuo figlio ;

e noi, che vi invochiamo nostra Madre, noi vi prendiamo, come Giovanni, per guida, forza e consolazione della nostra vita mortale.

4. - Noi abbiamo la vivificante certezza che i vostri occhi, i quali hanno pianto sulla terra irrigata dal sangue di Gesù, si volgono ancora verso questo mondo in preda alle guerre, alle persecuzioni, alla oppressione dei giusti e dei deboli ;

e noi, fra le tenebre di questa valle di lacrime, attendiamo dal vostro* celeste lume e dalla vostra dolce pietà sollievo alle pene dei nostri cuori, alle prove della Chiesa e della nostra patria.

5. - Noi crediamo infine che nella gloria, ove voi regnate, vestita di sole e coronata di stelle, voi siete, dopo Gesù, la gioia e la letizia di tutti gli Angeli e di tutti i Santi ;

e noi, da questa terra, ove passiamo pellegrini, confortati dalla fede nella futura risurrezione, guardiamo verso di voi, nostra vita, nostra dolcezza, nostra speranza; attraeteci con la soavità della vostra voce, per mostrarci un giorno, dopo il nostro esilio, Gesù, frutto benedetto del vostro seno, o clemente, o pia, o dolce Vergine Maria ».

Benedictione Apostolica postea sollemni forma Urbi et Orbi impertita, Summus Pontifex, gestatoria sella conscensa, in Basilicam vaticanam evehitur Missam Papalem de Assumptione Beatae Mariae Virginis, siieto ritu, celebraturus.

EPISTULA ENCYCLICA

AD EXCMOS PP. PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES : QUIBUS QUAESTIO PROPONITUR DE ASSUMPTIONE CORPOREA BEATAE VIRGINIS MARIAE TAMQUAM DOGMATE FIDEI PROPONENDA AC DEFINIENDA.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Deiparae Virginis Mariae cum christifideles adsiduum invocent atque experiantur auxilium, eam magis magisque colere student; ac quandoquidem amor, si verus aliusque pectoribus insideat, ad nova sui ipsius testimonia proferenda proclivis est, impensioris in eam religionis observantia saeculorum decursum decorare atque augere contendunt. Qua de causa — idque Nobis persuasum est — contingit, ut crebro iam dudum

Apostolicae Sedi supplices afferantur litterae — quae quidem, ab anno- **MDCcciL** ad annum **MDCCCCXL** receptae, in duo volumina compactae ibidemque, opportunis commentationibus illustratae, recens typis excusae sunt — a Patribus Cardinalibus, a Patriarchis, ab Archiepiscopis et Episcopis, a Sacerdotibus, a religiosis viris et feminis, a Sodaliciis et a studiorum Universitatibus, ab innumeris denique privatis christifidelibus eo consilio datae, ut sollemni oraculo renuntietur et definiatur tamquam dogma fidei Beatam Virginem Mariam cum corpore ad Caelum assumptam esse. Ac nemo profecto ignorat id etiam a ducentis ferme Vaticani Concilii Patribus, flagrantibus votis, fuisse petitum.

Nobis autem Christi regno tuendo iuvandoque praepositis, tum quae ei obsunt arcendi, tum ea provehendi quae ei prosunt, iugis cura et pervigil debet esse officium. Perpendenda igitur investigandaque inde a Summi Pontificatus exordio Nobis occurrit quaestio, an memoratis postulationibus, potestate Nostra interposita, obsecundare liceat, deceat, expediat. Huius rei causa non omisimus neque omittimus Deo enixas adhibere preces, ut semper adorandae suae benignitatis consilium Nobis adspiret atque aperiat.

Ad hoc caelestis lucis propitiandum auxilium Nostris precibus pia contentione vestras, Venerabiles Fratres, adiungite. Ad quod quidem faciendum, dum paterno vos adhortamur animo, Decessorum Nostrorum, ac praesertim Pii IX, Deiparam sine originali labe conceptam definituri, rationem et viam secuti, enixe vos rogamus, ut Nobis significare velitis qua devotione, pro sua quisque fide ac pietate, clerus populusque moderamini vestro commissus Beatissimae Virginis Mariae Assumptionem prosequatur. Praesertim autem nosse quam maxime cupimus, an vos, Venerabiles Fratres, pro eximia vestra sapientia et prudentia censeatis Assumptionem corpoream Beatissimae Virginis tamquam dogma fidei proponi ac definiri posse, et an id cum clero et populo vestro exoptetis.

Responsa autem exspectantes vestra, quae quanto citiora tanto gratterà Nobis erunt, Dei munerum largitatem atque opiferae praecelsae Virginis favorem vobis, Venerabiles Fratres, vestratibusque adprecamur, dum paternae Nostrae benevolentiae testem et vobis et gregibus curae vestrae commissis Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die **i** mensis Maii, anno **MCMXLVI,»** Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. XII

ORATIO

AD PATRES CARDINALES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, CETEROSQUE LOCORUM ORDINARIOS, OB SOLLEMNEM DOGMATICAM DEFINITIONEM CORPOREAE IN CAELUM ASSUMPTIONIS B. MARIAE V. ROMAE COADUNATOS. *

Penitus commoto animo, ut raro in Pontificatus Nostri annorum decursu experti sumus, vos hodie salutamus, Venerabiles Fratres, gaudium .Nostrum et Nostrae sertum laetitiae. Huius suavis mentis affectus -causa vobis patet. Sempiterni Numinis consilium, cuius natura est bonitas, Nos, qui ab ineunte aetate Almam Dei Matrem flagrantissima religione colimus, licet haud merentes, delegit, ut supremi magisterii Nostri oraculo obsignaremus et, erroris immuni sententia, ediceremus fidei veritatem esse caeli tus lapsam Deiparam Virginem augustam ab origine labis nesciam in supernas sedes anima et corpore fuisse assumptam.

Quamobrem solatio afficimur et gaudemus, quemadmodum et heri valde gavisi sumus, cum permulti Nos, sacri ministerii Nostri summa praerogativa usos, circumstetistis et conspectu vestro confirmasti^ fere unanima, quae edidistis, suffragia, testes etiam fidei gregum vestrorum de tanto hoc, quod ad Matrem Dei et nostram pertinet, mysterio.

Grandem hanc transire horam vobiscum animadvertimus. Nunquam profecto in ecclesiasticae historiae fastis relatum legimus, si excipimus id quod tempore Oecumenici Concilii Vaticani contigit, maiorem quam nunc episcoporum cohortem Petri, Apostolorum Principis, Successorem circumsaepsisse. Technicae disciplinae validior usque ratio et pe ritia in commeatibus provehendis effecit sane ut haec feliciter contingeret, haud sine magno ecclesiasticae unitatis emolumento. Quamobrem grates persolvimus providentissimo Deo, quod huiusmodi artis praesidium hodierno conlatum est tempore, cum, caelesti gratia ciente, et in sacris pastoribus et in christifidelibus eorum curae commissis vehemens unitatis voluntas, efficientior quam nullo fortasse alio aevo, sliccrescit.

Quod autem vos e dissitis, imo etiam extremis mundi partibus huc confluxistis, nova et luculentissima testificatione id naturam evincit Ecclesiae Christi, quae ambitu gremioque suo omnes complectitur gentes. Spectaculis, quae hic Annus Sacer, ut nullus ex anteactis, paravit concursus iste conventusque vester veluti fastigium imponit, cum perspicue admodum demonstret quomodo catholici homines cuiuslibet subolis et linguae fide et caritate coalescant.

* Habita die 2 Novembris anno 1950.

At yero sine acerbo animi moerore id reticere non possumus, quod non Ecclesiae noxiae deputandum est, sed vi et coactione extrinsecus illata provenit. Absunt, heu! absunt vestro in numero et in pie peregrinantium turmis christifideles regionum, in quibus recusata est libertas se pacifice iungendi cum fratribus eandem fidem profitentibus in hac alma urbe, christiani orbis amata et amanti parente et principe sede. O desideratissimi filii, sacris libertatis iuribus lamentabiliter privati, nullo modo in oblivione Nostra iacetis, ex animo Nostro non excidistis; quin etiam, si aequum esset caritatem Nostram erga Christi oves gradus admittere, primas ipsi haberetis benevolentiae Nostrae partes. Quotidianas instantes fundimus Deo preces pro vobis et pro gentibus, ex quibus estis. Scimus curvo dignoscere rectum, scimus distinguere populos ab ideologiis, quae quidem iisdem iniunguntur, quamvis et temporale et sempiternum exitium secum ferant. Quodsi quasdam ideologías reiecicimus et condemnavimus, hoc neque contra aliquas gentes neque contra quamlibet rempublicam, qua talis est, egimus, sed solummodo erratis opinionibus reclamavimus, quae e terrarum orbe ipsam aeterni Numinis notionem oblitterare et christianam fidem delere contendunt atque ad impium eiusmodi perficiendum consilium politicarum factionum potentia utuntur. Nihil elocnti sumus et egimus, nisi quod officii Nostri conscientia, quae Nobis est iussum, poposcit.

Numquid praeterea opus est in oratione, quam nunc ad vos habemus, propulsari accusationem, qua aliqui — quosnam a Nobis innui omnibus patet — insimulant Romanum Pontificem velle bellum et suam impendere operam, ut bellum confitetur et exardescat, et adiutorem se hac in re praestare alicui Civitati magnae quidem validaeque potentiae? Si postremis hisce annis, vix universali bello confecto, gentes iactari et commoveri non destiterunt, veluti cum tellus motibus identidem concutitur, ob reformidatum novum armorum conflictum, culpa minime est conicienda in Ecclesiam et in Summum eius Antistitem, qui iuris, iustitiae, pacis adsidui tutores et assertores fuerunt et sunt. Quod Nostrum reputavimus officium de bello et de pace iudicare, aperta fronte et libero ore egimus — ut alia documenta Nostra taceamus — per radiophonicum Nuntium in pervigilio festi Dominici Natalis anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo ad omnes gentes habitum. Tunc re vera non putabamus tam brevi futurum esse, ut rerum eventus dicta Nostra confirmarent. Absit tamen, ut ex animo Nostro labatur spes pacem servari et defendi posse, sine novae praeliorum conflagrationis periculo. Sinistra praevisa mala depellat Deus, apud quem non erit-im -

possibile omne verbum.[1] Deum deprecetur benignissima Mater gratiae, mater misericordiae Maria ad veri nominis pacis causam tuendam. Hanc instantissimam primam adhibemus precem caelorum Reginae, cuius adaugere laudem et honorem vehementer laetati sumus. Vos autem, Venerabiles Fratres, clerum populumque vigilantiae vestrae commissum adhortamini, ut germanae paci fovendae, caritate, precibus, sese devovendi studio nullo non tempore et summopere auxiliari nitantur.

* * *

Spiritalibus igitur armis arreptis, sacrum quoddam sub signo Crucis certamen iidem conserant. Hac usi occasione nunc Nobis oblata, vobis, Venerabiles Fratres, et universis qui catholico nomine censentur, volumus palam significare quod iam diu saepius Nobiscum reputamus. Scitis profecto ecclesiasticum abstinentiae et ieiunii praeceptum postremis hisce annis valde remissum esse, impellentibus rerum adiunctis ingentis catholicorum hominum numeri, eorum cumprimis, qui magnas incolunt urbes et in officinis et fabricis dant operam : iis antiquae legis observatio ardua, ac fere impossibilis erat. Quare nuper memorata immutatio ad tempus illata est.

Christifideles autem nostri aevi a virtute maiorum dégénèrent, si nunc temporis, quo acriter saeviunt plures uno ex illis malis daemonibus, qui, ut ait Divinus Magister, solummodo precibus et ieiunio vinci possunt,[2] et adeo spiritalis sui immolatio quam maxime necessaria est ad tot mala moralis et socialis ordinis superanda et amovenda, ii voluntariae poenitentiae operibus, nostrae aetati consonis, pristini venerabilis praecepti relaxationem non compensent. Id nimirum iam contingit. Quod enim ad caritatis opera attinet post universale postremum bellum et ipsius belli tempore perfecta, haud levi cum animi Nostri solatio fatemur catholicorum hominum liberalitatem tantam fuisse, ut ea nullam timeret comparationem cum quolibet largitatis specimine, exactis aetatibus dato. Pro parte Nostra, hanc etiam nacti occasionem, gratias exsolvimus sacris catholici orbis Antistitibus, illis imprimis, qui in regionibus opum divitibus sacra munera obeunt, et fidelibus eorum curae concreditis, propterea quod Nobis abunde suppeditarunt auxilia, quibus tot egenorum inopiam efficaciter allevaremus.

Praeter largitionum memoratam munificentiam, experimentis deprehendimus nunc quoque in Ecclesia poenitentiae studium vigere, quod quidem tum vel apertissime proditur, sive cum adversae res et egesta-

[1] Cfr. Luc. I, 37.

[2] Cfr. MATTH. XVII, 20.

tes quas Deus aut permittit aut mittit, forti tranquilloque animo sustinentur, sive cum voluptatibus et immodicis oblectamentis sponte abstinetur.

Non possumus autem verbis significare voluptates et oblectamenta, quin conqueramur et deploremus intolerabiliter invalescentes luxuosos sumptus, cum miseriis et inopia multorum asperrime pugnantes. Luxus sane et voluptatum cupiditas consectaria rationis et instituti vitae sunt, quae « materialismo » inquinatur, et eidem consentaneus mores compingunt. Numquid aliter evenire potest? Etenim, cum homo amittit suae dignitatis conscientiam, cum in agendo modum et aequilibritatem reicit, cum quae spiritualia, supernaturalia et aeterna sunt, non considerantui*, nedum utpote sincerus felicitatis fons reputentur, tum avaritia et terrestrium bonorum effrena appetentia exundant, ac pro Dei numinis et maiestatis reverentia mechanicae artes et bruta hebesque vis coluntur. Laudationes, quas antea adhibuimus, non retrahimus, non revocamus. At nequit ignorari et negari hic voluptatum ac luxus aestus, qui torrentis modo effusus non praeterlabitur, quin etiam catholicos homines attingat et hic illic etiam notabiliter eorum fines camposque penetret. Mater benigno et indulgenti animo, Ecclesia libertatem non arctat nisi in iis, quae cum christianae vitae simplicitate et cum morum legibus servandis, necnon cum officio, quo tenemur, alienae indigentiae subveniendi non dissident. Nonne laetitia catholicis gentibus quasi nota et ornamentum est? At fas non est quaesita oblectamenta vitae nequi et honesti limites praetergredi.

Contra huiusmodi incontinentiam hortamur et compellimus omnes, ut sub signis christianae abstinentiae et devovendi se studii ultra quod morales leges praescribunt, volentes militent, pro uniuscuiusque propriis viribus, prout Dei gratia exstimulat, prout munus, quod exercetur, concedit. Multiplices metae ita assequendae sunt. Ante omnia sua quisque, poenitentiae ope, expiabit admissa, eluet ex animo vitiorum maculas, sanctior et validior usque fiet. Dein fratribus eandem fidem profitentibus et iis qui foris sunt, exemplo et incitamento erit; quae subtraxerit vanitati, impendet caritati, et Ecclesiae et pauperum necessitatibus misericors Occurret. Priscae Ecclesiae fideles se ita gesserunt et, ieiunando et abstinendo a licitis quoque rebus, opiferae caritatis fontes aluerunt. Quae sequi exempla dignum est laude necnon prorsus conditioni et statui nostri aevi est congruens, non solum in hac vel illa regione, quae spontaneae liberalitatis praecellat virtute et Ecclesiae indigentiis obveniat, sed in omnibus, nulla excepta, orbis terrarum plagis.

Hoc, Venerabiles Fratres, magnopere Nobis cordi est, ut, id quod

suademus pleno vigeat effectu. Etiam nobis, ut primaevis christianis, Apostoli Pauli sonat hortamen ((Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » . [3] Nostrum est omnium desudare, ut idem ait Apostolus, « in patientia, ... in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis ... in caritate non ficta»[4] ad aedificationem Eegni Bei. Nonne sacerdotibus aperte expressum tonat illud : « ... Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar »? [5]

Hoc est profecto alterum propositum, quo ducti Deiparae magnas adhibemus preces: velit Maria, in caelum assumpta, cuius anima et corpus perfecte et absolute quamlibet culpam, inordinatam perturbationem, indomitam impulsionem nescierunt, spei Nostrae impletionem a divino Filio Suo impetrare.

* * *

Praeter haec, si attentiore diligentia considerantur adiuncta temporis, quo vivimus, pergrandes quaestiones, eae scilicet quae ad matrimonium et ad familiam pertinent, defixius ad se Nostrum revocant obtutum et studium. Neque Nos falli arbitramur, si perpendimus inordinationem, quae coniugium et familiae institutum late penitusque perturbat, hodiernam hominum societatem veluti pestem inficere et animorum saluti perniciem afferre. De quibus quaestionibus, sive ad theoriam sive ad- usum quod attinet, licet incredibiliter multa scripta sint, tamen deforme malum aggravatur, recrudescit. Nimirum aliter contingére nequit, quoad qui vulneri mederi conantur et ii pro quibus parandum est remedium seiungunt matrimonium a divina lege, qualem hominis natura undique versus denuntiat et Ecclesiae doctrina pariter promulgat.

Sermo nescit aeque pingere lutulentum torrentem librorum, libellorum, commentariorum, ephemeridum cuiuslibet generis, ubi verbis et delineatis imaginibus, futilitatis et inverecundiae plenis, populi sanum iudicium et rectus humanitatis sensus corrumpuntur.

Profecto haud ignoramus neque parvi pendimus progressiones, de quibus medicina, psychologia et socialis doctrina gloriantur ; quin etiam valde cupimus, ut ethica, theologia moralis, animorum curatio, de re matrimoniali disposita consultatio, instituta familiarum bono prevenendo iis utantur. Id vero reprehendimus et improbamus, quod praeter et

[3] ***Col.*** I, 24.
[4] ***II Cor.*** VI, 4-6.
[5] ***I Cor.*** IX. 27.

ultra honestas et severas indagationes miserabiles succrescunt litterae, falso et commenticio nomine doctrinae, quae, rudes et ignaros lectores excitant ad mórbidas illecebras sen tiendas et ad tegendos in se, fucata specie scientiae, tenebrosos corruptelae instinctus.

Dedecet doctrinae cultores vel artem exercentes aliqua, quae utiliter ipsi norunt, clientibus suis imprudenter palam facere, haud sine animi et corporis damno. Cavendum siquidem est, ne obtineat errata opinio, quae « illuminismi » tempore invaluit, simpliciter nempe nosse causam esse, cur homo eiusque vitae actus boni fiant. Quod opinari si semper periculosum, hac in re exitiale est.

Neque minus noxia sunt quae in populum ideo proferuntur et ex composito divulgantur, ut artificiose publica confitetur opinio, quae quidem opinio, non sine compressione moralis et saepius oeconomici generis, utriusque sexus necessitudines regat et in coniugio ineundo et in fa milia instituenda agendi modum insinuet. Nonne ita moralis ordo pessumdatur, cum homo, imago Dei, in iis quae ad suam intimam spectent personam se ducendum praebeat iis qui foede solummodo utilia undique extricant? Sana sinceraque publica opinio de re coniugali deque familia haud dubie virium momentum est, quod valeat ad suadenda principia normasque vitae ; itaque necessaria est.

At, si ea sana dicitur et revera est, non solum extrinsecus illatum est praescriptum, sed apprime et semper disciplina, quae ex integra natura hominis scaturit et quae hominem Deo Deique legi devincit.

Haec autem arcta coniunctio matrimonii et familiae cum lege Dei considerationis Nostrae est veluti apex et cardo. Solummodo haec obtemperatio nuptiali foederi contra hominum levitatem, inconstantiam, mutabilitatem in arduis vitae discriminibus omnino necessarium praesidium dat atque tutamen. Quod quidem etiam in adversis rerum adiunctis beneficam suam exserit vim, neque propriam domesticae societatis indolem laedit, neque vinculum, quod coniuges inter se nectit, falsum et infidum reddit.

Quo super argumento etiam haud pauci catholici homines confuse et perperam censent. Falsi enim nominis philosophia docet prorsus oportere, contemnatur et reiciatur norma exstrinsecus data, lex nempe, quasi a vera hominis natura sit aliena et hostiliter dissolvat integrae et fecundae robur vitae. Patet igitur ex perversa istiusmodi philosophia sane metuendam exoriri perniciem sanctis coniugii et familiae moribus, quales florem, si et ubi doctrina viget Ecclesiae. Quocirca nihil pluris interest quam ut tempestive et quam latissime divulgetur hoc doctrinae caput, hominem nempe ad temporalem et sempiternam felicitatem as-

sequendam natum, neutram attingere posse, nisi officio, quo tenetur, satisfaciat et legi obtemperet Dei.

Hoc siquidem amoto vinculo, res sunt quae neque intellegi neque statui possunt : suae uniuscuiusque personae tuendae et perficiendae ius, eiusdem personae libertas, actuum nostrorum rationis reddendae conscientia. Quodsi quis appellat ad libertatis donum sibi a Deo concessum, ut ab ordine divino servando se solutum declaret, verba inter se pugnan tia effutit. Haec via numquam carpi potest, quia flagitiosa et noxia, etiam cum quis auxilium ferre velit hominibus in asperis quoque coniugalis vitae discriminibus. Ergo perniciosum cum Ecclesiae tum civili societati est, si animorum curatores, in docendo et in usu vitae, sueto ex more et consulto tacent, cum in coniugio violantur Dei leges, quae semper vigent, quemcumque sors tulerit casum. Excusationes quaeruntur praecipue ex inopia rerum, ex rei familiaris tenuitate, quae matrimonii et familiae asperum statum et condicionem parere solent. Paterni animi affectu haec omnia miseramur et deflemus. Attamen fas non est recedere a stabili firmaque ratione divini ordinis. Ne hic usquam et unquam cedat; sed socialis vitae rerum adiuncta, tanta impellente necessitate, meliora fiant oportet. Quodsi ad salubrem huiusmodi mutationem quisquis christiano nomine honoratur, iustitiae et caritatis impulsu, suam debet operam impendere, eo vel maxime hoc interest, cum agitur de auxilio conferendo ingenti hominum multitudini, qui, solummodo durissimis devictis difficultatibus, coniugalem vitam aequam, rectam, felicem ducere valent.

Nunc vero saepius per ora hominum hoc verbum volat : socialis securitas. Si hoc idem est ac dicere securitatem ope societatis, Venerabiles Fratres, valde metuimus, ne matrimonium et familia detrimentum capiant. Quodnam detrimentum? Timemus non solum, ne civilis societas aliquid aggrediatur, quod per se a suo munere alienum est, verum etiam ne sensus christianae vitae et eiusdem vitae componenda ordinatio languescat, quin imo restinguantur. Hac appellatione iam proferri audiuntur Malthusiana postulata; iam eadem appellatione **Violanda** quaeruntur, quemadmodum alia humanae personae iura aut saltem eorum usus, etiam iura, quae ad conubium et ad prolem spectant. Christifidelibus et generatim iis qui Deum esse credunt, socialis securitas aliud esse nequit nisi securitas in societate et cum societate, in qua naturalis hominis vita et naturalis coniugii et familiae ortus et progressus quasi fundamentum sint, in quo nixa ipsa societas ordinatim et tuto sua exerceat munera.

Cum recens calamitosissima ver ferunt tempora, familia, quamvis

multipliciter debilitata, profecto ostendit, quonam obsistendi robore polleret. Hac namque insita sibi vi cetera humana instituta omnia facile devincit. Quocirca si humanae societati iuvandae actuose contendatur, nihil praetermittendum est, quin familia servetur, sustentetur et suae ipsius tuitioni sit idonea. Hoc utique tertium est, quod instantissimis precibus a Beatissima Virgine Maria ad caelos assumpta postulamus. Ubi matrimonium et familia in rebus tam adversis et iniquis sunt, ut ardua superandi spes nutet, velit Maria validissima deprecatione supplicare Beo Creatori et Redemptori, ut homines redeant ad celsam coniugii formam, qualem Ipse voluit et constituit, verendam, atque ut omnes Ecclesiae filii semper et solummodo inter se ope sacramenti nuptialia foedera conserant et casto suo conubio veluti sacra imagine repraesentent mirandam Christi et Ecclesiae coniunctionem.

Ubi autem christianis exornata moribus florent intemerata conubia, pari gressu et progressu casta floret virginitas, amore alita Christi. Vestrum, quaesumus, adhortamini clerum, ut praecelsae huiusmodi vitae formam, quae Angelis homines adaequat, plurimi ducat, religiose colat et aliis quoque ad tam nobile terendum virtutis iter suadeat, praesertim ad femineum pertinentibus sexum, cuius si languescit in apostolatu exercendo sociata opera, magna damna perpetitur Ecclesia.

* * *

Hae, quas rettulimus, tres sunt enixae supplicationes, quas, efficaci invocato benignissimae Mariae Virginis patrocinio, Deo adhibemus ; ac pro certo habemus fore, ut vestrum, Venerabiles Fratres, in iisdem fundendis optatum habeamus consortium. His autem, de quibus locuti sumus, opus Nobis non est duo addere argumenta, quae summi quidem momenti Nobis cordi sunt, alterum scilicet quod attinet ad catholicam doctrinam integram et indemnem servandam, alterum vero quod spectat ad cleri optimam institutionem et sanctitatem promovendam. Haec enim fuse lateque tractavimus in Encyclicis Litteris « Humani generis » et in Apostolica Adhortatione « Menti Nostrae ». Attamen in hoc amplissimo et singulari conventu cupimus avemusque fateri animum Nostrum pie grateque commoveri, cum sacrorum Antistites catholici orbis celso videmus ita suo perfungi officio, ut ipsis, fideliter Beatissimi Petri Successori semper inhaerentibus, nec desint rectae conscientiae actuosa. vigilantia et perspicax religionis provehendae studium neque strenue agendi infiammata voluntas.

Spumantes insiliant ac sine intermissione alii alios subsequantur

Auctus saevientis procellae, quae sive intrinsecus coorta, sive extrinsecus exorta Ecclesiam contristet; eorum autem frustrata collidetur impulsio contra eam immobilem, de qua diximus, unitatis voluntatem, quemadmodum divinus Redemptor in postrema Sua sacerdotali prece [6] commendavit, ne de Christi promissione quoque loquamur, qua Ipse infernas portas contra Ecclesiam praevalere non posse [7] vaticinando asseruit.

Animo denique solatio et laetitia sancta repleto, vobis omnibus, Venerabiles Fratres, qui hic nunc adstatis, et cunctis conlegis vestris, qui ubique terrarum sunt, necnon sacerdotibus et christifidelibus curae vestrae concreditis perquam amanter et libenter Apostolicam Benedictionem impertimus.

* Cfr. Io. XVII, 21-23.

[7] MATTH. XVI, 18.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO RITUM

NOVA MISSA IN ASSUMPTIONE B. MARIAE V. APPROBATUR

Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE B. M. V.

Introitus. Ap. 12, 1. Signum magnum apparuit in caelo : mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius coróna stellárum duodecim. •

Ps. 97,1. Cantate Dómino canticum novum : quia mirabilia fecit.

f. Gloria Patri.

Oratio

Omnipotens sempiterne Deus, qui Immaculatam Virginem Mariam, Filii tui Genitricem, corpore et ánima ad caelestem gloriam assumpsisti : concede quaesumus ; ut ad supèrna semper intènti, ipsius gloriae mereámur esse consortes. Per eumdem Dominum.

Lectio libri Judith

Judith IS, 22-25; 15, 10

Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Dómino Deo excelso, prae ómnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit caelum et terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum ; quia hodie nomen tuam ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum, pro quibus non pepercisti animae tuae propter angustias et tribulationem generis tui,

sed subvenisti minse ante conspectum Dei nostri. Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri.

Graduale. Ps. !¡lj, 11-12 et Vf. Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, et concupìscet rex pulchritudinem tuam. t- Tota decora ingreditur filia regis, textura* áurea* sunt amictus eius.

Alleluja, alleluja, f- Assumpta est Maria in caelum : gaudet exercitus Angelorum. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam

Luc. X, kl-50

In illo tempore : Repleta est Spiritu Sancto Elisabeth et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuse in auribus meis, exsultávit in gaudio infans in útero meo. Et beata, quae credidisti, quoniam perficietur ea, qua? dicta sunt tibi a Dómino. Et ait Maria : Magnificat ánima mea Dominum; et exsultávit spiritus meus in Deo salutari meo ; quia respéxit humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius a progénie in progénies timen tibus eum.

Credo.

Offertorium. Gen. S, 15. Inimicitias ponam inter te et Mulierem, et semen tuum et Semen illius.

Secreta

Ascendat ad Te, Dómine, nostrae devotionis oblatio, et, Beatissima Virgine Maria in caelum assumpta intercedente, corda nostra, caritatis igne succénsa, ad Te jugiter adspirent. Per Dominum.

Communio. Luc. 1, ***1¡8-J¡9.*** Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salutaribus sacramentis, da quaesumus, ut, meritis et intercessióne Beata? Virginis Maria? in caelum assumpta?, ad resurrectionis gloriam perducantur. Per Dominum.

URBIS **ET** ORBIS

Ingenti populi christiani laetitia, declaratione B. Mariani Virginem corpore et anima in caelum assumptam esse suscepta,' ut etiam in sacra liturgia memoria huius faustissimi eventus haberetur, Sacra Rituum Congregatio novam hanc Missam in honorem B. Mariae V. in caelum assumptae conficere curavit.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XII, referente infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto, illam approbare dignatus est, et in Missali Romano, die 15 Augusti, loco veteris, inserendam mandavit.

Decrevit insuper eadem Sanctitas Sua ut Litaniis Lauretanis post invocationem ((*Regina sine labe originali concepta* » addatur : « *Regina in caelum assumpta* ».

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 31 Octobris 1950.

C. Card. **MICARA**, Episc. Veliternus, *Praefectus*

L. © S .

f A. Carinci, Archiep. Seienden., *Secretarius*

An. et vol. XXXXII 9 Decembris 1950 (Ser. IT, v. XTII) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES, PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS j EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: ITERUM INDICUNTUR SUPPLICATIONES AD POPULORUM CONCORDIAM CONCILIANDAM.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Mirabile illud, fraternae concordiae spectaculum, quod per Anni Sacri cursum innumerae christifidelium multitudines, ex cunctis fere gentibus pio peregrinantium more Romam confluentes, praebuere, videtur Nobis quasi monitoriam habere vocem, omnibusque sollemniter testari populos universos non bellum, non discordiam, non odium velle, sed pacem percipere, sed animorum unitatem, sed christianum illuni amorem, ex quo solummodo melior ac felicior oriri potest aetas. Nos ut monitoriam eiusmodi vocem omnes tandem exaudiant vehementer optamus, dum anxio animo cernimus formidolosa contentionum studia commovere populos, atque alicubi etiam horriferam internecionis Erinnyn animosae iuventutis meteré vitas.

Nonne luculentissime patet cruentas dimicationes ingentes afferre ruinas, clades omneque genus miseriarum? Tam imma-

nia sunt hodie machinamenta instrumentaque bellica, quae hominum ingenium, ad alia utique natum, invexit, ut cordato cuique horrorem inicere debeant, eo vel maxime quod plerumque non exercitus tantum attingant, sed cives etiam, sed insontes parvulos, sed mulieres, senes, infirmos, sed sacras quoque aedes optimarumque artium monumenta! Quisnam horrore non afficiatur mente considerans possibile fore ut innumeris recentis belli sepulcretis alia adiciantur coemeteria; itemque collabentibus adhuc tot urbium oppidorumque parietinis tristissima alia adiungantur rudera? Quisnam denique non trepidet secum reputans oeconomicarum rerum discrimen, quod populos fere omnes, tenuiorum praesertim civium classes, tantopere angit, novis divitiarum iacturis, quae semper bellum consequuntur, asperius usque reddi posse?

Nos, qui supra humanarum cupidinum Auctus mentem erigimus Nostram, Nos, qui erga omnes cuiusvis stirpis populos ac gentes paternum gerimus animum, omniumque cupimus incolumem servari tranquillitatem, prosperitatemque cotidie magis provehi, Nos, Venerabiles Fratres, quotiescumque videmus caeli serenitatem tristibüs infuscari nubibus, ac nova impendere hominibus dimicationum pericula, temperare Nobis non possumus quin vocem attollamus Nostram, omnesque ad restituendas simultates, ad componenda dissidia et ad illam veri nominis pacem instaurandam adhortemur, quae et religionis, et populorum, et singulorum civium iura, publice sincereque, ut oportet, recognita in tuto ponat. Attamen probe novimus tantae huic efficiendae rei humanas opes impares esse; necesse siquidem est imprimis animos renovare hominum, cupiditates compescere, sedare odia, iustitiae rationes ac normas in usum reapse deducere, ad meliorem de venire divitiarum distributionem, mutuam refovere caritatem, omnium excitare virtutem. Ad quod quidem magnum opus exsequendum nihil profecto magis, quam christiana religio, conferre ac valere potest; eius enim divina praecepta nos edocent homines, quasi fratres, unam componere familiam, cuius pater est Deus, cuius

Christus est Redemptor supernaque sua gratia altor, et cuius patria, defutura numquam, est Caelum. Haec si praecepta reapse feliciterque effecta dentur, tum procul dubio non bella, non seditiones, non turbae, non religiosae civilisque libertatis procurationes privatam publicamque vexabuïit vitam, sed serena tranquillitas, recto iustitiae ordini innixa, mentes animosque afficiet, atque tutum iter patere iubebit ad auctiorem cotidie assequendam prosperitatem.

Hoc profecto arduum est, sed necessarium opus. Quodsi necessarium, nihil cunctandum est, sed quam primum ad rem deducendum. Quodsi arduum, humanisque viribus impar, precando supplicandoqüe ad caelestem Patrem est confugiendum, quemadmodum semper per saeculorum decursum maiores nostri in quovis rerum discrimine fecerunt non sine felici ac salutari exitu.

Quamobrem vos iterum commonemus adhortamurque, Venerabiles Fratres, ut gregem cuiusque vestrum ad populorum pacem ac concordiam impetrandam, publicis indictis supplicationibus, invitetis; ita quidem ut, religione auspice, quasi sacra habeatur contentio, quae contentioni illi repugnando respondeat, e qua tot pericula humanae consortioni impendent.

Nostis procul dubio media illa nocte, qua festum incipit Immaculatae Conceptionis Mariae Virginis, Nos Eucharisticum Sacrificium celebraturos esse, Nostramque supplicantem vocem per radiophonicas undas posse auscultantium omnium aures attingere. Cupimus autem ut ea praesertim nocte sancta cuncti christifideles, cum Iesu Christi Vicario coniuncti, a misericordiarum Patre contendant, praesentissima interposito patrocinio Deiparae Virginis quavis labe ab origine immunis, ut tandem aliquando sopitis odiis rebusque omnibus iustitia aequitateque compositis, plena ac sincera cunctis populis ac gentibus pax affulgeat. Itemque optamus ut eodem animorum ardore hac de causa preces iterentur, cum novemdiales supplicationes ante Natalicia Iesu Christi sollemnia ex more habebuntur, id a Divino Puerulo precando, ut quam supra eius sacra cunabula Angeli

concimiere pacem bonae voluntatis hominibus, [1] ea ubique terrarum illucescat ac firmiter constabiliatur.

Neque praetermittatur a nato Redemptore ab eiusque Divina Matre supplicibus efflagitare precibus, ut catholica religio, quae humanae societatis est civilisque cultus tutissimum fundamentum, in omnibus Nationibus debita libertate fruatur, utque ii, « qui persecutionem patiuntur propter iustitiam», [2] ii qui ob fortiter vindicata sanctissima Ecclesiae iura in carceribus detinentur, vel extorres e sua sede deturbati sunt, atque ii etiam, qui exsules e patriis laribus misere vagan tur, vel adhuc in captivitate iacent, supernis afficiantur solaciis, idque tandem auspicato habeant, quod flagrantissimis votis incensoque desiderio praestolantur.

Haud dubitamus, Venerabiles Fratres, vos pastorali éa, qua soletis, cura ac diligentia haec paterna hortamenta Nostra cum clero populoque vestro, aptiore quo duxeritis modo, communicaturos esse : itemque pro certo Nobis est quotquot habemus ubique gentium amantissimus in Christo filios invitationi huic Nostrae fore ultro libenterque responsuros.

Interea autem caelestium gratiarum conciliatrix esto paternaeque voluntatis Nostrae testis Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, ac vestratibus omnibus, iis nominatim, qui ad mentem hanc Nostram supplices preces fundent, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vi mensis Decembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XIT

[1] Cfr. lue. 2, 14.

[2] MATTH. 5, 10.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILIS DEI FAMULA ANNA MARIA JAVOUHEY, VIRGO, INSTITUTI SORORUM A SANCTO IOSEPH DE CLUNY FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — A quo omnis repetitur sanctitudo, septemplicis Spiritus inter dona, « spiritus fortitudinis » in sacris Libris ita celebratur, ut vel forti animo mulier perpetuo efferatur praeconio, ipsius concinantur laudes, extollantur opera. Quotquot autem in Ecclesia Dei, eiusdem superni Spiritus sequestra et custode, fortitudinem prae ceteris donis hauserunt, instantia pericula ad dilatandum Christi Regnum et ubique Evangelium annuntiandum obiere, iisdemque superatis et accepta a Deo laborum mercede, corusca sanctitatis luce etiam nunc fulgent splendideque micant. Quod merito evenit in Dei Fámula Anna Maria Javouhey, cui hodie Caelitum decernimus honores non absque animi gaudio. Haec enim, haud aliter ac Paulus Apostolus, cuius pernota « instantia quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum » (II Cor., XI, 28), « in solitudine, in mari, in falsis fratribus, in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore » (ibid., vv. 26-27) per totam vitam est versata, attamen quo difficiliora fuerunt tempora debilioresque hominum vires, eo fortior in Fide apparuit ac magis strenue pugnavit. In praeclara illa Galliae regione, Burgundia, feracissima et fructibus et illustribus viris et Sanctis, Ipsa, in oppidulo « Jallange » vulgo nuncupato et intra Divionensis dioeceseos fines posito, e Balthassar patre et Claudiola Parisot matre nata est die decima mensis Novembris, anno millesimo septingentésimo septuagesimo nono, scilicet decem annis ante quam nefaria humanisque societatis perturbatio Galliam totam submoveret. Pueritiam autem et adulescentiam in tanto discrimine transigens, puella animi fortitudinem, in sacrorum administris Ecclesiae Summoque Pontifici fidelibus iuvandis et a persecutoribus arcendis iisdem Sacris occulte litantibus sedulo fovendis, pluries potissimum ostendit. Tantam animi virtutem Anna Maria sortita est christiana institutione, qua pii parentes filios omnes rite conformaverunt, maxime vero gratia Sacramentorum, cum Baptismi tum Confirmationis et Sanctissimae Eucharistiae primum receptae, quae quidem « Panis fortium » non perperam appellatur. Neque puellae defuit, civilibus

legibus contra Ecclesiae iura impie latis ac paene deficientibus sacerdotibus Petri Sedi haerentibus, supernum auxilium, a Deo miserentissimo Ipsi oblatum per Ballanche presbyterum, qui, ob firmissimam suam in Romanum Pontificem observantiam ad mortem exquisitus, non solum divina mysteria clam in domo Stephani Javouhey, Annae fratris, noctu celebrabat conficiebatque Sacramenta, sed etiam, adulescentulas animam formans, eam inducebat in ásperas vias sanctitatis. Ita factum est ut, sic providentissimo Deo disponente, quo magis nefarii perturbatores in sacra saevirent, eo pulchriores validioresque ducerent puellae virtutes. In id praesertim animum intendit, non sine caelesti nutu et signis, ut puellas doctrina christiana erudiret atque ad vitae componeret probitatem. Ita Dei Famula, aetate adhuc florens, ingenio vero matura, anno millesimo septingentésimo nonagésimo octavo, opus illud inchoavit, quod, postea dilatatum, pro Catholica Galliae instauratione spirituali tam uberes edidit fructus. Haud secus ac Sanctus Vincentius a Paulo et Sancta Anthida Thouret, apud quam paulisper est commorata, aliquo piissime transacto tempore in solitudine apud Cistercienses Reformatos seu « Trappistas », ad ruricolas et rudes recte instituendos totam se mancipavit ; tum in oppido « Chalón », intra Augustodunensis dioeceseos fines, Episcopo favente et cohortante, una cum nonnullis sororibus Institutum a Sancto Ioseph nuncupatum, die vicesima mensis Augusti, anno millesimo octingentesimo sexto, condidit feliciter, in quo sanctimonialium vita ageretur. Subsequente autem anno, die duodecima mensis Maii, in Ecclesia paroeciali, coram Episcopo fidelibusque laetantibus, Anna Maria Javouhey cum octo sodalibus, quas inter tres ei sorores ex sanguine erant, novam Monialium a Sancto Ioseph vestem accepit et insequente prima mensis Iunii Feria Sexta religiosam familiam divino Cordi Iesu devovit et sacravit. Nec defuit exinde caeleste adiumentum, quo Institutum ipsum, sapientibus ditatum legibus ac Regulis, per nonnullas Galliae regiones est provectum, maxime postquam Dei Ancilla, interioris, quam dicunt, vitae eiusdemque solitariae desiderio ducta, in oppido « Cluny », apud celeberrimam illam et vetustissimam Abbatiam, nascentis Congregationis Domum Principem, anno millesimo octingentesimo duodecimo, constituit, in qua novitiae succrescerent in spem sodalitatis. Huc accedit ut, in maius societatis incrementum, Lutetiam Parisiorum peteret, utpote Galliae praenobile caput, ibique inter tenuiores incolas domicilium collocaret. Quot aerumnas, quot difficultates, saepe deficiente quoque cibo, una cum paucis sororibus Ipsa est perpessa fortiter! Quem vero animo pro vide-

rat, eum, Deo favente, habuit exitum : e Lutetia Parisiorum idem institutum, a civilibus Moderatoribus valde probatum, in Gallicas colonias impensam operam suam protulit et amplificavit, ita ut verba « procul et de ultimis finibus pretium eius » (Prov., XXXI, 10) de fortissima illa Muliere usurpari possint. Etenim primum in Africa occidentali, deinde in America Media et Meridiana, denique in Australasia Mater Anna Maria Javouhey eiusque in Christo filiae aestuantem in Catholicas Missiones animum, omnibus gratulantibus, aperte clareque panderunt. Tanta autem fuit, Ipsa vivente posteaque demortua, Congregationis per totum orbem terrarum propagatio, ut Evangelicum illud : « Simile est regnum caelorum grano sinapis,... quod minimum quidem est omnibus seminibus ; cum autem creverit, maius est omnibus oleribus et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius » (Mt., XIII, 31 sq.), ad eam merito referatur. Neque praetermittendum putamus, sed potius in lucem edendum, flagrans Venerabilis Fundatricis studium, quo, Clero in missionalibus regionibus prope deficiente, annitebatur ut Afri indigenae, praesertim e regione « Senegambia », ad Catholicum sacerdotium rite ineundum informarentur. Profecto, anno millesimo octingentesimo quadragesimo, congruo tirocinio in Gallia emenso, nonnulli ex gente illa sacerdotio primi initiati sunt. Attamen Venerabilis Dei Famula, caritati christianae insistens, gentes exeolens ad humanitatem, longe maioris momenti opere nomen suum immortalitati commendavit : namque omnium virium contentione enixa est ut indigena mancipia christianis institutis bonisque artibus erudiret atque in libertatem penitus vindicaret. Ad tam nobilem finem consequendum, in Gallicas Americae colonias, arduis susceptis itineribus, pluries se contulit, innumerabiles difficultates strenue superavit, et adversam hominum voluntatem fortiter tolerans Deoque confisa, per multos annos est lucta ta. Et Deus tandem victoriam dedit Ancillae suae, cuius apud indígenas erat tanta auctoritas, ut « Angelus », « Apostolus », « Mater » passim appellaretur; quin Galliae Moderatores, immo et Rex ipse, a quibus iam pridem fuerat adiuta, libertatem, miseris servis illis impertitam, ratam habuerunt. Qua in re indefatigata haec caritatis Administra nomen consecuta est tam amplum, ut vel coram regionis magistratibus diplomata manumissionis ipsa sola pauperibus illis attribuere soleret. Cum autem ex America tandem in patriam rediisset, Congregationem suam moderata est auxitque magno cum consilio et industria, et Episcopos, antea sibi minus faventes, qua erat humilitate, sibi concilia vit. Denique, cum Venerabilis Mater in Religiosum Institutum firmandum

et in missionalibus regionibus provehendum sedulo incumberet eiusque Statuta Sedi Apostolicae approbationis causa cuperet subicere, Ipsa, viribus fracta, in gravem morbum incidit. Tota in Deo defixa, cuius sanctae voluntati iugiter se devoverat, complorantibus omnibus sororibus, Lutetiae Parisiorum die decima quinta mensis Iulii, anno milles simo octingentesimo quinquagesimo primo, aetatis suae fere septuagesimo secundo, Ecclesiae Sacramentis pluries refecta, spiritum Deo reddidit. Tantum fuit illico tam Venerabilis Matris desiderium, tantus ínaeror, tanta sanctitatis fama, ut verba illa divinitus inspirata « Non exstinguetur in nocte lucerna eius » (Prov., XXXI, 18), Illi sane tribui viderentur. Cum autem memoria Annae Mariae Javouhey eiusdemque sanctitatis fama, post eius mortem, temporis decursu magis in dies percrebrescerent, processu Ordinario in Curia Parisiensi inito et de more confecto, Causa de Beatorum caelitum honoribus ipsi Servae Dei decernendis apud Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta est, ita ut die decima octava mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo octavo, Venerabilis Pius PP. X, Decessor Noster, Introductionis causae Commissionem manu propria signaverit. Inquisitionibus igitur iudicialibus in eadem Curia ad iuris normam expletis ceterisque omnibus rite absolutis, Decessor Noster, rec. mem., Pius PP. XI, cum super Dei Famulae virtutibus disceptari quoque coeptum sit, Decreto die vicesima septima mensis Maii, anno millesimo nongentesimo trigesimo septimo, edito, Annae Mariae Javouhey virtutes heroicum attigisse fastigium declaravit. Quaestio postea est suscepta de miraculis, quae, Ipsa intercedente, patrata a Deo ferebantur. Rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, post duas Congregationes, Antepraeparatoriam nempe ac Praeparatoriam, nec non post Generalem Congregationem, coram Nobis die nona mensis Novembris, anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, habitam, Nos Ipsi, per Decretum die undevicesima mensis Decembris eodem anno editum, de eorum veritate constare auctoritate Nostra declaravimus, proindeque in casu ulterius procedi posse. Illud tantum discutiendum supererai num Venerabilis Dei Serva inter Beatos Caelites recensenda tuto foret. Hoc dubium a Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque Causae Ponente seu Relatore, propositum est in Generali Congregatione coram Nobis habita die decima octava mensis Ianuarii anno millesimo nongentesimo quadragesimo nono ; omnesque qui aderant, cum Cardinales tum Praelati Officiales Patresque Consultores, unanimi-

ter in affirmativum suffragium consenserunt. Nos vero in tanti momenti re Nostram aperire mentem distulimus, ut divinum beneplacitum Nostris adstantiumque precibus cognoscere exposeeremus. Quod cum impense fecissemus, tandem die decima tertia mensis Februarii, Dominica in Septuagésima, proximo elapso anno, Eucharistico Sacro rite litato, ac citis memorato Cardinali Relatore nec non Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Archiepiscopo titulo Seleuciensi in Isauria et eiusdem Congregationis a Secretis, atque Dilecto Filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad sollemnem Venerabilis Dei Famulae Annae Mariae Javouhey Beatificationem, auctoritate Nostra Apostolica, *tuto* procedi posse ediximus. Quae cum ita sint, Instituti praesertim Sororum Sancti Ioseph « de Cluny)) vota implentes, praesentium Litterarum vi atque Apostolica Nostra auctoritate, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Anna Maria Javouhey, memorati Sororum Instituti Fundatrix, nomine Beatae in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur; itemque permittimus ut eiusdem Servae Dei Imagines radiis decoren tur. Praeterea eadem Auctoritate Nostra concedimus ut de Beata ipsa quotannis recitetur Officium et Missa celebretur de Communi Virginum, cum Lectionibus et Orationibus propriis per Nos adprobatis, iuxta Breviarii Romani et Missalis rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem et Missae celebrationem fieri dumtaxat largimur in Divionensi dioecesi, ubi nata est Dei Famula, et in Parisiensi Archidioecesi, ubi Ipsa supremum obiit diem; itemque Officium et Missam permittimus in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Congregatio Sororum Sancti Ioseph « de Cluny » utitur, ab omnibus fidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur; et, quod ad Missas attinet, ab omnibus presbyteris ad templa seu sacella memorata convenientibus, in quibus eiusdem Beatae festum agatur. Facultatem demum impertimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Ancillae Dei Annae Mariae Javouhey, servatis servandis, in supradictis templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana rite peracta fuerint. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis ceterisque contrariis quibuslibet. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii • Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, in disceptationibus quoque iudicialibus eadem prorsus

fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significatione hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xv mensis Octo-: bris, Dominica **XX** post Pentecosten, anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo. >

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. BERNARDUM TIT. SS. ANDREAE ET GREGORII AD CLIVUM SCAUR1 S. R. E. PRESB. CARDINALEM GRIFFIN, ARCHIEPISCOPUM WESTMONASTE- » RIENSEM, QUEM LEGATUM ELIGIT AD SOLLEMNIA CELEBRANDA OB IMPLETUM SAECULUM A RESTAURATANE CATHOLICAE HIERARCHIAE IN ANGLIA ET CAMBRÌ A.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Saecularis volvitur annus, ex quo catholica hierarchia, quae in Anglia et in Cambria iam diu desiderabatur, a Decessore Nostro imm. mem. Pio IX per Apostolicas Litteras feliciter restituta fuit (Litt. Apost. *Universalis Ecclesiae* d. d. xxix mensis Sept. a. **MDCCCL**). Ac si placet admodum vobis hoc digne commemorare, haud minus profecto Nobis libet ea omnia mente repetere, quae bona, fausta, salutaria hoc eventum consecuta sunt. Catholicum dicimus nomen maiore apud vos in aestimatione habitum ; tempia non pauca vel funditus excitata, vel ad pristinum revocata decus ; litterarum ludos disciplinarumque instituta multis locis a vobis aperta et a frequentiore usque iuventute celebrata ; sacrorum administros numero virtuteque auctos : fidelium denique agmina validiora semper atque cotidie cum Pastoribus suis arctius coniuncta.

Haec omnia praeclaro argumento sunt quam feliciter Ioannes Henricus Newmanus Cardinalis, gentis vestrae lumen et decus eximium, aetatem, quae catholicam constitutam hierarchiam exceptura esset, cum secundo vere novo comparandam prae viderit.

Quae autem hoc elapso saeculo a maioribus vestris et a vobis alacriter acta fuere, ex iis auspicium sumatis ad altiora usque, Deo iuvante, assequenda.

Oportet quidem vos, qui et sanctae Ecclesiae filiis anuumerari et in communem rei publicae utilitatem maxime conferre merito gloriamini, christianae idcirco virtutis nitore omnibus praelucere. At praecipue oportet supplices ad Aeternum Numen admovere preces ut Catholica Ecclesia apud vos maiora in dies capiat incrementa.

Qui plurimi in Natione vestra — quae iure meritoque « altrix Sanctorum insula » vocata fuit — inde a remota antiquitate fuere catholicae doctrinae unitatis adsertores ac vindices praeclarissimi^ iidem exemplo hortamentoque vobis sint ; et qui ex vestratibus iam in caelestis beatitatis sede suorum laborum fruuntur praemio, iidem hae praesertim faustitate vobis peculiari modo adsint, ac superna a Deo vobis postulent auxilia.

Nos vero, qui Anglorum gentem universam paterna adamamus voluntate, hanc divinam Iesu Christi obsecrationem vehementi cum fiducia iteramus : « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ; ut sint unum, sicut et nos... Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sint per verbum eorum in me; ut omnes unum sint... ». [1]

Interea autem, quo saecularibus hisce celebrationibus maius accedat decus, te, Dilecte Fili Noster, Legatum Nostrum « a latere » deligimus ac nominamus, qui habendis coetibus sacrisque ritibus nomine Nostro praesis, eosdemque efficias Romanae purpurae maiestate splendidiores.

Ac caelestium esto gratiarum auspex Nostraeque benevolentiae testis Apostolica Benedictio, quam cum tibi, Dilecte Fili Noster, ceterisque Angliae et Cambriae sacrorum Antistitibus, tum clero ac populo vobis concredito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xvi mensis Septembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

[1] IOAN., XVII, 11, 17, 20, 21.

II

AD EMUM P. D. EMMANUELEM TIT. SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI S. R. E. PRESB. CARDINALEM GONÇALVES CEREJEIRA, PATRIARCHAM LISBONENSEM, QUEM LEGATUM DELIGIT AD SOLLEMNIA CELEBRANDA QUARTO EXEUNTE SAECULO AB OBITU S. IOANNIS DE DEO, ORDINIS FRATRUM HOSPITALITATIS CONDITORIS.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Sacra propediem celebrari sollemnia, quarto labente saeculo a piissimo obitu Sancti Ioannis Oidade, vulgo « de Deo » appellati, peropportunum censemus non modo ad privatam Christi fidelium religiosam utilitatem, verum etiam ad coniunctionem Lusitanicae gentis cum Hispanica feliciter confirmandam. Si enim praeclarissima s Ioannes, in venusto quidem oppido Montis Maioris Iunioris, haud procul ab urbe Lusitaniae capite, ortum habuit, ibique puer virtutis excepit rudimenta, in urbe tamen Granatensi geminum atque amplum valetudinarium e solo excitavit iecitque fundamenta novi Ordinis Fratrum Hospitalitatis, qui quattuor horum saeculorum decursu longe lateque per orbem diffusi sunt. Iure igitur meritoque recens inita sunt consilia, ut venerandum corpus Sancti Ioannis de Deo, quod in augusto templo Granatensi religiose adservatur, per aliquot dies transferatur in Lusitaniam ac fidelium oculis cultuique exponatur, sacrique ritus in urbibus supra memoratis sollemniter celebrentur, praesentibus in primis Ecclesiae Praesulibus ac rei publicae civilibusque utriusque nationis Magistratibus. De hisce itaque propositis Nos valde libenterque gratulamur, non parvum sane pietatis virtutisque incrementum in utroque populo exspectantes. Habent enim in Ioanne de Deo omnes Christi fideles exemplar splendidissimum poenitentiae singularis suique contemptus, divinarum rerum contemplationis adsidueque orandi studii, extremae paupertatis ac perfectae oboedientiae; habent ii praesertim, qui in nosocomiis, hospitiisque suam impendunt operam aegrotis curandis, adiuvandis solandisque, iri caelesti ipsorum Patrono fulgidissimum caritatis speculum, in quod intueantur, ad animarum corporumque infirmorum profectum magis magisque in dies excitandum. Iam vero, quo proxima saecularia sollemnia maiore auctoritate peragantur, Prior Generalis Hospitalarii Ordinis Sancti Ioannis de Deo, cui quidem vertente hoc anno Nostra vota atque omina paterne significavimus per Epistulam « Quattuor ante saecula », die **XV** mensis Februarii datam, enixis Nos precibus rogavit, ut

per Cardinalem quendam Legatum adesse ac praeesse Lusitanicae atque Hispanicae celebrationi, Ipsi velimus. Huiusmodi igitur precibus adnuendum esse existimantes, te, Dilecte Fili Noster, qui Romana purpura nitens in praenobili Lisbonensi Patriarchatu sedes, Legatum Nostrum hisce Litteris eligimus ac renuntiamus, ut Nostram gerens Personam sacris sollemnibus, qui ineunte proximo Octobri mense tam in Lusitania quam in Hispania celebrabuntur, nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Tibi praeterea facultatem tribuimus, ut, die constituta, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, peculiaribus servatis normis ad Sacrum Iubilaeum pertinentibus. Plane autem confidimus te, pro egregia tua erga Sanctum Ioannem de Deo observantia, proque amicitiae vinculis, quibus Hispaniae populo devinciris, perhonorificum munus, tibi a Nobis delatum, prospere utiliterque esse exsecuturum. Supernorum interea donorum conciliatrix et nuntia, praecipuaeque Nostrae benevolentiae testis esto Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili Noster, cunctisque Praesulibus ac fidelibus sacris sollemnibus adfuturis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xxin mensis Septembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVMUM D. IOACHIMUM CARREIRA, PONTIFICII LUSITANORUM COLLEGII URBANI RECTOREM: QUINQUAGESIMO VERTENTE ANNO AB EODEM COLLEGIO CONDITO

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quinquagesimus sane impletur annus, ut libenter agnovimus, postquam clericorum Lusitanorum Collegium nutu ac liberalitate Leonis XIII imm. mem. Decessoris Nostri in hac alma Urbe secundis est conditum auspiciis. Cuius quidem eventus faustitatem, pro impensa cura et benevolentia qua Nos idem prosequimur, silentio praetermittere nequimus. Ex hoc enim virtutum studiorumque domicilio, prope limina Apostolorum Principum augustamque Petri Cathedram collocato, ubi adolescentium clericorum animi, dum litteris doctrinisque sacris penitus imbuuntur, Romanae fidei pietatisque ardore infianimantur, iidemque exemplo tot heroico-

rum hominum martyrumque reliquiarum fragrantia recreantur, non parva prodiit sacerdotum seges, qui sacris perfuncti muneribus, sive in ipsa Lusitania, sive in dioecesibus eius transmarinis, de Ecclesia catholica pariter ac civili consortione egregie meruerunt. Debitae sunt igitur in primis Deo gratiae persolvendae, cuius favore et adiumento copiosi fructus ex isto Ecclesiae viridario percepti sunt, deinde Lusitanis Episcopis, qui haud parvo studio industriaque urbano Collegio obsecundantes, iuvenes ingenio, pietate ceterisque animi laudibus praestantes Romam instituendos miserunt, nec non tibi, dilecte fili, qui eorum educationi ac profectui sollerter moderaris. Ex hac autem quinquagenaria memoria ac celebratione iucunda spes affulget fore, ut Lusitani ipsi Praesules, novas temporum condiciones ac difficultates probe noscentes, operam suam suorumque adiutorum exaciiere velint, praesertim in ecclesiasticis vocationibus detegendis tuendisque, et delecti Collegii istius alumni, amplitudinem Dei beneficii sibi large collati pro merito aestimantes, maiore in dies sedulitate, actuosiore virtutum studiorumque exercitio exiguam candidatorum copiam quodammodo repensare conentur. Quod profecto efficaciter consequentur, si animum exhibeant tenacem propositi, integrum, incorruptum, caritate erga Deum proximosque flagrantem, alacrem semper ac paratum ad omnes labores pro sempiterna animarum salute suscipiendos. Quod ut e sententia contingat, Sacratissimo Cordi Iesu, « in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi », [1] cuique a suis primordiis Collegium se auspicato devovit, instanti prece commendamus, ut praesidio suo idem tueatur ac magis magisque in posterum fortunet incrementis. Hisce votis ominibusque Nostris Apostolicam Benedictionem, auspicem caelestium donorum effusaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili, tuis laborum sociis cunctisque alumnis, qui sunt aut fuere, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVIII mensis Octobris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

[1] *Col. II,* 3.

SOLLEMNIS CONVENTIO

INTER SANCTAM SEDEM ET REMPUBLICAM LUSITANAM

ACCORDO

TRA LA

SANTA SEDE

E LA

REPUBBLICA PORTOGHESE

La Santa Sede ed il Governo Portoghese, avendo riconosciuto la convenienza di adattare alla nuova situazione dell'India le disposizioni stipulante nel Concordato firmato a Roma il 23 giugno 1886 e nell'Accordo firmato nella stessa città il 15 aprile 1928,

hanno nominato Plenipotenziari :

per parte della Santa Sede Sua Eccellenza Reverendissima Monsignor **DOMENICO TARDINE**, Segretario della Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari;

Ad quod quidem facilius aptiusque efiiciendum curent Venerabiles Fratres Episcopi ceterique locorum Ordinarii, ut greges suis crediti curis opportune hac de re edoceantur, et ad tantum fruendum beneficium impense excitentur. Peculiari autem modo optamus ut id fiat praesertim per conciones ad populum habitas, quae Sacrae Missiones vocantur, vel per Spiritualia Exercitia; quandoquidem experiundo est cognitum hoc divini verbi praedicationis genus multum multumque valere non modo ad errores refellendos et ad christianam doctrinam recte explanandam, sed ad id etiam assequendum, divina aspirante gratia, ut audientium animi ex terrenis rebus ad caelestia revocati tam salutariter commoveantur, ut suas labes eluant atque expient, et ad arduum ingrediendum virtutis iter sincera ac generosa voluntate exstimulentur. Nobis igitur in optatis est ut in singulis paroeciis, si possit, per proximum annum huius generis conciones opportune habeantur; talique ratione christifideles ad suorum impetrandam commissorum veniam plenamque lucrandam debitarum indulgentiam poenarum rite sancteque praeparentur.

Eos praeterea moneant sacrorum Antistites ut ad eamdem mentem Nostram supplices Deo preces admoveant, quam per Apostolicas Litteras *Iubilaeum Maxirmim* indicavimus, cum

Annum Sacrum hac in alma Urbe celebrandum indiximus; peculiarique modo tit redeat tandem aliquando optatissima pax iti omnium animos, in domesticos convictus, in singulas Nationes, in universamque populorum communitatem; ut habeant ((qui persecutionem patiuntur propter iustitiam »[1] invictam illam fortitudinem, quae Ecclesiam inde ab originibus martyrum cruore decoravit; ut qui profugi, qui captivi, qui extorres longe a propriis laribus abstrahuntur, ad dulcissimam possint quantocius patriam remeare suam; ut denique civium ordines, pacatis odiis sedatisque discordiis, iustitia fraternaque concordia ac caritate invicem coniungantur; utque sanctissima. Ecclesiae iura adversus hostium insidias, fallacias insectationesque incolumia semper inviolataque serventur.[2]

Itaque auctoritate Omnipotentis Dei, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Iubilaeum Maximum, quod in hac sacra Urbe celebratum est, ad universum, catholicum orbem per Apostolicas has Litteras extendimus, ad Occidentalem nempe et ad Orientalem Ecclesiam, atque in integrum futurum annum prorogamus; ita scilicet ut lucrifieri possit a primis vesperis proximi diei festi Circumcisionis Domini Nostri Iesu Christi ad plenum diem tricesimum primum mensis Decembris futuri anni MDCCCCLI.

Quamobrem omnibus utriusque sexus christifidelibus, extra Urbem eiusque suburbium commorantibus, etiamsi per elapsum Annum Sacrum Iubilaei veniam adèpti iam sint, apostolica auctoritate Nostra plenissimam totius poenae, quam pro peccatis luere debeant, indulgentiam — ubique terrarum extra Urbem eiusque suburbium lucrandam — concedimus atque impertimus, obtenta prius ab iisdem admissorum cuiusque suorum remissione ac venia, dummodo rite per Paenitentiae Sacramentum expiati et Sacra Synaxi refecti — quam ad rem Confessio annua et Paschalis Communio minime iisdem suffragabuntur — ecclesias vel publica oratoria, hac de causa designanda, statuto tempore pie inviserint.

[1] MATTH. V, 10.

[2] Cf. ***Acta Apostolicae Sedis,*** 1949, vol.. XXXXI, p. 259-260.

Haec autem omnia perfici debent ad has, quae sequuntur, normas, quas quidem Sacrae Paenitentiariae Apostolicae « Instructio » opportune declarat atque authentice interpretatur :

I. Locorum Ordinarii, sive per se ipsi, sive per probatos viros ecclesiasticos — quibus etiam, si libuerit, hanc potestatem per integrum anni spatium utendam permiserint — ad iubilares quo attinet visitationes agendas, in *episcopali urbe* cathedralem aedem ac tres alias ecclesias vel publica oratoria designabunt, in quibus, interdum saltem, eucharisticum sacrificium celebrari soleat; in *suburbio* vero et in *reliquis dioecesis partibus* paroecialem cuiusvis paroeciae ecclesiam designabunt, atque, intra eiusdem paroeciae fines, tres alias ecclesias vel oratoria, ut supra diximus. Id ipsum in Orientali Ecclesia Patriarchae aliique locorum Ordinarii per se ipsi faciant vel per ecclesiasticos delegatos viros; unusquisque autem pro sua cuiusque eparchia vel dioecesi.

At in regionibus a Missionalibus excultis, locorum Ordinarii, nullo habito discrimine inter Ordinarii sedem ac ceteras territorii partes, quattuor ecclesias vel publica oratoria, ut supra diximus, in qualibet quasi-paroecia vel missionali statione designent.

II. Quemadmodum per elapsi piacularis anni decursum Romae factum est, ita per proximi anni spatium una sacra visitatio habenda est in unaquaque vel unoquoque e quattuor ecclesiis vel publicis oratoriis designatis ; idque sive eodem die, sive subsequentibus per annum diebus. Quodsi quattuor alicubi ecclesiae vel oratoria publica desint, Ordinarii, pro suo prudenti arbitrio, aut per se ipsi, aut per suos delegatos, decernere poterunt, ut praescriptas quattuor visitationes in minore aedium sacrarum numero peragi liceat.

Praeterea, ubi prudenti locorum Ordinarii iudicio possibile est sine gravi incommodo, unam e quattuor praescriptis visitationibus fieri valde opportunum est ad cathedralem aedem, vel ad aliquod Sanctuarium ad hoc designatum.

III. Preces, in unaquaque visitatione recitandae, hae sunt:

quinquies ((Pater, Ave, Gloria ».• semel praeterea « Pater, Ave, Gloria » ad mentem Nostram; ac semel formula « Credo »; insuper ter « Ave Maria » cum invocatione « Regina pacis, ora pro nobis » ac semel « Salve Regina ». Ad haec adici potest precatio, quam Nosmet ipsi composuimus pro Anno Sancto MDCCCCL.

Ad Orientalem Ecclesiam quod attinet, christifideles, cum iubilares visitationes perficient, iis normis obtemperare debent, quas, pro diversis ritibus, eorum Patriarchis iocorumve Ordinariis Sacra Nostra Congregatio, Orientali Ecclesiae praeposita, opportuno tempore impertietur. Praeterea singulis locorum Ordinariis fit facultas praescriptas in sacra visitatione preces in alias preces commutandi, cum iubilaris haec visitatio privatim agitur. Itemque Orientalis Ecclesiae fideles, qui extra territorii sui fines commorantur, cum latini ritus peregrinis se adiungunt, supplicationis formulas Latinis praescriptas adhibere poterunt; singillatim autem, sive proprii, sive latini ritus formulas iisdem recitare licet.

IV. Ut iubilares visitationes christifideles facilius instituere atque exsequi possint, eis facultas datur easdem peragendi visitationes etiam extra paroeciae vel dioecesis cuiusque suae fines; in templis tamen pro unoquoque loco ab Ordinario legitime designatis. Quod quidem, singula singulis referendo, populis quoque Missionalibus demandatis conceditur.

V. Decernimus praeterea ut, quemadmodum Romae per elapsum piacularem annum actum est, christifideles iubilarem hanc indulgentiam cum sibi, tum vita functis, toties lucrari possint, quoties imperata opera rite perficiant; ita tamen ut nulla pro alio iubilaeo acquirendo opera fieri queant, antequam inchoata opera pro praecedenti omnino absoluta fuerint.

VI. Ut autem christifidelibus consulamus, qui in peculiari rerum locorumque condicione versentur, haec statuimus, quae sequuntur.

1. Nautae iique omnes qui navibus inserviunt, si navigium, in quo iter faciunt, sacellum habeat, ubi fas sit sacris

operari, inibi poterunt iubilares perficere visitationes. Sin aliter, iisdem concedimus ut, cum ad certam stationem se receperint, ibi, in quovis nempe templo, iubilares visitationes, praescriptas preces recitando, instituere possint.

2. Locorum Ordinarii poterunt, aut per se ipsi, aut per ecclesiasticos delegatos viros, si qui impediantur ne visitationes, eo modo quo imperantur, obeant, vel harum numerum contrahere; vel ecclesias invisendas ad minorem item numerum reducere; vel denique sacras visitationes in alia pietatis caritatisve opera commutare, ad singulorum condicionem accommodata. — Impeditos autem heic intellegi volumus moniales, tertiarias regulares, religiosas sorores, in communitate viventes, pias feminas et puellas aliasve personas in gynaeceis seu *Conservatoriis* degentes; item anachoretas monasticum regularemve Ordinem profitentes et potius contemplationi quam vitae actioni deditos, ut Cistercienses Reformatos de Trappa, Eremitas Camaldulenses et Carthusianos; eos praeterea, qui aut captivi sunt, aut in carceribus custodiuntur; et ecclesiasticos vel religiosos viros, qui in coenobiis aliisve domibus, emendationis causa, detinentur. Impediti ii quoque censeantur, qui aut domi aut in nosocomiis sive morbo sive imbecilla valetudine laborant, et quotquot aegrotis adsunt; ac generatim ii omnes, qui certo impedimento prohibentur quominus statutas visitationes obeant; aequo autem iure esse volumus operarios, qui cotidiano sibi victum labore comparantes, nequeunt se ab eo per tot horas abstinere; ac senes denique, qui septuagesimum aetatis annum excesserint.

VII. Ad facultates quod pertinet, confessariis, ceteroquin ad iuris normam adprobatis, tribuendas, quibus in excipienda Iubilaei confessione salutariter utantur, haec, quae sequuntur, decernimus:

1. Confessariis illae integrae sunto facultates absolvendi, dispensandi, commutandi, quascumque ab Apostolica hac Sede vel in perpetuum vel ad tempus legitime impetraverint; id tamen intra concessionis términos.

2. Monialibus iisque aliis feminis, quarum ad confessiones excipiendas, ex Codicis praescripto, specialis adprobatio Ordinarii requiritur, fas esto quemvis confessarium sibi eligere, 3,b eodem loci Ordinario pro utroque sexu adprobatum, apud quem Iubilaei confessio peragi queat; cui quidem electo confessario concedimus ut, in excipiendis dumtaxat Iubilaei confessionibus, omnes exercere possit facultates, quas ipse, vi Apostolicae huius Constitutionis, pro omnibus christifidelibus iam habeat.

3. Confessariis omnibus concedimus, ut per Annum Sanatum possint, pro foro conscientiae in actu sacramentalis Confessionis et per se ipsi tantum, absolvere quoslibet paenitentes non solum a quibusvis censuris et peccatis Romano Pontifici -aut Ordinario a iure reservatis, sed etiam a censura ab homine lata. Huius tamen censurae absolutio in foro externo non suffragantur.

VIII. At hisce amplissimis facultatibus ne utantur nisi normis exceptionibusque servatis, quae sequuntur:

1. Ne absolvant, nisi in adiunctis atque ad praescriptum -can. 2254 Codicis iuris canonici, eos, qui irretiti sint aliqua censura vel Romano Pontifici personaliter vel specialissimo modo Apostolicae Sedi reservata. Ne absolvant pariter illos, qui in censuram inciderint, de qua in can. 2388, § 1, Sanctae Sedi reservatam ad normam Decreti *Lex sacri coelibatus* per Sacram Paenitentiariam Apostolicam editi d. xvni mensis Aprilis, a, MDCCCCXXXVI,[3] itemque ad normam Declarationis ab eadem Sacra Paenitentiaria datae d. iv mensis Maii, a. MDCCCCXXXVII;[4] vi cuius Decreti et Declarationis haec censura in casu speciali, de quo agitur, ita Sacrae Paenitentiariae reservatur, ut nemo umquam, excepto periculo mortis, ab ea absolvere possit, ne vi quidem can. 2254.

2. Similiter ne absolvant, nisi ad praescriptum can, 2254, praelatos cleri saecularis ordinaria iurisdictione in foro externo

[3] Cf, ***Acta Apostolicae Sedis,*** vol. XXVIII, p. 242.
[4] Cf. ***Acta Apostolicae Sedis,*** vol. XXIX, p. 283.

praeditos, superioresque maiores Religionis exemptae, qui in excommunicationem speciali modo Sanctae Sedi reservatam publice inciderint.

3. Haereticos vel schismaticus, qui fuerint publice dogmatizantes, ne absolvant, nisi ii, abiuratis saltem coram ipso confessario haeresi vel schismate, scandalum, ut par est, iam reparaverint, aut promiserint sese, ut par est, efficaciter reparaturos. Ne absolvant praeterea eos, qui in rerum adiunctis versantur, de quibus agitur in Decreto Supremae Sacrae Congregationis S. Officii, d. i mensis Iulii, a. MDCCCCXXXXIX edito, de Communismo,[5] nisi sincere et efficaciter resipuerint,

4. Pariter ne absolvant eos, qui sectis vetitis, massonicis aliisve id genus nomen dederint, etiamsi occulti sint, nisi, abiurata saltem coram ipso confessario secta, scandalum reparaverint et a quavis activa cooperatione vel favore suae cuiusque sectae praestando cessaverint; nisi ecclesiasticos et religiosos, quos sectae adscriptos noverint, ad can. 2336, § 2, denuntiaverat; nisi libros, manu scripta et signa, quae eamdem sectam respiciant, quotiescumque adhuc retinent, absolventi tradiderint, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda, aut saltem — idque iustis gravibusque de causis — per se ipsi destruxerint; sin minus, ipsimet sincero animo spoponderint se memoratas condiciones esse, quamprimum potuerint, adimpleturos; impositis, praeterea, pro modo culparum, gravi paenitentia salutari et frequenti sacramentali Confessione.

5. Qui bona vel iura ecclesiastica sine venia acquisiverint, ne absolvantur nisi aut iis restitutis, aut compositione quam primum ab Ordinario vel ab Apostolica Sede postulata, aut saltem promissione sincere facta eandem compositionem postulandi; nisi de locis agatur, in quibus a Sede Apostolica aliter iam provisum fuerit.

6. Possint iidem confessarii omnia et singula vota *prinata,* etiam Sedi Apostolicae reservata, iurata quoque, commutare in alia pia opera, ex iusta causa. Votum autem castitatis perfectae

* Cf. ***Acta Apostolicae Sedis,*** TOl. XXXXI, p. 334.

et perpetuae, quamvis ab origine publice emissum sit in professione religiosa tam simplici quam sollemni, subinde tamen, aliis huius professionis votis dispensatis, firmum atque integrum manserit, similiter possint, gravi de causa, in alia pia opera commutare. Nullatenus tamen ab eodem illos dispensent, qui vi Ordinis sacri ad legem caelibatus tenentur, etiamsi ad statum laicalem redacti sint. A commutandis vero votis cum praeiudicio tertii, se abstineant, nisi is, cuius interest, libenter expresseque consenserit. Votum denique non peccandi, aliave paenalia vota ne commutent, nisi in opus, quod, non minus quam votum ipsum, a peccato refrenet atque arceat.

7. Dispensare possint, in foro conscientiae et sacramentali tantum, a quavis irregularitate ex delicto prorsus occulto. Itemque dispensare possint ab irregularitate, de qua in can. 985, 4°; sed ad hoc unice, ut paenitens Ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat, imposito paenitenti onere, sub poena reincidentiae, recurrendi intra mensem ad Sacram Paenitentiariam, et standi eius mandatis.

8. Dispensare item possint, pro foro conscientiae et sacramentali tantum, ab occulto impedimento consanguinitatis in tertio vel secundo gradu (sexto vel quarto iuxta computationem Orientalium) collaterali, etiam attingente primum (quartum vel tertium Orientalium), quod ex generatione illicita proveniat, solummodo ad matrimonium convalidandum, non ad contrahendum.

9. Sive autem de matrimonio contracto agatur sive de contrahendo, dispensare possint ab occulto criminis impedimento, neutro tamen machinante; iniuncta, in primo casu, privata renovatione consensus, secundum can. 1135; imposita, in utroque, salutari, gravi diuturnaque paenitentia.

10. Ad visitationes quod attinet quattuor ecclesiarum, confessarii, pro singulis qui, iusta de causa, eas praescripta ratione perficere nequeant, facultatem habent cum concedendi dispensationem a visitatione alicuius ecclesiae, eam commutando — si fieri potest — in visitationem alius ecclesiae, tum etiam visi-

tationum numerum contrahendi. Cum singulis autem, qui, morbo aliove legitimo impedimento detenti, memoratas ecclesias invisere nequeant, praescriptas visitationes in alia pia opera, quae ab ipsis impleri possint, commutent. Confessarii tamen sciant, se conscientiam suam oneraturos, si inconsulto et sine iusta causa christifideles ex eiusmodi visitationibus exemerint. Quos vero recte a visitationibus dispensaverint, iis ne indulgeant, ut preces ad mentem Nostram fundendas, quae a visitatione separari quidem possunt, praetermittant; in aegrotantium tantum commodum liceat eas etiam imminuere.

11. Ab obligatione praescriptae confessionis, quam ad adimplendam nec invalida nec annua ex praecepto confessio sufficit, ullum ne exsolvant, ne eum quidem qui materiam necessariam non habeat.

12. Ad S. Communionem quod attinet, nefas esto eiusmodi praescriptum in alia pia opera commutare, nisi de aegrotis agatur qui ab ea suscipienda prorsus impediantur. Volumus autem, Iubilaei causa, eam sufficere, quae per modum viatici ministratur; minime vero eam, quae in Paschate peragenda praecipitur. Qui tamen paschale praeceptum misere neglexerit, possit is deinde una Communione utrique obligationi satisfacere.

13. Confessarii sciant posse se descriptis facultatibus uti cum omnibus fidelibus Ecclesiae tam Occidentalis quam Orientalis, qui ad confitendum apud ipsos accedant ea mente et voluntate, sincera quidem et firma, ut Iubilaei veniam lucrentur.

Facultatibus tamen absolvendi a peccatis et ab ecclesiasticis censuris itemque dispensandi ab irregularitate cum eodem paenitente uti nequeant nisi semel tantum, cum ipse Iubilaei veniam primum lucretur.

Alias vero facultates — eam etiam visitationes contrahendi aut commutandi ad datam normam sub n. 10 — in favorem etiam eiusdem paenitentis semper exercere poterunt.

Ceterum, si qui post inchoata, huius Iubilaei adipiscendi animo, praescripta opera, praefinitum visitationum numerum morbo impediti complere nequiverint, Nos piae promptaeque

illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem rite confessos ac sacra Communione refectos, memoratae indulgentiae participes fieri volumus, non secus ac si omnia imperata opera explevissent.

Itaque haec omnia, quae per Apostolicas has Litteras constituimus ac declaravimus, volumus firma ac valida exsistere et fore, ad effectum Iubilaei ad universum catholicum orbem proferendi, non obstantibus contrariis quibuslibet. Earum autem Litterarum exemplis atque excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo munitis viri in ecclesiastica dignitate constituti, eamdem iubemus adhiberi fidem, quae hisce adhiberetur Litteris, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli igitur liceat paginam hanc Nostrae concessionis, voluntatis et declarationis infringere, vel ei, ausu temerario, contra ire. Quod si quis attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vicesima quinta mensis Decembris, in festo Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

SACRUM CONSISTORIUM

Feria II, die xi Decembris mensis a. mcml, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, habitum est *Consistorium secretum,* cuius acta ex ordine referuntur.

I - SSMI DOMINI NOSTRI ALLOCUTIO

DEPUTATIO LEGATORUM A LATERE AD OBSTRUENDAS PORTAS SANCTAS

VENERABILES FRATRES,

Dum Annus ob indictum a Nobis Iubilaeum maximum Sacer iam feliciter ad exitum vergit, cupimus coram vobis hoc in amplissimo consessu immortales Deo grates agere, qui Pontificatum Nostrum — gravissimis, ut nostis, sollicitudinibus haud vacuum — hoc christianae lucis splendore collustrare ingentibusque e Caelo datis beneficiis ditare voluit.

Ac praeterea facere non possumus quin iis etiam gratum profiteamur animum Nostrum, quorum consilio ac dedita sollerti opera, rebus omnibus provisum est, quibus in singulis Dioecesibus in singulisque Nationibus, imprimisque hac in alma Urbe, hoc magnum inceptum recte ordinateque proveheretur et ad salutares dirigeretur assequendos fructus. Neque illud silentio praetereundum putamus, quod ii, qui publica pollent auctoritate, vel publicis funguntur muneribus ac ministeriis, laudabili nisu laudabilique diligentia fecerunt, ut omnia expedite ac feliciter succédèrent; quod quidem, ut animadvertunt omnes, haud facile erat opus.

Cupimus denique christifidelibus omnibus gratam amantissimamque patefacere voluntatem, qui paternis hortamentis Nostris ultro libenterque respondentes Romanum susceperunt iter; atque haud levibus interdum superatis difficultatibus; ad sacram hanc Urbem, catholici nominis caput, quasi ad communem christianorum omnium patriam, pio peregrinantium more venerunt, atque innumeris alia aliis subsequentibus agmini-

bus, firmissimam suam avitae religionis fidem circum mutantibus omnibus testati sunt.

Iuvenes vidimus, qui suae aetatis festivitatem, laetitiam, robur cum tam incensae pietatis ardore coniungebant, ut omnium admirationem commoverent; senes, veneranda ornatos canitie, qui libenti animo itineris incommoda tolerarunt; populares atque optimates ; artifices operumque datores ; agrorum cultores ac viros doctrina insignes optimarumque artium studio praeclarissimos; proletariam plebem, publicos magistratus, oratores legibus ferendis ac vel eos, qui rei publicae gubernacula moderantur. Fuerunt qui, nullis parcentes laboribus, pedites venerunt veterum renovato Romaeorum more; fuerunt qui immensos transnavigarunt oceani tractus ; et .qui caeli spatia transvolantes Romam perniciter attigere. Innumeris hisce peregrinantium turnus sacerdotes, Episcopi atque interdum etiam Purpurati Patres praeerant suoque praelucebant exemplo.

Id, Venerabiles Fratres, tam magno Nos solacio tamque magno afïecit gaudio, supra quam verbis exprimi possit. Grande utique spectaculum cernere licuit: e proximis, e longinquis, e transmarinis regionibus ingentes multitudines terra marique caeloque turmatim ad Nos confluxere, non modo* ut suorum admissorum veniam atque indulgentiam a misericordissimo Deo impetrarent, sed etiam ut ad haec Apostolorum Principis sanctorumque martyrum hypogea, quae primaevae Ecclesiae gloriam ac virtutem in victam testantur, suam continuarent fidem, excitarent pietatem, renovarent vitam. Omnibus paterna Nostra pandere brachia, omnibus caelestia munera benedicendo impetrare, omnes alloquio Nostro recreare, suavissimum fuit.

Dum hisce ovantibus christifidelium multitudinibus stipati, qui ad Nos oculos, ad Nos manus, ad Nos ánimos laetabundi erigebant, vel per Petrianum Forum, vel per Vaticanam Basilicam incedebamus, id, quod ceteroquin omnino iam Nobis exploratum erat, luculentius usque menti refulgebat Nostrae; hoc est : terrenas res omnes saepenumero animos disiungere hominum et ad contraria studia eosdem abstrahere non sine com-

munis concordiae communisque prosperitatis detrimento; at religionem sanctam fraterno omnes vinculo fraternoc[ue foedere coniungere eamdemque unum esse ac tutissimum humanae legis, humanae societatis, humanaeque felicitatis, quae hac in terra attingi possit, fundamentum. Utinam igitur haec mutua concordia, haec sancta animorum laetitia, hoc communis caritatis pietatisque studium nullo non tempore perseverent; utinam haec omnia non modo eorum, qui pie Romam peregrinando venerunt, vitam informent, sed ceterorum etiam, qui christiano eorum praeclaro exemplo sollersque opera ad hoc idem assequendum salubriter excitari debent. Id si tandem aliquando feliciter ubique terrarum contigerit, pericula, quae pacis incolumitati impendere videntur, facile, ut confidimus, opitulante Deo dilabentur, atque humanae familiae tot discordiarum pertaesae ac simultatibus falsisque promissionibus deceptae ea veri nominis pax affulgebit, quae iustitiae innixa ac caritate alita in flagrantissimis omnium votis optatisque est.

At si per omnes Anni Sacri dies hoc fervidae pietatis internaeque concordiae spectaculum haec alma Urbs cernere potuit, cum tamen Beatorum Sanctorumque Caelitum honoribus lectissimum virorum ac mulierum manipulum, virtutum omnium laudibus praestantium, Nobis licuit decorare, tum in Petriana Basilica, innumerabilibus stellata lychnis, aliquid accidit, quod quidem potius quam terra videbatur Caelo dignum. Cum vero in eadem Petriana Basilica coram Nobis plurimisque Occidentalis atque Orientalis Ecclesiae sacrorum Antistitibus ac christifidelibus Divina Liturgia byzantino ritu sollemniter celebrata fuit, tum luculentius usque patuit Mysticum Iesu Christi Corpus mirabili illa unitate enitere, quae ex caerimoniarum pulcherrima varietate nedum detrimentum accipiat, multiplici fulgore ac decore exornatur.

Cum denique sub divo atque alto fulgente sole, coram immensa adstantium multitudine, qui intenti ora tenebant, privilegium corporeae Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptionis sollemni ritu decrevimus ac definivimus, tam vehe-

mens ineessit animos laetitia, ut omnes ovantes ac. conclamantes manus comploderent, ac praesentiorem sentirent validioremque sibi adesse Divinae Matris tutelam. Huic Nos tutelae confisi, fore speramus, ut quae superni illius gaudii momento sanctioris vitae proposita christifideles inierunt, ea non modo cotidie magis confirment, sed etiam, ipsius caelestis Matris vestigiis insistentes, precando operoseque enitendo ad effectum deducant. Ad nihil enim maius, ad nihil profecto dignius contendere debet Anni Sacri cursus. Id Nos, cum eum indiximus, ante oculos habebamus; ad id Nos assequendum respeximus, cum, quotiescumque opportunitas fuit, ad confluentes populos verba fecimus.

Ac quandoquidem multum praesertim a clero sperandum est, postquam Encyclicis datis Litteris *Humani generis* insurgentes errores falsasque opinationes, ut Nostrum postulabat Officium, reprobavimus, Apostolicam edidimus Adhortationem *Menti Nostrae,* ad quam quidem meditandam et ad rem deducendam sacrorum omnes administros etiam atque etiam commonemus.

Haec omnia, Venerabiles Fratres, suavi spe suavique solacio animum afficiunt Nostrum. Attamen non desunt etiam gravis maestitiae causae, quas attingere hoc in augusto consessu opportunum ducimus. Non omnes potuere, ut nostis, quibus in optatis esset, Romam contendere, ut in hoc catholicae religionis veluti centro avitam suam profiteantur fidem pietatemque alerent; idque — summo cum Nostro eorumque dolore — in nonnullis Nationibus idcirco accidit, quod Romanum suscipiendi iter facultas non daretur. Novimus tamen hos etiam, quos carissimos habemus in Christo filios, animo esse fuisseque praesentes, ac sollemnes huius Anni Sacri eventus impenso desiderio prosecutos esse ac prosequi. Cui quidem desiderio ut satis pro viribus faciamus, Iubilaeum maximum, cuius celebratio hac in alma Urbe ad exitum properat, ex more institutoque Decessorum Nostrorum, ad universum catholicum orbem

in integrum futurum annum per Apostolicas Litteras prorogaturi sumus.

Interea vero ad sollemnes illas caerimonias mentem Nostram convertimus, quibus, ut moris est, Iubilaris Annus concludi assolet; hoc est ad sacras quattuor Patriarchalium Basilicarum portas rite obserandas. Id, ad Petrianum templum quod attinet. Decessorum Nostrorum exemplo, Nosmet ipsi pridie Natalis Domini Nostri Iesu Christi Deo favente facturi sumus. Ut autem traditus a maioribus ritus ad reliquas Patriarchales Basilicas eodem die peragi possit, Legatos Nostros *a Latere* eligimus ac r enuntiamus Venerabilem Fratrem Nostrum Eugenium S. R. E. Cardinalem Tisserant, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, eumdemque Sacri Collegii Subdecanum, qui portam sanctam Basilicae S. Pauli ad viam Ostiensem nomine Nostro claudat; item Venerabilem Fratrem Nostrum Clementem S. R. E. Cardinalem Micara, Episcopum Veliternum, qui portam sanctam Basilicae Lateranensis nomine Nostro claudat; ac Dilectum Filium Nostrum Alexandrum S. R. E. Cardinalem Verde, Liberianae Basilicae Archipresbyterum, qui portam sanctam eiusdem Basilicae nomine Nostro claudat. In nomine Patris **£g** et Filii **£g** et Spiritus **£g** Sancti. Amen.

Iam nihil aliud reliquum est, nisi ut Ecclesiis suo viduatis Pastore consulamus.

II - PROVISIO ECCLESIARUM [1]

Tum Beatissimus Pater hos, qui sequuntur, Sacrorum Antistites, per Apostolicas sub plumbo Litteras iam renunciatos, recensuit :

PATRIARCHAM :

Alexandrinum, Latinorum., Lucam Hermenegildum Pasetto, iam Archiepiscopum Iconiensem.

ARCHIEPISCOPOS :

Marianopolitanum, Paulum Aemilium Léger.

Lagosensem, noviter erecta archidioecesi, Leonem Taylor, iam Episcopum Vartanensem.

Litoris Capitis, noviter erecta archidioecesi, Gulielmum Thomam Portes, iam Episcopum Urusitanum.

Onitshaënsem, noviter erecta archidioecesi, Carolum Heerey, iam Episcopum Balanensem.

Soteropolitanum<, Raphaelem Calabria, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Cornelii Sebastiani Cuccarollo, Archiepiscopi Hydruntini.

Cincinnatensem, Carolum Iosephum Alter, iam Episcopum Toletanum in America.

Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ioannis Fiorentini, Archiepiscopi Catacensis, et Archiepiscopum-Episcopum *Squillacensem* Armandum Fares.

Aquilanum, Constantinum Stella, iam Episcopum Nucerinum et Tadinensem.

Bogotensem in Columbia, Chrysantum Luque, iam Episcopum Tunquensem.

Dacchensem, dioecesi in archidioecesim evecta, Laurentium Graner, iam Episcopum eiusdem dioecesis.

Karachiensem, diocesesi in archidioecesim evecta, Iacobum Cornelium van Miltenburg, iam Episcopum eiusdem dioecesis.

Chalcedonensem et Praelatum Nullius S. Luctae, Guidonem Tonetti, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Angeli Paino, Archiepiscopi Messanensis et Archimandritae Ssmi Salvatoris.

Cyrrhensem, Silvestrum Patricium Mulligan, iam Archiepiscopum Delhiensem et Simlensem.

Curitibensem, Emmanuelem da Silveira d'Elboux, iam Episcopum Rivi Nigri.

Rheginensem et Episcopum Bovensem, dioecesibus unitis *in personam,* Ioannem Ferro.

Phasianum, Franciscum Xaverium Jantzen, iam Archiepiscopum Oiomchimensem.

ßugdaeum, Thomam Roberts, iam Archiepiscopum Bombayensem.

Bombayensem., Valerianum Gracias, iam Episcopum Thennesiensem.

EPISCOPOS :

Carrhenum, Emmanuelem Marengo, Auxiliarem Exc. P. D. Nicolai Fasolino, Archiepiscopi Sanctae Fidei in Argentina.

Gabasitanum, Patricium Lyons, iam Episcopum Christopolitanum,. Auxiliarem Emi P. D. Normanni Thomae S. R. E. Cardinalis Gilroy, Archiepiscopi Sidneyensis.

Aegeaensem, Michaelem Bernard, Vicarium Apostolicum Konakriensem.

Saccaeotenum, Dominicum Hoan van Doang, Vicarium Apostolicum de Bacninh.

Siguitanum, Petrum Kelleter, Vicarium Apostolicum Bethlehemensem.

Stectorenum, Audenum Me Cann, Vicarium Apostolicum de Cape Town.

Thebanum in Phtiotide, Franciscum Santos Santiago, primum Vicarium Apostolicum Sancti Georgii.

Saginavensem, Stephanum Woznicki, iam Episcopum Peltenum.

Lyrbitwimm, Alexandrum Mariam Zaleski, Auxiliarem Emi P. D. Eduardi S. R. E. Cardinalis Mooney, Archiepiscopi Detroitensis.

Busiritanum, Ioannem von Rudlofi[3], Auxiliarem Exc. P. D. Gulielmi Berning, Archiepiscopi-Episcopi Osnabrugensis.

Lampsacenum. Davidem Franciscum Cunningham, Auxiliarem Exc. P. D. Gualtieri Andreae Foery, Episcopi Syracusensis.

Theodosiopolitanum, Dominicum Della Vedova, iam Episcopum Tiburtinum.

Euroeensem in Epiro, Polycarpum da Costa Vaz, Auxiliarem Exc. P. D. Augustini de Iesus y Souza, Episcopi Portugallensis.

Ohristopoliiaimm, Eduardum Michaelem Joyce.

Accraënsem, noviter erecta dioecesi, Adulphum Noser, iam Episcopum Capitoliensem.

Bueaënsem, noviter erecta dioecesi, Petrum Bogan, iam Episcopum Acmoniensem.

Galabarensem, noviter erecta dioecesi, Iacobum Moynagh, iam Episcopum Lambaesitanum.

Kummiensem, noviter erecta dioecesi, Hubertum Iosephum Paulissen, iam Episcopum Pomariensem.

Ketaënsem, noviter erecta dioecesi, Iosephum Gerardum Holland, iam Episcopum Ammaedarensem.

Liberae Urbis et Boënsem, noviter erecta dioecesi, Ambrosium Kelly, iam Episcopum Altavensem.

Ondoënsem, noviter erecta dioecesi, Franciscum Hughes, iam Episcopum Neptensem.

Owerriensem, noviter erecta dioecesi, Iosephum Brendanum Whelan, iam Episcopum Tidditanum.

Tamalensem, noviter erecta dioecesi, Gerardum Bertrand, iam Episcopum Abitinensem.

* *Urbis Beninensis,* noviter erecta dioecesi, Patricium Iosephum Kelly, iam Episcopum Thignicensem.

Homtomensem, noviter erecta dioecesi, Franciscum Han.

Synaïtanum, Iosephum Mariam Trinh-nhu Khuê, Vicarium Apostolicum Hanoiensem.

Belensem, Bernandum Arango Henao, primum Vicarium Apostolicum Barrancabermeiensem.

Aearassensem, Constantinus! Jürgens, iam Episcopum Tuguegaraoanum.

Ragusiensem, dioecesi noviter erecta et aeque principaliter unita archidioecesi Syracusanae, Hectorem Baranzini, Archiepiscopum Syracusanum.

Gaesariensem in Mauretania, Franciscum Pennisi, Auxiliarem Exc. P. D. Hectoris Baranzini, Archiepiscopi Syracusani et Episcopi Ragusiensis.

Garthaginensem in Hispania, Raymundum Sanahuja Mareé, iam Episcopum Segobricensem.

Violoriensem, Iosephum Mariam Bueno y Monreal, iam Episcopum Iacensem.

Flaviobrigensem, noviter erecta dioecesi, Casimirum Morcillo Gonzales, iam Episcopum Agathopolitanum.

S. Sebastiani in Hispania, noviter erecta dioecesi, Iacobum Font y Andreu, iam Episcopum Zamorensem.

Albasitensem, noviter erecta dioecesi, Arthurum Tabera Araoz, iam Episcopum Barhastrensem.

Tiburtinum, Aloysium Faveri.

Elusamim, Aemilium De Smedt, Auxiliarem Emi P. D. Iosephi Ernesti S. R. E. Cardinalis Van Roey, Archiepiscopi Mechlinensis.

Doberitamim, Antonium Plaza, Auxiliarem Exc. P. D. Caesaris Antonii Canevá, Episcopi Azulensis.

Zelitenum, Iosephum Mariam Garcia Lahiguera, Auxiliarem Exc. P. D. Leopoldi Eijo y Garay, Episcopi Matritensis.

Capitoliensem, Marcum Alaupovic.

Hierocaesarienseni, Timotheum Fedliminum 0'Shea, primum Vicarium Apostolicum Livingstonensem.

Andeg&vensem, Henricum Chappoulie.

Fomsiamensem, Antonium Chow Wei-tao.

Balburensem, Gulielmum Schoemaker, Vicarium Apostolicum Puruokertensem.

Garalliensem, Cornelium Bronsveld, Vicarium Apostolicum Taborensem.

Cremnenmn, Gustavum Iosephum Bouve, Vicarium Apostolicum de Katanga Septentrionali.

Tremithusiunij Gerardum Norbertum van Velsen, Vicarium Apostolicum de Kroonstad.

Eadrianiensem, Ferdinandum Guercilena, primum Vicarium Apostolicum de Keng-Tung.

Asponitanum, Vincentium Reyes, Auxiliarem Exc. P. D. Gabrielis Reyes, Archiepiscopi Manilensis.

(Jamulianensem, Petrum Dudziec, Auxiliarem Exc. P. D. Thaddaei Pauli Zakrzewski, Episcopi Plocensis.

YaUegnidonensem, Mauritium Rousseau, iam Episcopum Minatensem.

Ateniensem, Patricium Iosephum Me Cormick, Auxiliarem Exc. P. D. Patricii Aloysii 0'Boyle, Archiepiscopi Vashingtonensis.

Sestensem, Antonium Campello, Auxiliarem Exc. P. D. Francisci de Aquino Correa;, Archiepiscopi Cuiabensis.

Elumnum, Raimundum de Castro v Silva, Auxiliarem Exc. P. D. Severini Vieira de Melo, Episcopi Teresiani.

Pimliamensem, noviter erecta dioecesi, Ignatium Gregorium Larrañaga.

AUtinensem, Thomam Fernando, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Tiburtii Roche, Episcopi Tuticorensis.

Acmoniensem,, Victorem Mariam Petrum Keuppens, Vicarium Apostolicum Luluaënsem.

Arbensem, Paulum Leonem Hagarty, Vicarium Apostolicum de Bahamas.

Neptensem, Aloysium Haene, primum Vicarium Apostolicum Arcis Victoriae.

Berissenum, Hermannum Tillemans, primum Vicarium Apostolicum Meraukensem.

Mazariensem, retento titulo archiepiscopali *ad personam,* Ioachimum Di Leo, iam Archiepiscopum Lancianensem et Episcopum Ortonensem.

Iliensem, Franciscum Mariam Franco, iam Episcopum Cremensem.

Albensem, Henricum Mae Kenzie, Auxiliarem Exc. P. D. Richard! Iacobi Oushing, Archiepiscopi Bostoniensis.

Sciamhaevensem, Ignatium Kung Pinmei, iam Episcopum Suceuvensem.

Baricensem, Gulielmum Verwoórt, primum Vicarium Apostolicum de Pilcomayo.

Antaeopolitanum, Silvium Aloysium Haro, Auxiliarem Exc. P. D. Iosephi Felicis Heredia Zurita, Episcopi Guayaquilensis.

Toletanum in America, Georgium Ioannem Rehring, iam Episcopum Lundensem.

Assavensem, Ioannem Alfridum Guyomar, iam Episcopum Jaffnensein.

Bakeriensem, Franciscum Petrum Leipzig.

Acalissensem, Thomam Franciscum Markham, Auxiliarem Exc. P. D. Richard! Iacobi Cushing, Archiepiscopi Bostoniensis.

Hadrianopolitanum in Pisidia, Leonem Aloysium Pursley, Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Francisci Noli, Episcopi Wayne Castrensis.

Kilmorensem, Augustinum Quinn.

Elphinensem,, Vincentium Hanly.

Sancti Caroli Ancudiae, Augustum Osvaldum Salinas Fuenzalida, iam Episcopum Nysiriensem.

Ammaedarensem, Theophilum Iacobum Abrahamum Kalapurakal, iam Episcopum Tiruvallensem.

Tiruvallensem, Severios Iosephum Valakuzhyil, iam Episcopum Ingelinum.

öhanganacherensem, Matthaeum Kuvatt.

Palaiensem, noviter erecta dioecesi, Emmanuelem Sebastianum Vayalil.

Arcenum, Abdullah Nuyaim, Auxiliarem Exc. P. D. Eliae Eicha, Episcopi Heliopolitani Maronitarum.

Tarsensem Maronitarum, Antonium Khoreiche, Auxiliarem Exc. P. D. Augustini Bostani, Episcopi Sidoniensis Maronitarum.

Gremensem, Iosephum Piazzi.

Bassianensem, Albertum Martin, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Albini Lafortune, Episcopi Mcoletani, cui iam successit.

Nisyriensem, Elisaeum Mendes, Auxiliarem Exc. P. D. Antonii de « Almeida Lustosa, Archiepiscopi Fortalexiensis.

Bullensem, Merlinum Iosephum Guilfoyle, Auxiliarem Exc. P¿ D. Ioannis Iosephi Mitty, Archiepiscopi S. Francisci in California.

Altavensem, Iosephum Varani, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Antonii Augusti de Assis, Episcopi Iaboticaballensis.

Drivastensem et Praelatum Nullius Santaremensem, Florianum Loewenau.

Lambaesitanum, Vincentium Mariam Iacono, Auxiliarem Exc. P. D. Ioannis Baptistae Peruzzo, Episcopi Agrigentini.

Ragusinum, Paulum Butorac.

Jacensem, Angelum Hidalgo Ibañez.

Mindoniensem, Marianum Vega Mestre.

ForoUviensem, Paulum Babini, iam Episcopum Comaclensem.

Silensem, Cornelium Lucey, Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Danielis Cohalan, Episcopi Corcagiensis.

Sasimensem, Gulielmum Cleven, Auxiliarem Emi P. D. Iosephi S. R. E. Cardinalis Frings, Archiepiscopi Coloniensis.

Tunquensem, Angelum Mariam Ocampo Berrio, iam Episcopum Succursensem et Sancti Aegidii.

G-urzensem, Albinum Morera, iam Episcopum Ampuriensem et Templensem.

HI - POSTULATIO PALLIORUM

Tum personaliter sacrum Pallium postulavit Archiepiscopus Aquilanus.

Per Procuratores autem facta est postulatio Palliorum ab Ecclesiis metropolitanis : *Marianopolitana, Lagosiensi* (noviter erecta), *Latoris Capitis* (noviter erecta), *Onitshaënsi* (noviter erecta), *Cincinnatensis Bogotensi in Columbia, Dacchensi* (noviter erecta), *Karachiensi* (noviter erecta), *Curitibensi, Rheginensi, Bombayensi :* item ab episcopali (ex privilegio ad personam) *Constantiensi* (per successionem).

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA MARIA VIRGO IMMACULATA TOTIUS RALEIGHIENSIS DIOECESIS PATRONA CAELESTIS PRAECIPUA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Fidei pristinae, quam exsules Europaei, Britanni, Hiberni ac postea Galli, saeculis decimo septimo et decimo octavo servaturam secum tulerunt, quanta in Foederatis Septentrionalis Americae Civitatibus adhuc extent monumenta, minime Nos latet. Quae inter, coruscantis sideris instar, micat impensa erga Beatam Mariam Virginem Immaculatam fidelium pietas, quae inter temporum ac rerum difficultates constans firmaque permansit, immo et incrementum adeo accepit, ut Foederatae ipsae Civitates sub Illius tutela positae omnes fuerint. In dioecesi quoque Raleighiensi, prout Nobis innotuit, Deiparae Intaminatae Virginis, Episcoporum et sacerdotum ope, non minor floret cultus. Etenim in eadem dioecesi plurimae eidem Mariali mysterio dicatae sunt Ecclesiae; uterque autem clerus Immaculatae, tamquam Reginae et Patronae, se devotissime vovit; monialium insuper quam plurimae Religiosae Familiae ad excolendam imitan damuue Mariam Virginem sine labe conceptam pueros puellasque incitant optimeque instituunt. Neque denique silentio praetereundum est Deiparam Immaculatam, in Carolinae Septentrionalis praesertim dicione, contra novatores et Ecclesiae Catholicae inimicos tamquam « castrorum aciem ordinatam » iure meritoque haberi. Quibus omnibus mature perpensis, Venerabilis Frater Vincentius Stanislaus Waters, Raleighiensis

Episcopus, nomine proprio nec non Vicarii Generalis, Canonicorum,, utriusque cleri universique populi, enixas Nobis adhibuit preces ut Beatam Virginem Mariam sine labe originali conceptam totius memoratae dioecesis Patronam caelestem benigne declarare dignaremur. Nos autem, quo ferventior Raleighiensium fidelium sit Marialis pietas atque luculentius paternae erga eos dilectionis Nostrae testimonium, huiusmodi preces excipiendas perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Episcopo Praenestino et Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, totius Raleighiensis dioeceseos caelestem apud Deum praecipuam Patronam Beatissimam Virginem Mariam Immaculatam declaramus, renuntiamus et constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adiectis quae praecipuis Patronis locorum et personarum rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas-atque efficaces-iugiter exstare ac permanere ; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere ; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari ; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die ix mensis Novembris, anno **MCMXXXXV**, Pontificatus Nostri septimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. Bapt. **MONTINI**
Subst. Secr. St.

II

CATHEDRALE TEMPLUM SEGUNTINAE CIVITATIS AC DIOECESIS HONORIBUS BASILICAE MINORIS INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Sacras et praeclaras Aedes, quae sive antiquitate, sive amplitudine et artis operibus, sive potissimum fidelium religione ac celebritate in primis commendentur, ex more institu-

toque Romanorum Pontificum perhonorificis titulis eximiisque privilegiis propensa voluntate cohonestare soliti sumus. Suffragium igitur ac preces Venerabilis Fratris Aloysii Alonso Munoyerro, Seguntini Episcopi, peramanter excepimus quibus Nobis commendavit enixe amplissimi Ecclesiae Cathedralis Canonicorum Collegii vota suppliciter Nobis exhibita, ut idem Cathedrale Templum Seguntinae Civitatis et Dioeceseos, Beatae Mariae Virgini caelo receptae dicatum et « de Mayor » vulgo nuncupatum, Basilicae Minoris titulo exornare dignaremur. Ad quod concedendum privilegium facile eiusdem Aedis laudibus adducimur, utpote quae, post luctuosissimam Christiani nominis in Hispania perturbationem ex publico voto et aere collaticio splendide exaedificata, vetusto illo Templo successerit, quod iam inde a saeculo sexto Seguntinorum Cathedram custodivit Episcoporum, e quibus multi operibus moribusque claruerunt. Summa praeterea veneratione Christianus populus Deiparam Virginem in Caelum Assumptam in ipso maximo Templo colit et honor f it, eiusdemque clerus divinis muneribus caeterisque ofiiciis assiduam sollicitamque operam navat. Tanta Optimatum, utriusque cleri ac civium pietas potissimum patefacta est, cum, eodem praeeunte Episcopo atque Hispanicae Nationis Supremo Moderatore adsistente, nova eademque pulcherrima sacra Aedes princeps sollemniter fuit consecrata. Quae cum ita sint, omnes quos supra diximus, Antistitem et Canonicos, Proceres^ atque cives peculiari benevolentia complectentes, ad fovendam magisque in dies augendam erga Beatam Virginem Mariam caelo receptam fidelium pietatem, huiusmodi votis, precibusque annuere perlibenter statuimus. Audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem Seguntinae Civitatis ac Dioecesis, in Hispania, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis atque iuribus quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc

et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxx mensis Maii, anno **MCMXXXXVIII**, Pontificatus Nostri decimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. Bapt. **MONTINI**
Subst. Secr. St.

III

IN STATU ((PAKISTAN)) DELEGATIO APOSTOLICA ERIGITUR, ((DE KARACHI)> APPELLANDA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Arcano Dei consilio ad totius Ecclesiae gubernacula tractanda asciti, nihil antiquius habemus quam ut Christifidelium, ubicumque sub Salvatoris Nostri signis militent, spirituali commodo pro re nata consulamus. Cum igitur in latissimis Indiarum Orientalium finibus nova civitas, cui nomen « Pakistan », non ita pridem sui iuris facta esset, ab Indiana Republica plane seiuncta, propriae Delegationis Apostolicae constitutionem magno usui fore intelleximus filiis Nostris, vitam ea in regione transigentibus. Ita sane hi, sive sint sacrorum antistites sive administri, in fide propaganda impigri versantes, sive Christifideles, habebunt quod de praecipuae voluntatis Nostrae testificatione gaudeant, fietque ut iidem plus valeant ad sanctae Religionis munera exsequenda. Quapropter, audito Dilecto Filio Nostro Petro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Fumasoni Biondi, Sacrae de Propaganda Fide Congregationis Praefecto, eiusdem Congregationis sententiam ratam firmamque habentes, hisce Litteris Apostolicis atque Nostra auctoritate Delegationem Apostolicam in Statu <(Pakistan » qui nuncupatur, occidentalem et orientalem plagam complectente et Sacrae illi Congregationi in spiritualibus subiecto, nomine « de Karachi » appellandam, erigimus atque erectam declaramus. Supra recensitae Delegationi Apostolicae omnia et singula deferimus iura, privilegia atque officia, quae huiusmodi Delegationum iure communi propria sunt. Haec statuimus, decernentes has Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; ipsique Delegationi Apostolicae per

Nos in Statu « Pakistan » constitutae nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die xvn mensis Iulii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

IV

VENERABILIS DEI FAMULA MARGARITA BOURGEOYS, VIRGO, CONGREGATIONIS SORORUM A NOSTRA DOMINA FUNDATRIX, BEATA RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quoniam, ut ait Sanctus Ioannes Chrysostomus, « cura fratrum summa vitae christianae est », eos, qui hac laude nomen suum perquam ornaverunt, Ecclesia praecipuo honore non immerito consuevit celebrare. Hoc quippe studio animarum Margarita Bourgeoys, Galliae flos, Canadensis regionis lumen, ita commendatur ut quae maxime. Ab hac igitur ducant similitudinem, huius vivendi rationem mente et cogitatione comprehendant, qui Christi vestigiis volunt insistere, quando tot animabus afferuntur detrimenta totque eis discrimina impendent. Trecis in amoena Galliae urbe Abraham Bourgeoys, cerarius, et Gulielma Garnier, novem filiorum probissimi parentes, Margaritam die decima septima mensis Aprilis, anno millesimo sexcentésimo vicesimo, sibi, eodemque die baptismate lustratam, Deo pepererunt. Infantula, cum esset animi ardentioris, parentum tamen disciplina ita conformabat mores, ut magnam faceret sui exspectationem. Anno millesimo sexcentésimo trigesimo Eucharistiae et Confirmationis sumpsit Sacramenta indeque ad veram gloriam virtutis via grassabatur. Iam tum, quae esset futura, significavit, cum haberet in deliciis aequales domum accire atque concordi voluntate una in piis honestisque exercitationibus versari. In ipso autem flore wirentis aetatis matrem amisit, ita ut, in eius quasi locum vocata, so-

roris ac fratrum curam suscipere cogeretur. Gum autem prima die dominica mensis Octobris, Beatae Mariae Virgini a Rosario sacra, anno millesimo sexcentésimo quadragesimo, sollemnis Trecis duceretur pompa, animus eius signo Almae Deiparae contactus est atque perculsus, id quod « conversionem suam » postea solebat appellare ; profecto, quae fuerat paulum levicula et interdum timidior, demissas coepit vestes induere, saeculi aspernari oblectamenta solique Deo penitus inhaerere. Itaque nomen dedit « Congregationi externae a Nostra Domina », quod sodalicium a Canonissis Regularibus Sancti Augustini eo consilio erat institutum, ut puellae diebus dominicis ac festis ad pia exercitia simul incumberent atque maioribus traderent christianae doctrinae elementa. Huic Congregationi praefecta atque optimo sacerdote Jendret magistro usa, multum profecit in semitis Dei, adeo ut anno millesimo sexcentésimo quadragesimo tertio e moderatoris permissione paupertatis atque castitatis vota nuncupant. In monasterium Ordinis Carmelitani ascribi cupiens, id tamen non est assecuta virgo, quam Deus noluit in sacro delitescere recessu, sed in solem constituit procedere atque e patriae exire finibus tamquam actuosam fratrum administram ac divinae nuntiam veritatis. Moderatore ad hoc ipsum confirmante, cum duabus sociis quandam inchoavit communem vitam, re tamen infeliciter tentata, domum repetiit, quae mox ob patris mortem gravi luctu est afflicta. Sed ita Deus providentissimus viam pandit, qua Famula Dei excurreret, ut creditam sibi caperet provinciam. Egregius vir Paulus Chomedy de Maisonneuve, animo forti insignis atque pio, cui praeerat, Canadensis oppidi Marianopolis, tum temporis Gallicae dicioni subiecti, volens rationibus consulere — Iroquenses enim undique infensissime urgebant — in patriam est reversus, ut delectum haberet militum et magistram exquireret, quae colonorum filios ad humanitatem informarci. Margarita, postquam viros probos prudentesque adhibuit in. consilium,, huiuscemodi munus offerenti annuit et mense Februario anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi tertii, sicut Dominus iusserat Apostolos, nihil ferens in via, « neque peram neque panem neque pecuniam» *(cfr. Luc:,* IX, 3), Trecis est profecta. Verumtamen necessarii aliique nihil non sunt moliti, ut Ancillam Dei ab incepto dehortarentur ; a qua, cum haereret quid faceret, superno lumine splendescente, tandem omnis diffugit dubitatio. Itaque post laboriósissimam navigationem, in qua peste affectis affuerat tamquam mater indefatigata, ad Canadensem appulit regionem, quae futura erat quasi theatrum pietatis eius ac virtutis. Hoc memorandum crucem in summo monte ibi positam, sed aborigenum feritate eversam, eius hortatu denuo esse constitutam; velut ra-

dians signum veritatis in loco tenebris obnubilo. Mirum quot pro praesenti studio salutis alienae Famula Dei opera sit aggressa, quot exsudaverit labores : Marianopoli alibique colonis ac militibus spirituale afferebat levamentum eosque provocabat ad vitam f rugi et christiana servanda instituta, ludos aperuit, fidei cultusque dilatandi studiosa, pro colonorum atque indigenarum subole, hospitia atque artium domicilia pro puellis, nosocomium accepit administrandum. Ecclesiam, Beatae Mariae Virgini in Caelum assumptae sacram, excitavit, qua in re permultas passa est difficultates ; quin suis manibus operari non dubitavit, ut coepta maturaret. Congregationem Sororum a Nostra Domina in eadem Canadensi regione condidit, quam multos annos maximo cum consilio rexit et regulis sancte temperavit. Haec quidem sodalitas, quae primum ac potissimum habuit puellas recte instituere et ad christianae vitae praecepta formare, Serva Dei annitente, in magnam proceramque excrevit arbor em eamque frugibus onustam. Quam religiosam familiam ut confirmaret augeretque, Margarita, pluries, pelago se credens, in Galliam est reversa, sed ex ipsis quoque indigenis virgines delegit, quae tam probatum vitae genus amplecterentur. Quemadmodum autem a¡uro adhiberi solet ignis, ut eius bonitas probetur, sic innumerabilibus exercita est sollicitudinibus atque malis conflictata : sed, Deo confisa, qui numquam defuit temporibus ipsius, egestatem, eversionem operum, labores itinerum, angustias animi modice tulit atque verecunde. Demissum gerens animum, adeo ut summum Congregationis munus saepius detrectaret, virgineum decus usque retinens, prudentia illustris, caritate infiammata, multa in piis precibus ad Deum Almamque Deiparam admovendis, divino instinctu interdum concitata, tota fuit in curanda salute animarum. Deposita tandem sarcina moderationis, Famula Dei, obtutum iam in Deo intentius figens, ad mortem animum composuit, quam supremo caritatis officio decoravit. Cum enim sodalis, gravi vexata aegritudine, in maximum adduceretur discrimen, suam ipsius vitam Deo obtulit, ut illius servaretur; re quidem vera, Sorore ad sanitatem reversa, Margarita, brevi morbo absumpta, inter filias collacrimantes, die duodecima mensis Ianuarii, anno millesimo septingentésimo, postquam Ecclesiae Sacramentis est refecta, placide spiritum effudit, in caelesti aula coruscatura tamquam «pretiosa margarita». Matri desideratissimae parentatum est, magna vi hominum, humilium ac procerum, adstante, qui eius sanctitudinem una praedicabant voce. Exanime corpus in paroeciali Ecclesia conditum est, cor autem, arte medicatura atque in plumbea theca inclusum, in oratorio Sororum a Nostra Domina fuit asservatum, quasi pignus eius quae « numquam excidit » ea-

ritatis (/ *Cor.*, XIII, 8). Percrebrescente autem eius fama virtutum, quam Deus prodigiis quoque visus est comprobare, Causa de Margarita Bourgeoys Beatorum agminibus annumeranda coepta est agitari; qua quidem, post processus ordinarios, penes Sacram Rituum Congregationem adornata, Introductionis Commissio a fel. mem. Leone Pp. XIII, Decessore Nostro, die decima Decembris, anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, obsignata est. Apostolicis deinde Inquisitionibus iuxta memorati fori instituta perfectis, de Famulae Dei virtutibus sive theologalibus sive cardinalibus inita est disceptatio, quas, omnibus rebus expensis seduloque perspectis, Venerabilis Dei Servus Pius Pp. X, item Decessor Noster, decreto die undevicesima mensis Iunii, anno millesimo nongentesimo decimo expedito, heroicum attigisse fastigium edixit. Cum deinde quaereretur de miraculis, quae, Serva Dei Margarita Bourgeoys intercedente, a Deo ferebantur patrata, Nos, postquam actores exemimus e duobus afferendis, de duobus aliis, diligenter exquisitis atque pertractatis, lato decreto die tertia Septembris, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, pronuntiavimus constare. Hoc tantum superfuit excutiendum, utrum Famula Dei inter Caelites *tuto* foret recensenda, quod rite est peractum; omnes enim sive Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, sive Praelati Officiales Patresque Consultores id ipsum cunctis sententiis affirmarunt. Nos autem, his exceptis suffragiis, Deum vehementius sumus adprecati, ut ad tam gravem sententiam ferendam supernum adiumentum Nobis obveniret. Itaque, die quinta mensis Octobris, eodem hoc vertente anno, postquam Divina Hostia litavimus, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, atque Dilecto Filio Nostro Alexandro Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Verde, Causae Ponente seu Relatore, necnon Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo ac Supremi Consilii Sacris Ritibus praepositi Viro a secretis, et dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeoys Beatificationem *tuto* procedi posse declaravimus. Quae cum ita sint, Nos, Sororum a Nostra Domina atque Catholicorum Canadensium vota explentes, harum Litterarum vi atque Apostolica auctoritate Nostra, facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famula Margarita Bourgeoys *Beatae* nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus ac lipsana, seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferenda, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque etiam ut eiusdem Beatae Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Nostra auctori-

tate concedimus ut de illa quotannis recitetur Officium de Communi Virginum cum lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa de eodem Communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Missalis et Breviarii Romani rubricas. Huiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in dioecesibus Trecensi, cuius intra fines Beata ipsa orta est, et Marianopolitana, in qua supremum diem obiit; itemque in templis et sacellis ubique terrarum sitis, quibus Congregatio Sororum a Nostra Domina utitur, ab omnibus Christifidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a Sacerdotibus omnibus ad templa seu sacella, in quibus Beatae eiusdem festum agatur, convenientibus. Denique largimur ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Margaritae Bourgeoys, servatis servandis, supradictis in templis seu sacellis celebrentur, diebus legitima auctoritate designandis, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris; die **XII** mensis Novembris, Dominica xxiv post Pentecosten, anno **MCML,** Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus eœpe diendis

EPISTULAE

I

.AD EMUM P. D. ERNESTUM TIT. S. SABINAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM RUFFINI, PANORMITANUM ARCHIEPISCOPUM, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONVENTUM OB STUDIA SACERDOTALIA FOVENDA AC SACERDOTII TIRONES IUVANDOS IN URBE ROSARII AGENDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Rosarii, in florentissima et nobili Argentinae Reipublicae urbe, mox Conventus agetur, cuius cardo rerum erit ad sacerdotium capessendum studia fovere eademque opibus iuvare. Cum prolata ei consilia magni ducamus atque exitus eventusque eius summa Nostra sint in exspectatione, ut is magnificentior et enîcentior fiat, Te, dilecte Fili Noster, eligimus et constituimus Legatum Nostrum a latere, qui eius coetibus praesideat atque incitamenta votaque afferas Nostra. Minime quidem dubitamus, quin, qua sis religionis, prudentiae, doctrinae laudibus insignis, commissum a Nobis Tibi munus actuose et honorifice persoluturus sis. Accommodate autem id statutum est, ut illic continuo alter Conventus ex universa Argentina natione Eucharistici generis et naturae concelebretur. Qua ratione duo Congressus apte et provide cohaereant, profecto liquet : enimvero Eucharistia et sacerdotium — hoc etiam in communibus ab Argentinis Episcopis datis Litteris alludebatur — ita inter sese dogmatice conectuntur, ut rescindi nequeant; at in actione quoque vitae huiusmodi apparet summa opportunitas, ut geminata fiat celebratio. Cum Eucharistica stata sollemnia ad Rosarium urbem conferías arcessent christifidelium turmas, tum Conventus sacerdotii tironum delectui fovendo qui, ut conspeximus, perspicuis ordinabitur rationibus et excogitatis propositis, pretiosa, quae sub eucharistica luce maturescent, sparget semina. Tot respondentem flagrantibus votis, pro certo habemus eundem Congressum ubertatem fructuum praebiturum, qua olim cum Argentinis Antistitibus collaetabimur. Maxima Ecclesiae cura iam usque ab eius primordiis fuit sacerdotum agmina parare, qui doctrina et virtute praecellant. Eadem voluntas acris Ecclesiae Praelatos exstimulet praesertim nunc temporis, cum spiritales fidelium necessitates, qui cum adaucti sunt numero, tum facile ignoratione divinarum rerum et morum socordia laborant et

osorum Dei impulsionibus obnoxii sunt, instanter flagitant sacrorum administros, qui neque exigui sint neque obeundis sacratissimis muneribus impares. Cui quidem conscriptioni praeter alias difficultates haec praecipua obstat, quod nonnullae christianae familiae, opulentiae fascinatione illectae, Ecclesiae suos non dedunt filios, qui sacerdotii honore et onere afficiantur. Qua re ante omnia in christianis domibus excitanda sunt vota, ut illinc, lectissimi flores, prodeant sacrorum administri, qui plebi Dei docendae et ad salutis pascua ducendae prosint et praesint. Deinde boni et idonei homines, praesertim magistri et magistrae, cogitate perspiciant, an in puerorum animis germinent a Deo indita sacerdotii consequendi studia.

Quod ad Nos attinet, iam exordio Pontificatus Nostri Apostolicis Litteris « Motu Proprio » die iv Novembris anno **MCM;XLI** datis « Pontificium Opus sacerdotalium vocationum » instituimus, quod quidem ex praecipuis esse opinamur a Nobis, Christo iuvante, adhuc conditis. Gaudemus, quod id, numquam deflectens a normis sibi statutis, felicioribus usque viget incrementis, a Nobis sacris indulgentiis ornatum atque ditatum.

Causa est autem Nobis, cur vehementer laetemur, cum etiam per Argentinae Reipublicae fines conspiciamus laudabile tantum Opus aptius semper institui et altiores usque radices figere, dum triplex propositum ei praelucet : nam et de catholico sacerdotio recte mentes informat, acuit in populo voluntatem sacerdotii tirones opibus iuvandi, precum praesidium iisdem et sacerdotibus ipsis accumulât. Qua de re, cum compertum probe habeamus, quantopere in Argentina Republica sacris iuvandis Seminariis allaboratum sit, magnam Nobis placet veramque tribuere laudem. Attamen vox monitumque Christi Servatoris semper atque ubique obtinet dicentis : « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ». [1]

In hanc profecto erigimur spem atque fiduciam fore, ut Eucharistico Regi a multitudine fidelium supplicia admovenda vota per pientissimas manus Deiparae Virginis Rosarii, in urbe ipsi dicata, mense eidemque «acro, Ecclesiae in Argentina splendidas sacerdotum cohortes, gloriam Christi, obtineant. Quo autem salutarium fructuum certior et uberior •crescat fecunditas, id Tibi facultatis tribuimus ut, quo volueris die, post sacrum pontificali ritu peractum christifidelibus Apostolicam Benedictionem cum adiecta indulgentia plenaria, ad Anni Sacri normas

[1] Luc, 10, 2.

lucranda, inipertias. Nihil demum Nobis aliud reliquum est nisi, ut Tibi, dilecte Fili Noster, sollicito sacro Rosariensi Pastori, Antistitibus, magistratibus, sacerdotibus, fidelibus statae congressioni adfuturis peramanter benedicamus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die vi mensis Septembris, anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

II

AD **EMUM P. D. ERNESTUM TIT. S. SABINAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM RUPPINI, PANORMITANUM ARCHIEPISCOPUM, QUEM LEGATUM DELIGIT AD CONVENTUM EUCHARISTICUM E TOTA ARGENTINA REPUBLICA IN URBE ROSARII HABENDUM.**

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Inter Apostolici muneris molimina et curas, secretus solaminis fons, perpetua animo Nostro inhaeret recordatio Eucharistici ex omnibus gentibus Conventus, Bono Aere, in urbe Argentinae Reipublicae capite, celebrati, cui praesidendi conlatus fuit Nobis honor. Studii vero, quo singulariter fiamma-ri erga adorandum altaris Sacramentum tunc Argentinos conspeximus, novus index luculentaque significatio erit eiusdem generis ex universa eorum natione Congressio, quae mox Rosarii agetur, in urbe religionis laude praeclara, divite opum, spe laetissima. Optatis libenter annuentes, ut frequentandis illis coetibus per virum, qui personam Nostram gerat, adsimus, Te, dilecte Fili Noster, Legatum Nostrum a latere destinamus, deligimus, statuimus, qui tum Romanae purpurae decore, tum exemplo et voce sacrorum illorum sollemnium augeas iubar atque hominum multitudini, quae illic intererit, addas ad virtutes sectandas incitamenta. Praeclaros piae messis proventus summis votis adprecamur ex illo, cui praeeris, Eucharistico Rosariensi Conventu, dum elatis manibus supernum auxilium Servatoris nostri invocamus, ubi solidum fiduciae et spei Nostrae insidet fundamentum. Toti Argentinorum Reipublicae illinc affluant beneficia, ut ea, inter christianae civitates, sapientia, ex Evangelio hausta, praeniteat, at praecipue urbi Rosario et dioecesi, cuius ipsa sedes est princeps. Auspicali pulchro nomine decorata, sit ea quod vocatur et ad maiorem Dei et Deiparae Virginis laudem comparandam floreat gratia, floreat morum probitate et operum granditate, floreat

sacerdotum manipulis, in quibus nihil desideretur, quod administris suis inesse percupit Ecclesia. Quorum bonorum summa ut ex supernae misericordiae dono efficacius imploretur, id Tibi facultatis facimus, ut, quo volueris die, post sacrum pontificali ritu peractum, christifidelibus Apostolicam Benedictionem, cui plenaria indulgentia adnectitur, ad Anni Sacri normas lucranda, impertiri valeas. Tibi demum, dilecte Fili Noster, sollertissimo sacro Rosariensi pastori, ceterisque Antistitibus, necnon Argentino clero populoque universo, iis praesertim qui Rosarium ad augustum Eucharisticum mysterium excolendum se conferent, peramanter et perlibenter benedicimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die ix mensis Septembris anno **MCML**, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA .CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DREPANENSIS **ET** MAZARIENSIS

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

Dioecesis Drepanensis quinque tantum Communia comprehendit, quorum unum ex dispersis vicis, duo autem ex longinquis insulis constant.

Ex hoc angusto et dispertito territorio, ex impari clericorum atque sacerdotum numero, ex beneficiorum defectu ac rerum oeconomicarum inopia dioecesis iis in regimine ac disciplina difficultatibus premitur ut vel ipsa necessaria opera ac institutiones curari, promoveri ac perfici nequeant.

Iamdiu igitur ab Apostolica Sede expostulatum est ut territorium dioecesis Drepanensis aliquantulum amplili c aretur, adiectis aliquibus finitimae dioecesis Mazariensis oppidis, praesertim cum civitas episcopalis Drepanensis, quae provinciae eiusdem nominis est caput, diuturnas cum ipsis relationes habeat.

Qua de causa cum impensiores ad Romanum Pontificem preces novissime delatae fuerint et ab iis quoque fidelibus, qui in oppidis dioecesi Mazarí ensi subiectis commorantur, Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, bono fidelium illorum necnon dioecesis Drepanensis necessitatibus providere cupiens, de consilio Emi ac Revmi DD. Cardinalis huius S. C. Consistorialis a Secretis, suppleto, quatenus opus sit, interesse habentium vel habere praesumentium consensu, vi praesentis Consistorialis Decreti, perinde valituri ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae forent, benigne statuit ut tria Communia, vulgo *Aloamo, Galatafimi, Castellammare del Golfo,* et pagus *Borgo Fazio* Communis Drepanensis, quae in dioecesi Mazariensi continentur, ab eadem, una cum omnibus paroeciis ibidem exsistentibus, dismembrentur et dioecesi Drepanensi adiungantur ; insula vero Cossura, vulgo « Pantelleria » dioecesi Drepanensi hactenus subiecta, ab ista separetur et dioecesi Mazariensi aggregetur, mutatis hac ratione utriusque dioecesis finibus.

Ad. haec autem exsequenda, idem Ssmus Dominus Noster deputare dignatus est Emum ac Revmum DD. Ernestum S. R. E. Cardinalem Raffini, Archiepiscopum Panormitanum et dioecesium Mazariensis et Drepanensis Administratorem Apostolicum, eidem tribuens facultates ad id necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto onere mittendi quam primum ad hanc S. Congregationem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 15 Septembris 1950.

ŒÉ Fr. A. I. **PIAZZA**, Ep. Sabinen, et Mandelen., *a Secretis*

L. Ç S.

I. Ferretto, *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

SYDNEYEN. - BARTHTJRSTEN.

DECRETUM

DE FINIUM DIOECESIUM MUTATIONE

Excmus Dnus Ordinarius Bathurstensis, plene consentiente Emo Cardinali Ordinario Sydneyensi, preces obtulit ad hanc S. Congregationem de Propaganda Fide, ut in bonum fidelium pars territorii Archidioecesis Sydneyensis aggregarentur dioecesi Bathurstensi et proinde fines hoc modo immutarentur, ut limites a Monte, vulgo appellato Boonbourwa, relinquant Montes Magnos Dividentes, scilicet vulgo Great Dividing Range, et alia iuga continentia prius versus meridiem et postea versus occidentem sequantur usque ad confluentem fluminis vulgo vocati Coorongooba Creek et fluminis appellati Running Creek, cuius cursum inde retineant usque ad flumen vocatum Capertee River. Ex illo loco limites linea recta prius versus meridiem et postea versus occidentem indigitentur usque ad Montem vocatum Canobla, ex quo Monte, retinendo alia iuga continentia, iterum in Monte appellato Mac Lean tangant Magnos Dividentes Montes, scilicet Great Dividing Range et postea sequantur antiquos fines.

Porro haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide, rei opportunitate perpensa, de mandato Ssmi Domini Nostri Pii Div. Prov. Papae XII, vigore scilicet facultatum ab Eodem Ssmo Domino Nostro sibi specialiter concessarum et per totum iubilarem annum 1950 valiturarum, praesenti Decreto statuit ut praefata pars territorii, ut supra limitibus definita, cum clero et fidelibus ibi legitime exsistentibus, ab Archidioecesi Sydneyensi dismembretur et dioecesi Bathurstensi perpetuo incorporetur, mutatis hac ratione finibus utriusque dioecesis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 5 Maii anno Domini 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. © S.

t Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

II

DE DOALE - **DE** FOUMBAN - **DE** YAOUNDE

DECRETUM

DE VICARIATUUM FINIUM MUTATIONE

Excmi Dñi Ordinarii Vicariatuum Apostolicorum de Douala, de Foumban et de Yaounde, communi consilio, preces ad hanc Sacram Congregationem de Propaganda Fide obtulerunt ut limites Vicariatuum, de quibus supra, ita immutarentur ut iidem essent ac limites regionum civilium, scilicet ut, firmis manentibus limitibus cum ceteris circumscriptionibus finitimis, *Vicariatus Apostolicus de Yaounde* comprehendat regiones civiles de Nyong et Sanaga et de Mbam ; *Vicariatus Apostolicus de Foumban* comprehendat regiones civiles de Bamoun, Bamileke et partes regionum civilium de Mungo et de Wouri exstantes ad ripam dexteram fluminis Wouri ; *Vicariatus Apostolicus de Douala* comprehendat partes regionum civilium de Mungo et de Wouri exstantes ad ripam sinistram fluminis Wouri et regiones civiles de Ntem, de Kribi et de Sanaga maritima.

Quas preces Emi ac Revmi Patres Cardinales Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, in plenariis comitiis diei 22 mensis Maii vertentis anni adprobarunt ac proinde haec S. Congregatio de Propaganda Fide, de mandato Ssmi D. N. Pii Div. Prov. Papae XII, vigore scilicet facultatum ab Eodem Ssmo Domino Nostro sibi specialiter

concessarum et per totum iubilarem annum MCML valiturarum, praesenti Decreto statuit ut territoria Vicariatuum Apostolicorum de Foumban, de Douala et de Yaounde, secundum ea quae supra exposita sunt, immutentur.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 26 mensis Maii anno Domini 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

B. % S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

III

DE MORONDA V A - DE TSIROANOMANDIDY

DECRETUM

DM PRAEFECTURARUM FINIUM IMMUTATIONE

Ad catholicam fidem aptius in Insula Madagascar prolatandam preces porrectae sunt ad hanc Sacram Congregationem de Propaganda Fide ut fines inter Praefecturas Apostolicas de Morondava et de Tsiroanomandidy immutarentur, scilicet ut districtus civiles de Maintirano et de Morafenobe distraherentur a Praefectura Apostolica de Morondava et adnecteretur ad Praefecturam Apostolicam de Tsiroanomandidy.

Quas preces eadem Sacra Congregatio de Propaganda Fide excipiens, de mandato Ssmi D. N. PII Div. Prov. Papae XII, vigore scilicet facultatum ab Eodem Ssmo Domino Nostro sibi specialiter concessarum et per totum iubilarem annun **MCML** valiturarum, praesenti Decreto statuit ut districtus civiles de Maintirano et de Morafenobe a Praefectura Apostolica de Morondava distrahantur et ad Praefecturam Apostolicam de Tsiroanomandidy adnectantur.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 9 mensis Iunii anno Domini 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus.*

L. .© S.

t C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

IV

MASWENSIS - DE MWANZA

DECRETUM

DE FINIUM VICARIATUUM APOSTOLICORUM MUTATIONE

Cum in territorio Tanganyikensi Africae Orientalis ditionis Britannicae Praefectura Apostolica Musomensis, Societati de Maryknoll pro missionibus exteris concredenda, Vicariatus Musomensis et Maswensis divisione peracta, erecta fuisset, Emi ac Revmi Patres Cardinales, huic Sacrae Congregationi praepositi, in iisdem plenariis comitiis, die 19 habitis, in quibus erectio illa facta est, de mutandis quoque finibus inter Vicariatus Maswensem et de Mwanza, quo aptius evangelizationis operi consuleretur, egerunt.

Iidem igitur Patres, attentis peculiaribus in casu adjunctis atque audito Excmi ac Revmi P. Dñi Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia et Apostolici Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati, favorabili voto, partem continentalem districtus civilis de « Wakerewe », quae hucusque ad Vicariatum Apostolicum Maswensem pertinebat, a memorato Vicariatu distrahendam et Vicariatui Apostolico de Mwanza, qui reliquam ipsius districtus partem (scilicet insulas de Ukara et de Ukerewe) complectebatur, adnectendam esse censuerunt.

Quam Emorum Patrum sententiam, Sacra haec Congregatio, facultatibus utens sibi a Ssmo **Dno** Nostro Pio Div. Prov. Papa XII per totum iubilarem annum concessis, in effectum adducendam curavit praesensque ad rem decretum confici iussit.

Datum ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 24 Iunii anno Iubilaei 1950.

P. Card. **PUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. © S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

V

DE KOANGrO - DE IPAMU

DECRETUM

DB FINIUM VICARIATUUM APOSTOLICORUM MUTATIONE

Cum in Congo Belgicae ditionis limites ecclesiastici inter Vicariatus Apostolicos de Koango, Patribus Societatis Iesu concredito, et de Ipamu, Patribus Congregationis Oblatorum B. M. V. Immaculatae commisso, tum civilibus limitibus tum necessitatibus missionalis apostolatus non responderent, Sacrae huic Congregationi de Propaganda Fide visum est ad novam eorumdem finium delimitationem ibidem procedere.

Quapropter, praehabito Excmorum Ordinariorum, quorum interest, consensu auditaque favorabili Excml ac Revmi Dñi Petri Sigismundi, Archiepiscopi titularis Neopolitani in Pisidia et Apostolici in Congo Belgico Delegati sententia, limites inter memoratos Vicariatus, prout infra exponuntur, haec eadem S. Congregatio emendandos esse censuit :

1) inter stationes missionales Totshi et Kilembe, limites serventur administrativi civiles inter Territoria civilia de Gungu et de Idiofa, scilicet flumen Labwe ab eius origine usque ad confluentem fluvium Bitshili, dein illius Bitshili fluvii cursus usque ad confluentem fluvium Kilung (quod coincidit cum limitibus Territoriorum civilium 'de Ngungu et de Kikwit) ;

2) inter stationes missionales Totshi, Kikwit et Ngoso : ipsi limites inter Territoria civilia de Kikwit et de Ngungu, scilicet flumen Kilung a loco quo in Bitshili influit usque ad suas scaturigines ; inde linea recta usque ad fontes Lwano fluminis ; exinde cursus istius fluminis ab ipsius fontibus usque ad locum quo in Inkieri fluvium influit, quod flumen sectores civiles de Banyansi et de Entre Kwilu - Lwano delimitat;

3) inter stationes missionales Pindi et Mateko : a loco quo Lwano flumen in Inkieri influit, cursus Inkieri fluvii usque ad ipsius scaturigines, id est limites civiles antiquorum Territoriorum de Bulungu et de Kikwit; dein Inkieri flumen ab eius origine, dein linea recta usque ad originem fluminis Lokwa ; demum cursus istius fluminis ab eius origine usque ad ingressum in territorium stationis misisonalis Mateko et locum quo in flumen Kamtska influit.

Quam sententiam haec eadem Sacra Congregatio, facultatibus utens sibi a Ssmo Dno Nostro Pio Div. Prov. Papa XII specialiter per totum

annum iubilarem concessis, exsequendam curavit praesensque ad rem Decretum confici iussit.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 11 Iulii mensis anno sacro 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. © S.

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

VI

TAPONEN.

DECRETUM

DIOECESES, VICARIATUS APOSTOLICI ET PRAEFECTURAE APOSTOLICAE JAPONIAE CLERO SAECULARI INDI GENA E COMMITTUNTUR.

Cum in Iaponia ante nonnullos annos, maxime autem flagrante per totum orbem recentiore bello, ita arduum evasisset alienigenis Missionum Ordinariis ministerium explere, ut satius ipsi ducerent se munere abdicare, atque Ssmus Dom. Noster Pius Divina Providentia Papa XII ab eis sponte libereque oblatam renunciationem acceptasset; haec Sacra Congregatio Christiano Nomini Propagando, de mandato eiusdem Ssmi Domini Nostri, Administratorem Apostolicum ex Japonensi clero delectum singulis Missionibus praeponere sollicite curavit, nempe dioecesibus *de Fukuoka, Osakensi, Sendaiensi, Yokohamaënsi,* item vicariatui apostolico *de Sapporo,* necnon praefecturis apostolicis *de Karafulo* (Karahuto), *de Kyoto, de Miyazaki, de Nagoya, de Niigata, de Shikoku,* ac *de XJ raïca.*

Quod ea mente actum, ut quae Missiones *de facto* Japonensi clero tunc committebantur, deinceps, pro rerum apportunitate, eidem *de jure* concrederentur.

Sacra itaque haec Congregatio adventasse nunc tempus rata ut propositum in rem deducatur, omnes et singulas superius memoratas Missiones saeculari Japonensi clero per praesens Decretum *de jure* tradit, certa spe freta ut auxilium ex animo praebentibus missionariis etiam alienigenis, prae primis ex iis Societatibus quae impenso labore et diuturna opera Ecclesiam in Japonia fundaverunt et solidaverunt, eaedem Missiones felicioribus in dies incrementis gaudeant.

Apostolici vero Vicariatus *de Hiroshima,* Societati Iesu commissi,

iuridicum statum immutatum manere eadem haec Sacra Congregatio constituit, ita scilicet ut eadem Societas Vicariatum ad nutum Sanctae Sedis in curis habeat.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 20 Iulii 1950.

P. Card. **FUMASONI BIONDI,** *Praefectus*

L. © **S.**

f C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

i

ROMANA

CANONIZATIONIS B. ANTONII BALDINUCCI, SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio reassumptionis causae Canonizationis in casu et ad effectum de quo agitur.

Gaudeat Florentina civitas, quia non modo artium splendore coruscat, sed, quod maius est, non paucos vitae sanctitate claros genuit, quos inter sancti Philippus Benitius, Andreas Corsini, Antoninus, Philippus Neri Romae apostolus, Catharina de Ricciis, Margarita a S. C. I. Redi aliique. His B. Antonius Baldinucci accensendus est, qui, Societatis Iesu sodalis factus, ad sacras missiones a Deo se vocari sensit, quod quidem munus generose amplexatus, per solidos viginti annos a divini verbi praedicatione impigerrime, in romana praesertim provincia, numquam destitit, uberrimos laetissimosque animorum referens fructus. Ad hos autem obtinendos non modo iugibus instabat precibus, sed etiam asperrimis corporis afflictationibus utebatur, atque ita in omni virtutum genere, et quidem ad heroicum gradum, succrevit. Has Deus insignibus donis cum in vita tum post eius mortem, quae die 7 Novembris a. 1717 Pophis contigit, muneratus est. Exinde factum est ut, servatis de iure servandis, die 23 Aprilis a. 1893 Leo PP. XIII fel. rec. eum Beatificationis gloria honestaverit. Nunc vero, quum nova signa a Deo per eius intercessionem videantur patrata, Rmus P. Carolus Miccinelli, Societatis Iesu generalis

Postulator, Summum Pontificem enixe est adprecatus ut Canonizationis causa resumatur. Postulatoriae quoque litterae a Cardinali Urbis Vicario, a Cardinali Florentino Archiepiscopo aliisque Archiepiscopis ac Episcopis, a Praeposito generali S. I. oblatae sunt Pontifici. Eapropter in Ordinario Sacrorum Rituum coetu, die 28 Martii anni huius habito, infrascriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus et causae Ponens dubium posuit discutiendum : *an signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur* de eaque retulit. Emi ac Rimi Cardinales, relatione hac audita atque causae momentis perpensis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Promotore generali Fidei, rescribere censuerunt : *Signandam esse commissionem si Ssmo placuerit.*

Subsignato vero die, Ssmo D. N. Pio Papae XII relatione facta ab eodem Cardinali, S. R. C. Praefecto, Sanctitas Sua, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, *Commissionem reassumptionis causae B. Antonii Baldinucci propria manu subscribere dignata est.*

Datum Romae, die 3 Aprilis a. sacro 1950.

£g **C.** Card. **MICARA**, Ep. Velitern., *Praefectus*

L. $ S.

f A. **CARINCI**, Archiep. Seleuc. *Secretarius.*

II

ROMANA "

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI PII PAPAE X SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

S. Bernardus in libro de Consideratione ad B. Eugenium III, « Iam quod ad considerationis attinet fructum, scribit, quatuor, ut occurrunt, Tibi consideranda reor : Te, quae sub Te, quae circa Te, quae supra Te sunt » (Lib. II). Venerabilis Pius X huic S. Bernardi doctrinae ad amussim adhaesit. Ipse enim ab incunabulis ad mortem usque vigiles super se oculos iugiter intendit, adeo ut, mortale quod in eo erat, rationale humiliaverit et rationale mortale confortaverit, uti idem Sanctus

Doctor insinuât. Exinde illa temporalium rerum despectio, profunda illa humilitas, qua in suprema quoque dignitate constitutus cum amplissima potestate evellendi, destruendi, disperdendi, dissipandi, aedificandi et plantandi, non ad dominandum sed ad ministrandum, non ad imperitandum, quam ad fatigandum omnia haec sibi data agnoscebat (Cfr. ibid.). Humilitatis solido fundamento praeiacto, ceteras pronum erat non defuisse virtutes, super quas cum erga Deum, tum erga proximos, sive sibi aequales, sive inferiores, eminuit caritas.

Porro antequam de eius virtutibus pressius loquamur, pauca de eius vitae curriculo opus est delibare.

In loco vulgo dicto Riese, in Tarvisina dioecesi, die 2 Iunii anno 1835 a Ioanne Baptista Sarto et Margarita Sansón natus, sequenti die, suscepto Iosephi nomine, per baptismum renatus èst. Decennis Confirmationis sacramentum suscepit; biennio autem post ad sacram mensam fuit primitus admissus.

in Patavinum clericorum Seminarium, Venetiarum Patriarchae ope, ingressus, studiorum curriculo laudabiliter emenso, a. 1858 ad Sacerdotium fuit promotus. Variis muneribus in patria dioecesi sancte functus, episcopali sede vacante, Vicarii Capitularis officio dioecesim gubernavit. Anno 1884 Leo XIII eum Mantuanum Episcopum elegit, novemque post annos S. R. E. Cardinalem creavit atque Venetiarum Patriarcham. Apostolica Sede, post huius Pontificis obitum, vacante, etsi « laerymis magnisque precibus formidolosum Pontificatus onus depellere conatus » (Encycl. 4 oct. 1903), Summus Pontifex die 4 augusti anno 1903, suscepto Pii X nomine, electus est.

Ad sublime hoc munus evectus « Instaurare omnia in Christo » ut videlicet sit *omnia et in omnibus Christus* (Col. III, 11) (Ead. Encycl.), ampliori, quam antea ratione, animose est aggressus : quod propositum per vitam integram sategerat. Quocirca Deum, eius gloriam, catholicae fidei integritatem, Ecclesiae decorem mirabili fortitudine tuta tus est. Puerorum atque adultorum animi christianae doctrinae pabulo ut enutrirentur diligentissime curavit; pueros, ut ad eucharisticam mensam mature accederent, totis viribus impulit : Iuris Canonici Codicem digeri voluit : Gregorianum cantum ad Sancti Gregorii fontes reduci iussit. Deum solum, Ecclesiaeque decorem prae oculis habens, spreto gravissimo oeconomico damno inde eventuro, divini Spiritus fortitudine roboratus, cultuales leges in Gallia contra Ecclesiae iura latas repudiavit. Deus autem tantum facinus praemio affecit, ex generosa illa natione benefactores suscitans, qui damna repararent.

In luctatione contra Modernismum, qui haereseon omnium est col-

lectus, perspicue eius venenum detexit; eius anguinea, subdola, tortuosaque artificia introspexit, damnavit, victor evasit atque Ecclesiam ab hac pestifera lue indemnem servavit. Errores, haereses acriter quidem compressit, errantes vero mirabili caritate paternoque prosequebatur affectu.

Modernismum quidem debellavit, verum nova quaecumque seu scientiae seu artis inventa, quae in Ecclesiae bonum vergerent, omni favore est prosecutus. Quapropter Biblicum Institutum constituit: regionalia Seminaria fundavit : Cleri disciplinam, hodiernis necessitatibus accommoda vit.

Alia quamplurima, Dei instinctu motus, eiusque gratia, quae in eo vacua non fuit, in animi sui perfectionem et in Ecclesiae bonum atque incrementum gessit, quae sanctitatis famam per integrum suae vitae cursum, in Pontificatu praecipue, ipsi concilia vit.

Europaeo bello grassante, quod Servus Dei ne exardesceret plurimum adlaboravit, dolore plus quam senecta fractus, die 20 augusti anno 1914, Ecclesiae sacramentis sancte receptis, lectissimam animam Deo reddidit.

Sanctitatis fama, qua vivens claruerat, vehementius erupit non modo inter catholicos Ecclesiae magis addictos, sed etiam inter alienos, immo et infideles. Quare Sacro Cardinalium Collegio praeeunte cunctoque Episcoporum amplissimo coetu, ab innumeris coetibus ac praeeminente dignitate personis, supplicia vota Summo Pontifici oblata sunt ut Beatificationis causa apud Sacram Rituum Congregationem introduceretur; et quidem felici exitu. Nam in Romani Vicariatus Curia atque in Venetiarum, Mantuana ac Tarvisina expletis inquisitionibus, die 12 februarii a. 1943, servatis de iure servandis, Beatificationis Causa introducta est. Apostolica dein auctoritate processibus constructis, die 29 novembris mensis, anno elapso, Antepraeparatoria Congregatio super virtutibus coram infrascripto Cardinali, Causae Ponente, coacta fuit.

In hac Congregatione factum est, ut quum non omnes difficultates, quae necessario in huiusmodi Causa inveniuntur, quae graves prima fronte apparebant, quaeque eius virtutes, prudentiam praesertim et caritatem obumbrare videbantur, ex actis tantum visum sit non posse removeri, Sacra haec Congregatio Suae Sectioni Historicae mandavit, ut quam diligentissime documenta undequaque perquireret, ut veritas omnino patefieret.

Huic mandato haec Sectio perfecte obtempera vit, et quidem effica eiter. Difficultates enim omnes, documentorum vi, plene remotae sunt

